EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Fili hominis, pone cor tuum, et...
auribus tuis audi omnia, quae ego
loquor ad te de universis caeremoniis
domus Domini, et de cunctis legibus
eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS SEXTUS – VOLUMEN SEXTUM

Alma College P Library EL Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A PACE, PHILIPPI CUGGIANI
In Vico a Pace num. 35.

1892.

41121

Annus VI. N. 1. Ianuar. 1892.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

Fili hominis pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ARCHEOLOGIA

DE INVENTA IEROSOLYMIS CONSTANTINO MAGNO IMPERANTE CRUCE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

DISSERTATIO.

(*Contin. V. num. 12, pag. 674*).

Universi autem nedum Armeni, sed alii quoque aliarum gentium scriptores fatentur, hanc historiam plurimas passam esse interpolationes. De qua re agunt Bollandiani Tomo XLVIII ad diem 30 Septembris in Vita S. Gregorii Illuminatoris. Capp. VI. VII. pag. 348, Edit. Palmè (1).

(1) Nonnulla afferam sive suppositionis sive interpolationis indicia.

1.° Affirmat Scriptor in monasterio S. Pauli, cui Cajana praeerat, fuisse virgines tercentas. *Quae cum essent tercentae servabant praeceptum apostoli.* Credi ne potest sub deterrimo Diocletiano Romae fuisse Monasteria in quibus religiosam vitam tercentae virgines profiterentur?

Quid ergo de Kalendario Isaaco Patriarchae tributo, qui cum Patriarcha fuerit infra annos 389-439 eodem tempore vixit quo Coronensis vitam agebat, quamvis ante hunc supremum obierit diem?

Neminem profecto latet, Kalendaria, Martyrologia aliosque libros liturgicos novis accessionibus pedetentim augeri, ex iisque de antiquis temporibus certam notitiam desumi non posse nisi eo in casu quo demonstretur, notitiam illam eo prorsus tempore additam Kalendario fuisse, quo istud in lucem prodire coepit, vel eo anno de quo quaeritur; et in re nostra, nisi demonstretur, in Isaaci Kalendario Festum Inventionis Crucis per Protonicem eius prorsus tempore adiectum fuisse. Cum enim hac in hypothesi Kalendarium editum fuisset antequam Corenensis historiam Ripsimianarum conscriberet, dici posset ex eo notitiam mutuatum fuisse.

Attamen id est antea probandum; et probandum etiam est opus esse genuinum; insuper, notitiam de particula Crucis Ripsimianarum vitae a Moyse conscriptae non fuisse postea interpolatam (1).

Exinde patere arbitror, non constare inventionem Crucis per Protonicem ante Corenensis aetatem divulgatam fuisse, eamque esse primam formam, ut cl. Duchesne putare videtur, qnamvis id nullo confirmet argumento. Certum autem esse existimandum est, eam post loca sancta per Constantinum detecta inductam

(1) Ex monumentis liturgicis Ecclesiae Armenae quaestio certe non dirimitur. Etenim in iis inventio Crucis celebratur et iuxta doctrinam Addai, et iuxta acta Iudae Cyriaci. Quod in Codice ab adnotatore epistolae Abgari invento scriptum legatur: *Historia primae inventionis sanctae Crucis* etc., non demonstrat hanc formam primum reapse fuisse inductam, sed primam vocari, quia Iacobi Apostoli et Tiberii temporibus acta perhibetur.

fuisse, ex eaque consequenter nullum inventioni Crucis per Helenam inferri detrimentum; ni defendere velimus, per supposititias et omnino fabulosas narrationes, posteriori praesertim tempore inductas, aut elidi veras relationes, aut eas quae nondum ab aliquo falsae demonstratae fuere, ut quae gravium scriptorum auctoritati, ceteris praetermissis argumentis, nitantur.

IV. Multa autem disserenda non sunt ut demonstrem, Inventionem Crucis iuxta acta Iudae, Cyriaci, Helenae Ierosolymam peregrinationi esse posteriorem; id enim et ex actorum indiciis intrinsecis, et ex iis quae scribit cl. Duchesne evidentissimum est.

Et in actis quidem hic Iudas martyrio confectus perhibetur anno secundo Iuliani apostatae, qui Romanum imperium deturpavit infra annos 361-364. " Tunc „ furore repletus tyrannus iussit eum magno conto „ percuti in pectus. Percussus autem Cyriacus sanctus, „ unam emisit vocem dicens: Domine rex Iesu, peto „ ut cito cum sanctis recipias animam meam. Et sic „ consummatus in Domino, et bonum certamen cer- „ tatus, assumptus est in gloria, die Sabbati, hora „ octava, mense Maio intrante, regnante Iuliano ty- „ ranno anno secundo „ (1).

Ergo Iuliano imperante, haec acta conscripta dici debent, atque vel anno 362, vel insequenti; id est post annos triginta sex a detectis per Constantinum locis sanctis; idque si ipso anno, quo Cyriacus martyrium passus scribitur, ea confecta supponantur; quod tamen nemo existimabit.

At praeter haec, cl. Duchesne affirmat, Eusebium Romanum Pontificem qui in his actis Constantinum

(1) *Acta Sanctorum*, Tom. XIV, n. 26, pag. 455. Edit. Palmé.

baptizasse inducitur, substitutum fuisse Eusebio Nicomediensi, postea Constantinopolitano Episcopo, qui reapse Constantinum baptizavit (1). Cum ergo hic proxime moriturus in suburbiis Nicomediae baptizatus fuerit anno 337, acta Iudae Cyriaci ante hunc annum conscripta dici non possunt.

Vir insuper doctissimus contendit, per hanc inventionis formam auctorem conciliare voluisse primaevam traditionem cum historia locorum sanctorum, ut haec

---

(1) En second lieu, le baptême de Constantin par Eusèbe, Evêque de Rome, est evidemment une transformation du baptême réel de Constantin par Eusèbe évêque de la ville impériale de Nicomédie, et plus tard de Constantinople, la nouvelle Rome. In quo nescio an acu rem tangat. Etenim 1.° Constantini baptizatorem silentio premit Eusebius; hic autem utpote Semiarianus saltem, non praeteriisset nomen episcopi illius revelare, si vel Arianus, ut Eusebius Nicomediensis, vel Semiarianus fuisset. 2.° Ipsa Constantini religio, atque hostilis quodammodo in Nicomediensem animus hunc excludit; cum enim Nicaenae fidei semper Constantinus adhaeserit, et literas contra eum scripserit, non est supponendus ab Ariano Episcopo baptizari voluisse. Iura Metropolitani imperatoris voluntati cessisse dicenda sunt. 3.° Notum est testimonium Gelasii Cyziceni Episcopi lib. III Historiae Concilii Nicaeni; quem librum nos quidem deperditum dolemus, attamen legit Photius. In eo autem Gelasius testatus fuerat, Constantinum baptizatum fuisse ab Episcopo catholico. Ita enim scribit Photius Codice LXXXVIII. « Desinitque in Constantini magni obitum, » quando divino remissionis (peccatorum) lavacro suscepto, vitae » huius maculas, quas communi mortalium sorte contraxisse oportuerat, una eluit. Baptismate vero tinctum refert ab orthodoxo » sacerdote, sacroque ritu, non, ut quidam prodiderunt, ab haereticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptismati obvenisse moram quod ipsis Iordanis fluminis aquis tingi vehementer optasset. » P. G. CIII. 294 ».

narrabatur in orbe graeco latino ad finem quarto saeculo properante (1).

Inventio Crucis igitur, prout in hisce actis narratur, ad finem saeculi IV inducta dicenda est; sin minus auctor conciliationem tentare non potuisset; etenim ut id tentaret utramque formam cognoscere debuit; posterior autem forma illa est, quam scriptam reliquerunt graeci latinique scriptores, ut ipse auctor affirmat pag. CVIII, col. 2. ad finem Notae 6.

At saeculo IV posteriorem esse ex ipso Gelasii Papae decreto *De apochryphis scripturis*, seu: *De reci-*

---

(1) En étudiant de près les deux textes de la doctrine d'Addai, et des actes de Cyriaque il est facile de voir que le premier est le plus ancien, et que le second n'est qu'une tentative de conciliation entre la tradition primitive et l'histoire des saints lieux telle qu'on la racontait dans le monde grèco-latin depuis la fin du IV[e] siècle. CVIII, n. 46. At difficillimae probationis videbitur, hanc intentionem potuisse animo mentique Scriptoris actorum Iudae insidere, ni plane stupidus traducatur. Etenim in Protonicis inventione Crux tradita Iacobo Apostolo perhibetur. At in inventione S. Helenae, quam Graeci Latinique scriptores describunt, Crux reperta dicitur prope Christi sepulchrum, et quidem latronum crucibus permixta. Consequenter scriptor supponere debuit, vel Iacobum iterum in eodem loco Crucem Christi proiecisse, quod repugnat; vel Iudaeos iterum eam fuisse suffuratos aut vi abstulisse, atque in eodem loco una cum latronum Crucibus condidisse. quod pariter repugnat, tum ob alia, tum quia affirmentur supra locum magnifica templa a Protonice aedificata; qua de causa nec Christi nec latronum Cruces in loco eodem recondi poterant. Quo ergo mentis criterio auctor inventionis huius tentare potuit conciliationem Scriptorum Latinorum Graecorumque narrationis cum Protonicis inventione? Etenim amissio Crucis et in eodem loco eius inventio incredibilis et impossibilis deprehenditur. De cetero penes scriptorem hunc nullum reperitur tentatae huius conciliationis indicium. At ea quae nullimodis apparent, affirmanda non sunt.

piendis et non recipiendis libris, secundum Iustelli codicem, demonstrari potest. Hoc decretum, quod latum perhibetur anno 494, citat cl. Duchesne, quamvis apochryphum existimet. In eo cap. IV legitur: " Item „ actus beati Silvestri apostolicae Sedis praesulis, licet „ eius qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana catholicis legi cognovimus, et „ pro antiquo usu multae haec (hoc) imitantur Ecclesiae.

„ Item scripta de inventione Crucis dominicae, et „ alia scripta de inventione capitis Joannis Baptistae „ novellae quaedam (al. quidem) relationes sunt, et „ nonnulli eas catholici legunt. Sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apostoli „ praecedat sententia: *Omnia probate, quod bonum est* „ *tenete*. 1. Thess. V (1).

Hoc itaque in testimonio. 1.° Scripta de inventione Crucis novellae relationes appellantur: at novellum non est quod ante centum annos prodiit, sed quod paullo ante.

2.° Scripta de inventione Crucis copulantur cum relatione inventionis capitis Joannis Baptistae; at ipse cl. Duchesne, *loc. cit. col. 2, nota 1*, affirmat, hanc referri ad factum notatum anno 453; idcirco annis 41 ante decretum Gelasianum.

3.° Relate ad inventionem Crucis et capitis Joannis Baptistae, actus Beati Silvestri antiqui vocantur: *et pro antiquo usu*. At cl. Duchesne, *Lib. Pont,, fasc. II.*, facta distinctione inter acta Silvestrina quae apud Latinos invaluere, et ea quae apud Armenos divulgata sunt, quaeque tempore priora existimat, affirmat pag. CXVII, num. 57 haec praecessisse Corenensis

(1) Patr. Lat., LIX, 161.

historiae — 460 — et Homiliae Jacobi Sarugensis post 473; consequenter divulgari coepisse primis quinti saeculi annis (1), ergo cum relate ad haec acta relatio de inventione Crucis novella in Gelasiano decreto vocetur, saltem annis totidem Silvestrinis actis posterior erit; collocari eam igitur oportebit post dimidium saeculi V. id est, vel anno 460 vel etiam postea.

Et hoc quidem ea in hypotesi, qua Gelasius locutus sit de S. Silvestri actis juxta formam syro-armenam: etenim si de latina forma, cum haec posterius invecta sit, etiam de breviori tempore verba Gelasii interpretari deberemus (2).

Hisce autem illationibus contradicere non videtur Sozomenus dum in testimonio supra relato affirmat, locum Crucis *patefactum fuisse sive indicio cujusdam Hebraei in Orientis partibus degentis, ut quidam ajunt, qui paterno quodam scripto edoctus rem indicaverit, sive* etc.; ex quo testimonio cl. Duchesne infert legendariam relationem Judae Cyriaci Sozomeno, quoad aliquid saltem, notam fuisse (3).

Etenim ex quo Sozomeni aetate diceretur a quibusdam, crucis locum detectum fuisse indicio cuius-

(1) L'Histoire de l'Arménie est du milieu du V^e^ siècle environ; l'homélie de Iacques de Sarug est postérieure: elle a été prononcée plusieurs années après 473. On n'est pas trop hardi en supposant que la légende avait à peu près un demi-siècle de popularité au moment où elle entra dans de telles compositions littéraires. De cette façon ses origines, dans le monde Syro-arménien, remontent vers le commencement du V^e^ siècle.

(2) Plurima, eaque ingenio suo digna hoc in Capite *Constantin et Saint Silvestre* vir eruditissimus inquirit et disputat. Utrum vero rem fuerir assecutus, peritiores iudicent.

(3) Il est vrai que Sozomène doit avoir eu connaissance au moins de certains détails de cette version. Ibid., CIX, col. 1.

dam Hebraei, non sequitur vel a Sozomeno fuisse Iudam Cyriacum indigitatum, vel huius acta scripta iam fuisse. Id insuper ad Sozomeni aures ex vulgari quadam narratione pervenisse potuit; quod indigitari arbitror per illa verba: *ut quidam aiunt*, quae nemo demonstrabit ad scripta documenta referri. Attamen fatendum est, neque ipsum Duchesne in cit. testimonio categorice affirmare, verba Sozomeni ad scripta documenta referri. Et quidem prudentissime. Etenim ex hoc ipso testimonio demonstratur, neque Cyriacum neque eius acta Sozomeno nota fuisse. Etenim cum inventionem Crucis post Concilium Nicaenum statuat, ut statuenda est; consequenter post annos sexdecim a pontificatu Eusebii (309-310), quomodo putare Sozomenus potuit, Helenam reperivisse Crucem illius Hebraei indicio, de quo mentio erat in actis Iudae Cyriaci? Hoc enim indicium sexdecim ante annos quam Ierosolymam peregrinata fuisset, supra sanctum montem Golgotham Helenae praebuisset Hebraeus ille. Cum itaque si Cyriaci acta legisset Sozomenus, fabulam esse deprehendisset indicium a Iudaeo Helenae exhibitum, ut et reliqua falsa deprehendisset, existimare debemus fore ut indicium hoc nec nominasset Sozomenus, utpote absolute falsum, atque ab aetate repertae per Helenam Crucis omnino alienum.

(*Continuabitur*).

IOSEPHUS PENNACCHI
in Collegio Urbano de Propaganda Fide
Hist. Eccl. Professor.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

I.

DE CONOPEO SUPER TABERNACULO.

In quadam Italiae Cathedrali Ecclesia ita efformatum est Tabernaculum pro asservanda Eucharistia, ut eius forma praegrandior sit et instar sacelli, neque super altari tamquam basi positum, sed potius in altum aliquantum elevatum, veluti suspensum maneat. Insuper in singulis partibus undequaque contegitur ex materia lignea, cum Tabernaculum sit marmoreum, affabre elaborata atque auro obtecta. Hinc in illa Ecclesia vehemens suborta est controversia circa Conopei usum. Etenim quidam sustinent adhuc esse necessarium Conopeo Tabernaculum cooperire, cum lex nimis explicita sit: alii vero iudicant, seu praegrandioris formae causa, ut in aliqua ex Basilicis Romanis, seu a fortiori ob ligneam materiam, quae totum contegit Tabernaculum marmoreum, nulla ratione exigi ex lege Conopeum. Nec quidam desunt, dicentes Conopei legem in casu non obligare, quia cum super altari, ubi Tabernaculum Sacramenti collocatum est, baldachinum in excelsiori loco extet, hoc sufficit. Interim Rmus illius Ecclesiae Archipresbyter disceptantium exoptans tranquillitatem, legumque ritualium simul observantiae studens, secum diligenter quaerit:

1. *Quid de origine et fine Conopei super Tabernaculum?*

2. *Quid impraesenti leges rituales praescribant de usu Conopei, et utrum indiscriminatim semper applicandae?*

3. *Quinam ex disceptantibus, ut in casu, aeque interpretentur legem?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Angeli Melampo ex Dioecesi Montis Politiani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 19 Nov. 1890: acta Epitoma per R.mum Dom. Dom. Joseph Piazza ex Praelatis Romanis.

1. Primo quaeritur de origine, et fine Conopei.

Vox *Conopeum* a graeca lingua ducit originem, Κωνω πεῖον, vel κονο πιον, derivaturque a Κωνωψ-κώνωπος, quod latine *culicem* dicimus, italice *zanzara*. Κωνω-πεῖον autem verbo respondet, quod italice *zanzariere* nuncupamus, et cui proprie conopeum latine respondet, quo lecti quandoque sepiuntur (1). Istud vero vocabulum quodammodo Liturgia consecravit, sibi velut exclusive adoptans, ad significandum velum, vel cortinam, quo Tabernaculum tegitur, in quo almum Eucharistiae reconditur Sacramentum.

---

(1) Apud Aegyptios adhuc in usu est, quos ex paludum Nili propinquitate, maxima culices molestia afficiunt, sed in quibusdam Italiae quoque regionibus, et Graeciae, aliisque Mediterraneum circumstantibus. — Conopeum vocatum fuit et velum, quod ponebatur inter Sacerdotem et baptismalem fontem, dum puellae baptizabantur; hinc forte, ait Moroni (*ad verb.* velo), baptisterii Conopeum. — Hoc quoque nomine nuncupabatur tentorium, quod podium exornabat, ubi duos inter Consules in Circensibus assidebant Romani Imperatores. — Idem exhibent nomen Isidor. Or. XIX, 5, 5: Iudith, X, 21, et XIII, 9: item Orat. Propert. Varr. etc.

Antiquitas Conopei iuxta sacram significationem a Tabernaculi antiquitate dependet. Hinc necessitas vetustam consuetudinem perpendendi diversasque rationes, quibus consuevit Ecclesia SS. Eucharistiam asservare, ut huiusmodi medio haud solum antiquitatem, sed originem, et finem Conopei facile detegamus.

Eucharistiam ab ipsis Ecclesiae incunabulis asservatam fuisse pro infirmis, pro indubio tenendum est, multisque auctoritatibus demonstratum: ut nec probari debeat, neque hic eiusmodi probationi daretur locus. Modum itaque tantummodo eiusdem asservationis, ceterum vetustioris, innuam. In primis tribus Ecclesiae saeculis rarius in templis seu hypogaeis custodiebatur Eucharistia, persecutionum causa, quibus Ethnici operam continuo dabant; profanationibus infinitis secus fuisset exposita. Hinc fideles almum Sacramentum domi servabant, quod in Missa, maxime dominicis diebus celebrata, recipiebant, ut de illo reliquis hebdomadae diebus participarent (1). Id consuetudinis finem habuit, cum, persecutionibus remissis, templa aedificare ceptum est, et fideles, timore abiecto, divinis potuerunt mysteriis securius assistere (2).

Saeculo quarto, Serapionis historia (3), mors divi Ambrosii, ac prodigiosa S. Gorgoniae sanatio, ineluctabilem ostendunt Eucharistiae asservationem in

---

(1) Hanc innuunt consuetudinem *Actus Apostol. (cap. 11, v. 46)*, Tertullianus (*Ad uxor. Lib. II*), S. Cyprianus (*De Lapsis*), S. Basilius (*Epist. ad Caesariam Patric.*) aliique plures.

(2) Baronius tenet, eiusmodi usum fere cessavisse in Occidente incipiente VI saeculo, longiori perdurasse aetate in Oriente *V. Corblet, Essai historiq. et Liturgiq. sur le ciboire etc.*

(3) Euseb. Histor. VI, 44.

pluribus Ecclesiis (1). Quae facta manifesti arguunt mendacii Hospinianum (2), qui audet asserere praefatam consuetudinem, nonnisi post II Lateranense Concilium, sub Innocentio III, fuisse invectam (3).

Tribus usa est mediis latina Ecclesia pro Eucharistia in Ecclesiis custodienda, nempe in sacrariis, ad altare suspensa, et in Tabernaculis, quae vel altari adhaerebant, vel peculiarem praeseferebant formam. Vetustius Eucharistiae custodiendae medium, sacrarium erat, proinde *pastophorium* dictum fuit, *diaconicon, vestiarium, secretarium, episcopium* (4). Sacrarium enim, utpote Ecclesiis attiguum, veluti rerum sacrarum erat repositorium (5). Cum autem species consecratae in episcopio haud conservabantur, in parvo reponebantur armadio, quod etiam *sacrarium* nuncupabatur, in pariete effosso, vel in structili columna, ut plurimum ad latus Evangelii (6). Censet Pelliccia,

---

(1) Ambros. De Elia et Ieiun., cap. 1, (*Epist. ad* Felician.) Scheelstrate (*De discip. arcan.*) Pouget (*Instit. cathol. T. II*): Grancolas (*Ancien Sacrement etc.*).

(2) De Origin. et Ritib. vet.

(3) Corblet (*Memoire*).

(4) Idem : Ulpianus (*Lib. I, Digest. tit. 8.*) Constit. Apost.

(5) Ulpian. (*loc. cit.*) : Paschal (Diction. de Liturgie, Col. 103) haec habet : « Dans les premiers siècles, les vases sacrés, et le saint viatique étaient conservés dans des édicules attenant à l'église, et offrant quelque ressemblance avec nos sacristies... Le Pape Léon IV (847-855) ordonna que le saint viatique fût toujours conservé dans les sacraires des Église : » « Ut in sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit (In Decr.) »

(6) Paschal. (*Dict. Liturg. col. 1186*): Dans les premiers siècles et dans le cours du moyen-âge, le saint viatique étaint souvent réservé dans une niche ou armoire creuse derrière l'autel, ou à l'un de ses côtés, ou bien encore dans l'epaisseur d'un pilier du san-

christianos custodisse Eucharistiam ita prope dispositam, uti larium aediculas in ethnicorum domibus. Hae autem simplices erant loculi, seu mensulae, quae armariola imaginum Penatum aliorumve numinum sustentabant, ante quas erigebatur altare, et lampades ardebant. Haec itaque huiusmodi asservationis origo: loculus, vel armariolum: loculus effodiebatur in muro, armariolum erat e pariete prominens (1): quandoque etiam efformabatur subtus altare (2). Haec armariola eucharistica esse quoque poterant ad instar rerum mobilium, quae apud altare deponebantur (3). Quae armariolorum consuetudo permulto tempore perseveravit, maxime in Gallia meridionali, in Italia et Germania (4). At, si loca perpauca excipias fere ubi-

---

ctuaire, ordinairement du côté de l'Évangile. Cette niche... s'appellait *armarium, armariolum, armatrium, conditorium, custodia, fenestella, repositorium, sacrarium, tabernaculum etc.*

(1) Barbier de Montault (*Les tabernacles de la renaissance à Rome*).

(2) Paschal (*loc. cit.*).

(3) Corblet (*loc. cit.*).

(4) Idem Corblet (*loc. cit.*) ait: « S'il fallait s'en tenir à la version donnée par quelques savants d'un canon du deuxième Concile de Tours, tenu en 567, il en resulterait que cette assemblée avait prescrit de ne plus placer l'Eucharistie dans un armoire, mais de la suspendre sous la croix du Ciborium. » Saeculo XIII armariolum adhuc in usu erat in regione belgica, uti ex Statutis constat Leodiensis Ecclesiae: « Corpus Domini in honesto loco sub altari vel in armariolo... custodiatur. » Longo etiam tempore perseveravit, perduratque adhuc in pluribus Germaniae templis; ubi *est reservé dans une niche, creusée dans la muraille, du côté de l'Évangile: il est abrité par un rideau de soie, une porte en bois, et une grille de fer.* (*Bulletin de la Société des Antiquaires de l'Ovest, année 1839, p. 30*). Eucharistia in armariolo pariter Romae adhuc impraesenti asservatur in medio altaris pariete in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem.

que gentium sacrarii usus exolevit, cui suspensa suffecta fuerunt ciboria, quae, uti Corblet animadvertit, decori et commodum addunt (1).

Saeculi IV initio, Constantino imperante, eodem cernimus tempore turres et columbas, dum tertio saeculo neutrarum vestigium apparet (2). Eiusmodi vasa nunc aurea, nunc argentea, nunc ex alia materie, instar columbarum confecta, tam in Occidentis quam in Orientis Ecclesiis communia erant; et quamplurimi de iis loquuntur scriptores. Similiter de turribus permulti disseruerunt auctores, uti Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, aliique sexcenti. In usu fuerunt similiter alterius materiae pixides, Tabernacula suspensa, apertae cuppae instar, nec non quaedam

(1) Le saint ciboire, ait Corblet (*Essai historiq. et Liturgiq. sur les ciboires et la reserve de l'Eucharistie*, Paris, 1858), soit qu'il fût en forme de colombe, de tour, de coupe, ou de coffret, était suspendue au dessus de l'autel à une corde, ou à une chaîne, que soutenait une crosse, un palmier, ou une simple potence en fer.... Il était entièrement enveloppé d'un pavillon d'étoffe, et recouvert d'un dais en métal... Cette chaîne passait dans la tige de suspension; et le Célébrant n'avait qu'à ouvrir une petite parte, percée dans cette tige pour faire descendre la colombe sur l'autel...

(2) Id omnes cum citato Corblet Archeologi rei liturgicae communiter tradunt, uti Ronsveido (*Not. ad Epist. 125 Paulini*): Novarinus (*In regno eucharistico Lib. V, cap. LV*): Muratori, Baronius (ad ann. 57): Thiers, Lebrum, Grancolasius, De Vert, Ciampinius, Barbier de Montault (*Le tabernacle de la Renaissance à Rome*), et alii plurimi. In Gallia, ait Corblet, a saeculo XVI tombèrent en discredit. « Cependant au XVIII[e] siècle il y avait encore quelques colombes et quelques tours suspendues, comme le témoignent Pierre Lebrun et Claude de Vert.» In pluribus Urbis Ecclesiis Eucharistiae custodiae per ipsos Pontifices provisae sunt, uti ab Innocentio III accipimus, qui unam fecit argenteam columbam pro Ecclesia SS. Gervasii et Protasii, ut Anastasius testatur. Constantinus aliam auream donavit Ecclesiae S. Petri, etc. etc.

capsulae super altare pariter suspensae, quarum forma discriminabatur, sicuti et materia, iuxta temporum locorumque adiuncta (1). Iam vero ad hanc usque aetatem nulla Tabernaculi vestigia inveniuntur, saltem illius instar quo impraesenti utimur: consequenter de Conopeo ad praefata usque tempora vanum esset inquirere. (2) Eucharistiae turres, quae ut nu-

---

(1) Pluries citatus Corblet iure animadvertit, haud parvam fuisse libertatem Ecclesiis ad modum quod attinet Sacramentum asservandi: ut media aetate, in eadem dioecesi, aliae uterentur armariolo, aliae turribus suspensis aut columbis, aliae in sacrario idem Sacramentum custodirent, aliae super altaribus. Quinimo, ait, *dans une même Eglise plusieurs modes de reserve étaint parfois simultainement en usage.*

(2) *Saltem illius*, diximus, *quo in praesenti utimur*; si enim et a forma abstrahamus, et a nomine, ad prima ascendere Ecclesiae saecula Conopeum iure credimus. Formam enim, uti patet, custodiam Eucharistiae imitari necessum fuit: nomen autem genericum esse potuit, uti *cortina*, *velum*, *tentorium* etc. quibus nullo forte tempore caruisse Eucaristiae vasa tenendum est. Perantiquus enim mos iste fuit, nam ait Paschal: « Personne n'ignore, que le tabernacle de la loi de Moise déstiné a renfermer l'arche d'alliance, était une *tente*, comme l'exprime la signification du mot *tabernaculum*. Par imitation du tabernacle de l'ancienne loi, l'arche sainte déstinée à renfermer la sainte Eucharistie... a reçu le même nom ». Et alibi tradit, tabernaculi nomen tributum esse Eucharistiae custodiae *par analogie avec l'ancienne custode, qui avait reçu ce nom, parsqu'elle était recouverte d'un tente de soie* (Dict. de Liturg.). Corblet tradit: « Le nom du tabernacle donné au ciboire indique le constant usage de l'envelopper dans une espèce de *tente* (*Essai historiq. etc. pag. 243*) ». Idem tradit Viallet-le-Duc (*Diction. du Mobilier, cap. 1, p. 246*): « Le nom du tabernacle nous indique, que dans l'origine le meubles destinés à renfermer la sainte Eucharistie devait être revêtus d'une sorte de *tente* ».

Hinc a IV saeculo, quo cepit libertas Ecclesiae, custodiam videmus Eucharistiae velis tectam et ornatam: quae vela eodem

per diximus, in sacrariis vel armariis, aut super altare suspensae erant, ut plurimum super idem altare collocabantur sacrificii tempore (1). Inde citra dubium

---

saeculo altaria exornare ceperunt, ait De Rossi (*Bollett. d'Archeol. cristiana, Ser. III, an. I, pag, 100*). Ciborium autem exortum est quarto saeculo, *c'est-à-dire*, prosequitur Martigny (*Diction. des antiquit. chrétiennes*) *de la même époque de suspendre au dessus de l'autel le vase eucharistique.* Hinc velorum defectu *l'on exigeait toujours l'emploie des palles ou corporaux* quae veluti cortinae erant clausae, et Eucharistiam cum toto altari abscondebant (*Bourassé, Diction. d'Archeolog. sacrée, col. 421*). Ipsa turris Eucharistica tegebatur *par une petite tente en soie*, ait Corblet (*Des vases et des utens. eucharist.*).

Eucharistiae velandae usus fideliter perseveravit, cum ad altaria vasa eius adhaerere ceperunt, nempe ceptum quoque est *de couvrir d'un petit pavillon de soie le vase eucharistique* (Paschal Dict. Liturg.) Durandus tenet, XIII saeculo incepisse usum locandi super altare in nonnullis Ecclesiis parvum tabernaculum, quod *était recouvert d'un pavillon de soie* (Paschal, loc. cit.) Idem tradit Corblet, hoc est saeculo XIII ceptum fuisse uti mobili tabernaculo super altari, *qui consistait en un coffret de bois ou de métal, recouvert d'un pavillon de soie.*

Ex his, aliisque, quae brevitatis ergo praetermittimus, indubiis documentis, abunde patet quam profunde radices egerit in Ecclesia consuetudo Eucharistiae custodiam velis tegendi et exornandi. Proinde toto iure dicimus cum insigni archeologo Barbiér de Montault: « Ceux donc, qui reclament contre le pavillon du tabernacle, curés ou auteurs, témoignent hautemente leur ignorance en matière de Rites et d'Archéologie. Il feraient mille fois mieux de se taire, que de chercher par leurs railleries ou leur abstention à entraver une des formes du culte, laquelle demeurerà malgré eux, parce qu'elle est basée d'une part sur le droit, et de l'autre sur une tradition vieille de six siècles au moins (*Le tabernacle de la Renaissance etc. Revue de l'art chrét. an. 1879, pag. 282*). »

(1) Georgius, *De Liturgia Rom. Pontificis, Disquisitiones de sacr. minister.* Cap. XVI. Indubiis comprobat testimoniis hanc veritatem, quam confirmat in fine dicens: « Solemne hic mos Romanae Ecclesiae fuit, ut Missa maior non celebraretur, nisi Eu-

Tabernacula altari adhaerentia, quae permulto tempore primitivi typi retinuerunt formam (1). E Tabernaculis igitur, seu ciboriis, super altare suspensis, Tabernacula altari adhaerentia hauserunt originem (2).

At a quonam adhiberi tempore eiusmodi Tabernacula ceperunt? A saeculo circiter decimo tertio (3): licet non sit tenendum ab eorum initio illa fuisse eiusdem omnino formae, quam quae modo in nostris conspiciuntur Ecclesiis. Quinimo hodiernae formae Tabernacula in medio et super altari posita, nonnisi ad finem XV saeculi ascendunt. Nunc itaque inquirendnm, utrum hoc a sua origine Tabernaculum altari adhaerens, tectum exornatumque conopeo fuerit: cui petitioni affirmativum posse dari responsum iudicamus (4).

---

charistia ex praecedenti diei sacrificio, e secretario ad altare deferretur: et quidem Romae sub initio *Introitus*, in Galliis ad Offertorium. »

(1) Corblet. *Des vas. et des utens. eccl. etc.*

(2) Idem Corblet: (*Essai histor. sur les ciboires*) ait: « La considération de la comodité l'a emporté sur le sentiment du beau, et les tabernacles adhérents à l'autel ont remplacé les suspendus.

(3) Durand de Mende: Paschal: Grancolas, et alii id docent; non tamen desunt qui ad saeculum XV, uti Corblet, et qui ad XVI tantum dicunt ascendere, uti Caumont (*Cours d'antiquité monumentales, t. VI, p. 161*). Sed hic fortasse loquitur de Tabernaculis eiusdem prorsus formae ac nostra.

(4) « Dès le XVII[e] siècle on a donné le nom de Conopée au pavillon, dont on entoure l'extérieur du tabernacle (*Corblet, Histoir. etc. loc. cit. pag. 564*) ». Addit, eius usum haud fuisse communem, et S. Carolum verbum de eo non dixisse; sed error hic est. Nam Emus Borromaeus illud describit: « Ample undique pateat pro tabernaculi maioris amplitudine: ita ut a summa parte crispatum, in fimbriis etiam non anguste, sed longe latius decenter respondeat (*Instruct. de Fabr. Ecc. Lib. III, pag. 199*) ». Concilium pariter Aquisgranense habitum an. 1583 praescribit tabernaculum *circumvestitum ab exteriori parte Conopeo amplo et serico*

Namque, uti superius adnotavimus (*not. 2, pag. 21*) indubium est, communem ac prope universalem extitisse consuetudinem Eucharistiae custodiam velo cooperiendi. At vix intelligitur quomodo huiusmodi consuetudo, tot caute saeculis custodita, Ecclesiaeque spiritui conformis, illico ob novam Tabernaculi formam habuisset finem. Haud profecto id facile intellectu foret, quippe quod maxime in rebus liturgicis consuetum Ecclesiae est, traditiones fideliter servare, quae per successiva saecula magis magisque velut in sino suo explicantur.

Sed non certiora argumenta desunt. Nam saeculo XVI verba facta sunt de Conopeo, tamquam de re in communem recepta usum. Sane, S. Carolus Borromaeus illud describit, nec eius verba vel remote

---

item, sed auro et argento intexto. Mediolanense IV (1576) similiter vult tabernaculum *Conopeo etiam decenti pro Ecclesiarum facultate... obtectum.*

Cl. Barbier de Montault censura notat *Conopée*, gallice dictum latino vocabulo *Conopeo* respondens, mavultque pro *Conopée* pavillon, illudque appellat *néologisme stupide.* Quid nimis hoc nobis apparet. Aliud est *pavillon*, quod satis late patet, aliud vero *Conopée*, quod in praesenti velut exclusive liturgice accipitur ad ornatum Tabernaculi significandum. Notatu dignum, quod anno 1161 *Philippus pater regis, canonicus noster,* ait Capitulum Cathedralis Parisiensis, *et archidiaconus dedit nobis... Conopeum, quod suspenditur super altare* (Gherard — Cartulaire de N. D. de Paris, t. IV^{e}, p. 142). Haud novum est, in idiomate liturgico quoddam reperire vocabulum, eiusdem idiomatis omnino proprium. Ceterum *Conopée* in pluribus notatur Lexicis Gallicis, uti ex. gr. in Dict. Universel Boiste, in alio Alberti, in *Glossaire Français* Du Cange etc. Excusatione proinde, nisi et approbatione digni videntur nobis Gallici caeremoniarum magistri *modernes*, qui *s'obstinent à nommer Conopée* ornamentum Tabernaculi, nec illud merito nuncupari neologismum posse vel vocabulum nihil significans, *ne dit rien* (*Revue de l'art chrétienne, t. XXVII^{e}, pag. 259*).

ad aliquid novi relationem dicunt, sed potius ad praxim a multa iam aetate inductam; agit enim de forma, cuius esse debet, quidque habere fas sit, ut *moris est.* Ergo Tabernaculum extitisse iam satis ante illa tempora indubie tenendum est. Concilium Aquisgrani habitum (*an. 1583*), nec non IV Mediolanense de Conopeo similiter tamquam de communiter invecto usu loquuntur. Ex quibus argui haud immerito potest, Conopei tunc fuisse usum exortum, cum primo adoptari idem Tabernaculum cepit, uti in praesenti habetur.

Inquiri iam poterit, unde originem Conopeum duxerit. Sed haud difficile erit satis petitioni fieri, si antiquiorem perpendamus altaris formam: quod in unica consistebat tabula, cortinis ac velis circumsepta, ut nos Archeologi doçent, quarum forma est eadem omnino ac Conopei (1), similitudinem referentis illius, quo lecti circumdantur, et, uti superius dictum fuit, conopeum proprie dicitur.

Ait Paschal (2), fuisse altare contectum baldachino ad instar Conopei, maxime in Oriente, sed et Romae (3): qui tamen desiit usus cum ceptum fuit altaria absidi admovere, et tunc temporis certe

(1) Huiusmodi nominat vela Anastasius Biblioth. in vita S. Sergii I Papae, Gregorii III, Zachariae, Adriani I etc. Item de iis sermo habet S. Io. Chrysost. (*Hom. III, Inc. Epist. ad Ephes.*), Dict. Arch. Migne (pag. 404) in descriptione altaris, Martigny in Dict. des Antiquit. Chrétien., Mallet in Essai sur les autel, p. 53, aliique plures. Vela ista et cortinae autem aliquam inveniunt relationem in illo Iudith: « Abstulit *conopeum* eius a columnis etc. (*Cap. XIII, v. 10*) ».

(2) Diction. de Liturgie, V. *Baldachin.*

(3) Toutefois ce rideau était infiniment commun en Orient, même à Rome, que dans nos Eglise de France, parce qu'ici on étendait entre l'autel et les fidèles un grand voile (*Loc. cit.*). Vid. etiam Bouquillot Traité histor. de la Liturgie sacrée, p. 106.

Conopei consuetudo locum habuit, uti in praesenti extat, in antiqui memoriam. Ad vocem *Templum*, ait Moroni, vetustiora altaria describens: " In quatuor altaris angulis columnae quatuor quandam baldachini seu tabernaculi speciem sustentabant, cum cortinis in lateribus, quae utrumque abscondebant, quas hodierna Conopea memorant (1). Ex illo itaque baldachino, seu potius ex iis cortinis, quae baldachinum et altare tegebant, tamquam e prototypo, nostri originem trahit forma Conopei, quae profecto et significationem nominis satis abunde comprobat. Nostrum tamen Conopeum memoriam quidem, ad nomen quod attinet, prototypi servavit, non vero quoad formam, quae plane singularis evasit ob ipsius Tabernaculi formam, cui illud necessum fuit conforme reddere.

Ad finem quod attinet Conopei super Tabernaculum, haud a vero abire credimus, si dicamus, illud in maiori consistere ornatu exteriori, qui almum Eucharistiae Sacramentum omnino decet. Tabernaculum enim, divini amoris est thronus (2), in quo Christus

(1) Cf. Barbier de Montault nihilominus censet Conopeum originem trahere a velo quod vetustas tegebat Eucharistiae custodias, super altare suspensas: « De cette tente, qui a donné son nom à l'ensemble, est derivé le pavillon, dont au Romain, on couvre le tabernacle (*Vid. Not. 2, pag. 21*) ». Idem tenet Bingham (Orig. sive Antiq. etc. tom. III, pag. 233), qui § XVIII habet — De Ciborio seu Conopeo altaris. — Sed e contra Corblet ait: « Le vêtement (le pavillon du Ciboire) est un souvenir du voile, nommé autrefois custode au tabernacle, dont on enveloppait la pyxide suspendue au dessus de l'autel (*Hist. de l'Euch. t. II*e*, pag. 314*) ».

(2) Thronus hebraice *chissé* e radice *casah*, quod tegere significat. Ratio est, quia reges sicut et iudices sententiam aliquando laturi, velo aut cortina quadam tegebantur, ne viderentur a populo. Vel ita dictum fuit, quod regale solium auro gemmis, pretiosisque aulaeis operiretur (*Ephemer. Liturg. an. 2, pag. 41*).

residet. Cumque nullus extet sine externo apparatu thronus, dedeceret profecto, si eo careret thronus Dei viventis. Quod facile unusquisque sibi persuadebit, si animadvertat, primitivae Ecclesiae Conopei memoriam esse nostrum, ut proinde eumdem ac illud finem habere debeat. Iam nunc cum Migne iure affirmamus, morem altaria cum velis exornandi, vestigium fuisse veli, quo tegebatur Iudaeorum templum. Id autem pro certo habebimus si perpendamus antiquiorem quarumdam Ecclesiarum consuetudinem, qua in aditu Sanctuarii ita apponebantur vela, ut fideles separarentur ab altari (*Diction. d'Archéolog. col. 421*) (1). Alibi autem idem affirmat (*pag. 479*), morem huiusmodi (2) inter ecclesiasticos antiquiores usus invenire sanctionem, et vel arcae foederis memoriam constituere, vel tabernaculum antiquae legis innuere (3). Cum ergo antiquum Conopeum quarumdam sacrarum consuetudinum sit memoria veteris testamenti, non est, cur in nostro similiter, idem haud possit debeatque ac in illo inesse finis.

2. Secundo quaeritur, quid praescribant circa Conopei usum Ritualis leges, et utrum semper, absque ullo discrimine, applicandae sint?

Supponimus imprimis, Eucharistiae Sacramentum in uno tantum, eoque elegantiori, ex Ecclesiae altaribus servandum esse, haud vero in pluribus, saltem permanenter; idque indubie constat ex dispositione

---

(1) Maxime in Galliarum Ecclesiis, uti alibi observavimus (*V. Nota 3, pag. 25*).

(2) Qui cessasse videtur in Ecclesia Latina circa saeculum XIV.

(3) « Ne pourrait-on pas voir encore dans ces rideaux entourant l'autel un usage emprunté aux Iuifs, dont les Saint des Saints était séparé des autres parties du temple par un immense voile? (*Mallet, Essai sur les autels, pag. 53*) »

S. R. Congregationis (1). Itaque Conopeo illud tantum cooperiri debet Tabernaculum, in quo SS. Eucharistia reconditur, haud vero alia, ne in errorem inducantur fideles, in cultus actibus illi tribuendis. Conopeum autem praedicta ratione adhibendum esse, lex extat explicita in Rituali Romano: " Tabernaculum sit Conopeo decenter opertum (*Tit. 4, cap. 2, n. 6*) „. Quae ulterius confirmationem accipit per S. R. Congregationis decretum in *Briocen.* sub die 21 Iul. 1855 ad 12: quo ad dubium, *Utrum Tabernaculum in quo reconditur SS. Sacramentum Conopeo cooperiri debeat, ut fert Rituale,* affirmative respondetur. Denique anno 1866 sub die 28 Aprilis eadem S. R. Congregatio praecedentibus inhaerens proclamavit: " Tabernaculum tegendum est Conopeo iuxta praescriptum Ritualis Romani (*S. Iacobi de Chile*). „ Ergo citra controversiam concludendum, Conopeum super Tabernaculum, in quo SS. Sacramentum asservatur, ex certa lege ponendum esse.

Iam nunc videndum, utrum quaedam peculiares rationes, uti in petitione exponitur, ab ea lege applicanda excusare valeant. Ad tres eae reducuntur, et sunt: Enormis Tabernaculi granditas: lignum, quod instar Conopei elaboratum, illud cooperit: denique baldachinum in aëra super altare suspensum. Ad primam quod attinet rationem respondemus, eam iure

---

(1) S. R. C. in *Augustae Praetoriae* sub die 20 Iul. 1696 ad 3, responsum fuit: « Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum altari ab Episcopo designando. » In alio decreto, quod est *S. Iacobi de Chile*, declaratur ferri non posse consuetudinem plurium Ecclesiarum *asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus*, neque *occasione Novendialis aut alicuius festivitatis:* quod tamen intellige de asservatione permanenti; non vero, uti arbitramur, tempore solummodo functionis (*16 Mart. 1861 ad XIII*).

posse sufficientem dici, ut lex non applicari possit. Nam Tabernaculi magnitudo ingens Conopei usum fere impossibilem reddit, adeo ut pro illo cooperiendo totum propemodum tegendum esset altare. Insuper legum spiritus in genere haud eiusmodi est, ut obligare valeat cum gravi incommodo, quale profecto esset casus, immensum Ecclesiae Conopeum acquirendi, proindeque nonnisi cum gravibus expensis. Hinc, vidente ac silente auctoritate, Romae conspicimus Ritualis legem haud applicatam in aliquibus Basilicis, uti in Vaticana, in Lateranensi, in Liberiana, et S. Mariae trans Tiberim, quae Tabernaculum Conopeo nequaquam contegunt.

Tabernaculi magnitudini alia accedit ratio, de qua inquiri etiam potest, utrum dispensare valeat a praefato Conopei usu, estque eiusdem Tabernaculi pretiositas. Si nonnullorum exterorum auctoritati inhaerere liceret, respondendum foret affirmative (1). At, re ex lege perpensa, omnino negative reponimus. Nam S. R. Congregatio in una *Societatis Iesu* expetita, *An usus Conopei super Tabernaculo nunc censeatur obligatorius, et an pretiosa ornamenta ipsius Tabernaculi dispensent*, remisit ad decretum in *Briocen.* superius relatum (*11 Maii 1878 ad XII*); ergo pretiositas Tabernaculi ab usu Conopei non excusat. Praeterea in una *Auxitana* si-

---

(1) Cl. Corblet (*Hist. etc.*) ait: « A Rome même il n'est pas (*Conopeum*) consideré comme strictement obligatoire, surtout quand le tabernacle est une œuvre remarquable de sculpture, de ciselure, ou de peinture. Idem dicit cl. Barbier de Montault (*Les Tabernacles de la Renaiss. à Rome, pag. 258, not. 5*): « Le Pavillon est obligatoire en tout lieu: il n'y a d'exception que lorsque la matiere du Tabernacle est extrémement riche ».

Quae tamen asserta cum iure positivo collata, impraesenti tamquam vera haud certo habenda sunt, sed uti falsa reiicienda.

militer a S. R. Congregatione petitum est, *Utrum Tabernaculum SS. Sacramenti argento, auro, vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso a generali obligatione illud tegendi Conopeo sit immune;* et S. eadem C. respondit: " Servetur praescriptum Ritualis Romani (*7 Aug. 1880*) „. Ergo haud obstante auro vel argento, vel alia materia pretiosa, lex Ritualis indubie obligat. Uno in casu S. R. C. non quidem a lege dispensavit, sed prudenti arbitrio Ordinarii remisit legis observantiam, quo videlicet Conopeum adhiberi sine indecentia non poterat (*Vicariat. Apost. Utriusque Guineae, 27 Iul. 1878*).

Circa alterum, utrum nempe Conopeum ligneum suffici possit alteri ex velo vel panno, negative respondendum videtur. Primo animadvertimus, Conopeum, prouti fert consuetudo praesens, antiqui vestigium et memoriam esse, uti iam diximus. At haec significatio, quae plurimi in re liturgica fieri debet, cum Conopeo ligneo omnino cessaret. Secundo, verbo et spiritui legis, uti in Rituali Romano et decretis exprimitur, et iuxta communiter receptum usum, Conopeum ligneum haud respondet. Tertio, Conopei color aut albus esse debet, aut melius colori diei respondens, uti S. R. Congregatio declaravit in eodem, quod supra ex parte retulimus, decreto in *Briocen.* At vix ad colorem attendi potest, nunquam vero ad eius mutationem, si Conopeum ponatur ex materia lignea. His adde, nec tabernaculum denudari posse, quando ex lege altaria denudari debent: quod ad devotionem in Passionis Domini mysteria excitandam plurimum confert. Materia demum lignea cum tabernaculo facile confunditur, ut vix discerni possit, an Tabernaculum illa constituat vel Conopeum. Haec autem momenta inter se collata, prorsus ligneum Conopeum excludere videntur e Tabernaculo.

Quod ultimam rationem spectat, utrum nempe baldachinum in aëra suspensum ab usu Conopei excuset, pariter negative respondemus. Baldachinum requiri in altaribus, saltem ubi asservatur Sacramentum, indubium est; sed eius finis est omnino alius ac ille, ob quem Conopeum super Tabernaculum Rituale praecipit, proindeque alterum ab altero prorsus independens. Nam baldachini finis est maior altaris munditia, nec non divinae maiestatis splendoris significatio, est enim maximum maiestatis signum quod throno inhaeret, et totum altare afficit. Sed Conopeum est ornatus ipsius exigui throni amoris, uti iam exposuimus, et solum afficit Tabernaculum; ac potius ex sui natura destinatum ad Sacramentum sacra veneratione protegendum. Erit igitur baldachinum veluti fastigium throni, Conopeum vero tamquam regale throni paludamentum, vel melius tentorium, quo Tabernaculum exornandum est (1).

3. Ex discussis abunde patet, eos adamussim legem Ritualis et decretorum interpretari, qui tenent, necessarium esse Conopeum super Tabernaculum, etsi in altum paulo elevatum ab altari, et quamvis istud, baldachinum in aëra suspensum habeat, neque per Conopeum ex materia lignea legem impleri. Qui autem oppositum sustinent, Rituali et decretis S. R. Congregationis contradicunt, et maxime eorumdem spiritui. Item nec pretiosioris materiae causa, uti expositum est, ab usu Conopei excusare valet, adeo

(1) Caeremoniale Episc. haec de baldachino habet: « Desuper vero in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formae quadratae, cooperiens altare et ipsius scabellum (*Lib. I, cap. 12, n. 13*).

ut qui aliud docent, decreta pariter S. R. Congregationis contra se habeant.

Nihilominus animadvertendum est, casum verba facere de Tabernaculo praegrandioris formae, quae rationem sufficientem potest constituere, ut Ecclesia a lege Conopei observanda excusetur, sicuti superius dictum est. Quo posito, in Cathedrali Ecclesia, de qua agitur, necessarium haud erit Conopeum ponere super Tabernaculum; et materia lignea quae affabre quoque elaborata illud cooperiat et custodiat, nil prohibet quominus adhiberi possit. Sicut enim Tabernaculum ligneum permittitur, maxime si auro obtegatur, ita et ex ligno eodem nil vetat ut mormorei Tabernaculi custodia fiat, quae ipsam Tabernaculi externam figuram imitatur, ac aliud diversum Tabernaculum repraesentet.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Nota. Antequam ad consuetam dubiorum solutionem progrediamur, operae pretium est referre benevolam quandam observationem, ab uno ex eruditis Consociatis nostris, cui maximas referimus gratias, nobis factam, circa responsionem ad Dub. IV in num. 11 *Ephemeridum* nuper praeteriti anni 1891; ubi de *Alleluia* addendo ad ℣. *Panem de caelo,* in locis ubi de more fit secunda processio Corp. Chr. in Dominica post octavam festi, agebatur. Ibi sub fine responsionis, ratiocinando ad hanc pervenimus conclusionem: " Convenit ergo, ut et vox iubilationis *alleluia* non omittatur, sicut nec omittenda est in toto festo. Ita salvo me-

liori iudicio. „ Sed dictus Consociatus de decreto, quod nos effugit super hoc negotio, estque in una *Societatis Iesu* 18 Maii 1878 ad XV, Redactores *Ephemeridum* monuit. Et ideo quod nos salvo meliori iudicio agendum diximus, tamquam omnino certum habendum est.

I. *E Gallia.* **De S. Canuto in die non propria et S. Joanne Damasceno die sua occurrentibus.** Officium S. Canuti *ad libitum* fit in hac Ecclesia, ex facultate habita a S. R. Congregatione, die 27 Martii, cui diei nuper affixus est S. Ioannes Damascenus. Quaeritur: Supprimendus ne est e Calendario S. Canutus? An potius, relicta die 27 Martii S. Canuto, reponendus in prima die libera S. Io. Damascenus?

Resp. Suppono, die 27 Martii esse *propriam* S. Ioannis Damasceni, cum sit dies pro eo ab Apostolica Sede statuta in Calendario Universali; ac proinde in Martyrologio Romano citra dubium praefatus Sanctus tali diei erit affigendus. Licet ergo non natalitia, sed quasi natalitia, non tamen desinit esse propria (*V. Ephem. Liturg. an. 1890, pag. 591, n. 10*).

Ex innumeris Decretis, et peculialiter ex Generali Decreto Breviario praemisso, abunde constat, officia ad libitum transferri perpetuo non posse, ut in eorum sedibus alia reponantur officia, cum quibus si illa occurrant, vel omittenda sunt (*Congr. SS. Redemptoris, 31 Martii 1821 ad 7*): vel, si de praecepto quoque illa sint simplicia, commemoranda, uti fit de S. Remigio. At casus propositus omnino singularis est, primo quia ex una parte agitur de officio *ad libitum* iam perpetuo translato, seu reposito in die non propria, hinc privilegio donato: secundo ex alia, quia agitur non de officio tantum, sed et de festo illi diei affigendo, in quam officium *ad libitum* S. Canuti translatum est.

Quid ergo censendum? Arbitramur *a*) festum S. Ioannis Damasceni diei 27 Martii, prout in Calendario universali, ita et in particulari, de quo in casu, esse affigendum. 1. Quia dies 27 Martii est propria huius Sancti, haud alterius. 2. Quia etiam ritus S. Ioannis Damasceni est superior ritu, quo S. Canutus recolitur. 3. Quia festum praevalere debet officio. 4. Hoc uniformitati omnino conforme est Calendarii universalis; si enim relinqueretur S. Canutus die 27 Martii, consequenter S. Damascenus ad aliam amandaretur diem, duae sedes haberentur in Calendario loci extra diem propriam, dum e contra una tantum. Ita nos sentimus. *b*) S. Canutus iuxta A. Carpo, ad aliam diem amandandus esset, seu in prima die libera reponendus, et cum iam translatus sit, ulterius progrediatur. Licet enim sit ad libitum, nihilo tamen minus privilegio translationis donatus est, uti patet. Primo, quia iam ex decretis eamdem conclusionem intulerunt Rubricae Franciscales, uti videre est in eodem A Carpo (*Calend. perp. cap. IV, n. 15*), qui ait: " Si contingat, *officia ad libitum* in diem aliam ex privilegio adduci, communibus legibus subiiciuntur. „ Secundo, quia Cavalerius commentans Decr. VII Cap. in Ord. CLXXII, eamdem conclusionem inferre videtur, cui et Rubrica Franciscalis innititur (*V. Tom. II, pag. 65*).

At bona cum venia primi relati auctoris, oppositum tenendum esse arbitramur. Primo, quia lex de officiis *ad libitum* omittendis, aut ad summum commemorandis, si cum natalitiis Sanctorum occurrant quamvis perpetuo, omnino certa est, uti patet ex Decretis in *Mexicana* (*20 Nov. 1677 ad 5*), et *Granaten. 24 Jan. 1682 ad 1*). Secundo, quia ex quo S. R. Congregatio pro una vice permiserit officium *ad libitum* transferri, nulla ratione sequitur, idem acquirere, uti

praeceptiva, ius perpetuum translationis. Tertio, Rubrica Franciscalis legem pro Ordine constituit, non pro Ecclesia universali. Quarto, Cavalerius commentatur Decretum praefatum, quod respicit officium *ad libitum* impeditum ab alio officio duplici praeceptivo, et tamen eadem die sua recitari permissum, contra praeceptivum, quod transferri indultum est. Sed casus noster, alius est omnino; agitur enim de officio *ad libitum* una vice ex indulto translatum in diem 27 Martii, quae certo certius vacua erat ab alio praeceptivo officio. Nescimus ergo cui rationi innitatur conclusio, quam A Carpo infert. Nam si competens auctoritas indulgeat, ut officium *ad libitum* per praeceptivum impeditum, nihilominus die sua fiat, eiusque loco transferatur ipsum praeceptivum, iure cum Cavalerio inferri potest, eiusmodi officium *ad libitum*, ex mente S. R. Congregationis, etiam in alia occurrentia perpetua esse celebrandum. At ex eo quod S. R. Congregatio indulget, ut dies officii *ad libitum* transferatur perpetuo in aliam liberam non suam, nescimus quanto iure possit inferri, idem Sacrum Tribunal velle, ut ius perpetuum translationis acquirat, quo per alia indubia Decreta destituitur. Itaque concludimus, salvo meliori iudicio, S. Canutum die sua impeditum, esse e Calendario supprimendum, nisi novum privilegium repositionis a S. R. Congregatione exquiratur.

II. *Ex Andegaro.* **De unica Oratione in Missa privata defunctorum.** Quaeritur, an privilegium unius Orationis in Missa *de Requie*, ita Missis solemnibus vel cantatis proprie competat, ut nequeat in Missis mere privatis adhiberi, occurrente die ab obitu, tertia, septima, et trigesima in festo semiduplici? Et quatenus affirmative, potest ne Sacerdos uti Oratione *pro patre*

in istis diebus, loco illius quae ponitur in Missali pro die anniversaria?

Resp. Affirmative ad primam partem. Idque satis perspicue evincitur ex ipso Rubricae Generalis textu, nam Tit. V n. 3 haec habet: " In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum et in die depositionis... dicitur una tantum oratio: et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quandocumque pro defunctis solemniter celebratur ". Nam haec ultima verba non ita accipienda sunt, ut habeantur veluti explicativa et perfectiva praecedentium, sed, uti per particulam *et* clare perspicitur, accipienda sunt in sensu diviso et ut alterum comma. " Ponunt enim, ait doctissimus Cavalieri, dispositionem alteram, ac consequenter non afficiunt dies de quibus iam elocutum fuerat, sed Missas alias (*Tom. III, Decr. Cap. XI, XII, n. II*). "

Insuper hanc nostram ratiocinationem innumeri confirmant Liturgici; sed brevitatis studio, cl. Cavalerium et De Herdt tantum audiamus. Primus sic doctissime animadvertit super citatum Rubricae textum: " Dies istos (scilicet tertium, septimum etc.) etiam Breviarium duplici honorat officio, cui correspondet Missa cum una dumtaxat Oratione. Rubrica enim minime distinguit, sed simpliciter loquitur, unde par iudicium habendum est de Missis privatis, quas Missae solemni decet esse conformes. Missarum textus ipse unam dumtaxat Orationem adnotat, quin pro privatis exceptionem ullam faciat, ut igitur sub una tantum Oratione dicendae non erunt, cum Missae illae in usu sint tam pro solemni quam pro privata celebratione? (*loc. cit. n. I.*) "

Secundus etiam sic sapientissime commentatur Rubricam: " Dicitur una tantum Oratio in die Commemorationis omnium defunctorum, in die depositionis,

in die tertio ecc. Idque locum habet in omnibus Missis *de Requie* sive cantentur sive simpliciter legantur, non tantum in die commemorationis omnium defunctorum, sed etiam, modo Missae privatae defunctorum permittantur, in die obitus... tertio, septimo etc. Rubricae enim non distinguunt quoad hos dies inter Missam solemnem et privatam, et loquuntur eodem modo de die depositionis... et aliis, sicut de commemoratione omnium defunctorum, in qua in omnibus Missis dicitur una tantum Oratio (*Pars I, n. 65, R. 1*)."

Ad secundum pariter affirmative respondemus. Si unica tantum dicitur Oratio, haec conveniens esse debet personae aut personis pro quibus celebratur; idque ex decreto S. R. C. in una *Briocen.* d. d. 12 Aug. 1854: " Unicam Orationem dicendam in Missa *de Requie* cum cantu *pro anima illius quam designat eleemosynam exhibens.* " Sed cum Missae privatae in his diebus aequiparentur, ut diximus, Missae solemni cum cantu, ideo etiam in Missa privata Oratio debet esse conveniens personae aut personis, pro quibus celebratur, seu quas designat eleemosynam exhibens.

III. *E Santandero.* **De applicatione Missae in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.** Sacerdos vi privilegii tres Missas celebrans in die Commemorationis omnium defunctorum potest ne applicare primam et secundam Missam pro omnibus Purgatorii animabus, tertiam autem pro intentione stipendium dantis, iuxta declarationes S. R. C. in decretis quae inscribuntur n. 3819 ad 5, et n. 4119 ad 4? An e contra primam applicare pro intentione eleemosynam donantis, secundam vero et tertiam pro animabus Purgatorii, iuxta illud Benedicti XIV in Bulla, *Quod expensis,* (Sacerdotes) nonnisi unam accipiant eleemosynam, *videlicet pro prima Missa dumtaxat?*

Resp. Verba quae allegat Rev. Inquirens ex Bulla Benedicti XIV, non nimis urgenda sunt, et non ita ad literam, ut ipse, immemor fortasse illius, *littera occidit*, videtur accipere. Nam scopus et finis Bullae, ad infraenandam forsan quorundam Sacerdotum avaritiam, hoc unum erat: statuere et declarare eleemosynam pro una duntaxat Missa accipiendam esse; et ideo ly *prima* stat, ut ex spiritu Bullae fas est colligere, pro una. Accedunt S. R. C. declarationes, quas Rev. Inquirens citat, quae quamvis ad rem haud multum faciant, cum nullam mentionem de prima vel tertia Missa habeant, utpote datae pro locis ubi una duntaxat Missa celebratur, tamen si aliquid ex ipsis licet eruere, pro re nostra hoc est: ad libitum esse Sacerdotis vi privilegii tres Missas celebrantis, quamlibet ex ipsis pro intentione eleemosynam dantis applicare.

IV. *Ex eodem loco.* **De stola violacea in Via Crucis agenda.** Responsum in *Ephemeridibus* quoad colorem stolae in Via Crucis agenda, valet ne tantum pro tempore Adventus et Quadragesimae, an pro toto anno?

Resp. Semper stola violacea, in pio Viae Crucis exercitio peragendo, utendum est; rationes enim in *Ephem.* allatae aeque valent tam pro Adventu et Quadragesima, quam pro toto anni curriculo.

Sed si in fine, benedictio cum ligno S. Crucis esset impertienda, tum deposita stola violacei coloris, aliam rubei coloris assumendam esse iudicamus, de quo satis patet ratio. Hoc addas velim dubii III, de quo superius, solutioni, quam dedimus in *Ephemeridum* num. 11 nuper praeteriti anni 1891. Insuper emendamus quod ibi retulimus circa Emum, Viae Crucis exercitium peragentem. Nam istud vere peragebatur ab uno ex Religiosis Recessus S. Bonaventurae in

venerationem S. Leonardi a Portu Mauritio, qui de Instituto illo optime meritus erat, et eiusmodi exercitio initium dedit in amphitheatro Flavii. Unus autem ex Purpuratis Patribus aderat quidem, sed crucem deferebat maxima cum aedificatione fidelium. Haec iuxta veritatem.

V. *Ex Anglia.* **De Ecclesiae Titulari.** Nuper consacrata est ecclesia in honorem B. M. V. Immaculatae, et SS. Archangelorum: clerus huic ecclesiae addictus debet ne recitare officium S. Michaelis Arch. cum octava, supposito hoc festum esse secundum Titulum huius ecclesiae? vel an festa trium Archangelorum, suis respective diebus assignata, ut festa secundaria considerari possint, et consequenter celebranda ritu duplici minori?

Resp. Antequam ad propositi dubii solutionem progrediamur, haec in mentem revocanda sunt principia, de quibus pluries in *Ephemeridibus.*

1.° Titularis vel Titulus ecclesiae dicitur Misterium, Persona Divina, vel Sanctus sub quorum nomine fundata, benedicta vel consecrata est ecclesia. 2.° Quando fundatur, benedicitur, vel consecratur ecclesia aliqua, sub nomine plurium Sanctorum quorum dies natalitia sit diversa, tunc, si omnes accipi possint per modum unius, uti ex. gr. Angeli, Archangeli, Apostoli, Sancti Omnes, unum de omnibus simul festum agendum est ritu, ut par est, dup. 1. cl. cum octava: si vero id non possit, de singulis festum separatim celebrandum est sub eodem semper solemniori ritu. Namque intelligere nequimus quid sit titulus principalis et minus principalis, quando ecclesia Deo dicatur aeque in honorem plurium Sanctorum.

His positis, habemus in casu mysterium Immaculatae Deiparae Conceptionis, et Sanctos Archan-

gelos, in quorum honorem ecclesia est dedicata. Ergo Deipara recolenda erit die 8 Decembris, et SS. Archangeli die 29 Septembris, et ambo festa sub ritu classico. Patet illud, quia Mysterium coniungi non potest nec debet cum SS. Archangelis. Patet istud, quia bene coniungi SS. Archangeli possunt, uti de facto coniunguntur in festo S. Michaelis die 29 Sept. Namque officium, uti perpendenti manifestum fit, potius de omnibus est Archangelis, quam de uno tantum. Ut proinde applicari decretum possit in *Tarvisina* d. d. 12 Sept. 1884 ad I et II. Obstare quidem videtur eiusdem decreti dubium IV, in quo agitur de duobus Sanctis, diversa die in Calendario assignatis, de quibus S. R. C. declarat esse separatim agendum in respectivis diebus. Sed ibi de duobus Sanctis agitur, qui, si separatim recolantur, nullum praeseferunt inconveniens. Hic vero agitur de Immaculata et de SS. Archangelis: ex quibus ille quidem Titulus ab isto differt, et separatim recolendus, iste vero ad modum unius optime accipi potest, ut supra diximus. Insuper ex expositione dubii satis constat, SS. Archangelos aeque principalem Titulum cum Immaculata constituere, sed non esse specifice in Dedicatione nominatos, ut proinde de singulis fieri non debeat. Denique Tituli unius ecclesiae velut in infinitum crescerent contra Ecclesiae praxim et spiritum, si de singulis festum separatim fieret. Quibus omnibus perpensis, salvo meliori iudicio arbitramur, SS. Archangelos non esse disiunctim in casu recolendos tamquam patronos, sed simul die 29 Sept. Reliqui vero Archangeli separatim celebrabuntur prout in Calendario seu universali seu particulari sunt inscripti.

VI. *Ex eodem loco.* **De benedictione mulieris acatholicae post partum.** Mulier acatholica, quae tamen

viro catholico est matrimonio in facie Ecclesiae coniuncta, si post partum ad templum veniat et benedictionem puerperarum expetat, potest ne benedici?

Resp. Negative. 1. Sacramentalia pro iis instituta fuere, qui Ecclesiae sunt filii; quid enim ad nos de iis, qui foris sunt? 2. Matrimonia catholicorum cum acatholicis nonnisi raro, ex necessitate, et ad vitanda peiora mala permittit Ecclesia, et nihilominus extra templum, et sine ullo ecclesiastico ritu. In caso autem nostro eadem ratione se gessisse Ecclesiam tenendum est, praecise ob mulierem acatholicam. Quomodo ergo, postea, eadem acatholica mulier cuius contractum detestata est Ecclesia, ecclesiastica benedictione donari potest? 3. Quidquid sit de negotio in se spectato, indubium est, iuxta communem appretiationem, talem mulierem benedictione, de qua in casu, esse prorsus indignam: ut sine risu et scandalo, licet excusare eam bona fides possit, a Sacerdote catholico benedici non posset. 4. Plura, quae in ritibus benedictionis iuxta Ritualis praescripta exercenda sunt, aut applicari tali mulieri non possunt, aut comprobari nequeunt. Haec sint satis, ut negativae responsionis aequitas ostendatur.

VII. *E Provincia Ianuensi.* **De qualitate Orationis in Missa cum cantu pro defunctis.** Hic in singulis feriis secundis totius anni, vel alia die, Missa canitur pro defunctis omnibus loci in genere. Quaeritur: Oratio debet ne esse *Deus veniae largitor,* an alia quae num. 11, vel 12 in Missali ponitur?

Resp. Exploratum est, " unicam Orationem dicendam esse in Missa *de Requie* cum cantu pro anima illius, quam designat eleemosynam exhibens (*In Briocen. 12 Aug. 1854 ad 11*). " Cum ergo statutum sit, Orationem in casu respondere debere illi vel illis, qui

exhibent eleemosynam, iam patet seligendam esse in Missali Orationem ex eis, quae magis accommodantur. Iam vero arbitramur, nullam magis casui respondere posse, quam *Deus veniae largitor*, quippe quae *fratres, propinquos et benefactores complectitur*, ergo ea seligenda. Excludenda consequenter quae n. 11 habetur, quod non respondeat: Oratio autem num. 12 eadem est ac illa, quam diximus seligendam.

VIII. *Ex eodem loco.* **De anniversariis.** In tabella Legatorum legitur: *Ecclesia B. solvit pro quinque Anniversariis* in cantu fructum etc. etc. Quaeritur eiusmodi Missae vi legatorum canendae, sunt ne vera Anniversaria, quamvis pro die Sabbati sint statutae?

Resp. Affirmative; quia non est necesse ut Anniversaria *fundata* sint statuta pro vera die obitus, sed statuta esse possunt etiam pro alia die. Cum ergo Anniversaria tales Missae nuncupentur in legatorum tabella, non est cur aliter sint considerandae. Inferes Missam esse dicendam ut in die Anniversarii cum Oratione ibi praescripta.

Nota 1. Rubrica post 4 Missas defunctorum in Missali posita, vix explicatione indiget. Nam perspicue facit libertatem celebrantibus dicendi Epistolam et Evangelium cuiuscumque e quatuor Missis, etiam in alia Missa, cuius proinde Epistola et Evangelium omittitur, iisque alia subrogantur.

Nota 2. Privilegium quasi *privatae legis* vim habet, et a lege communi eximit. Quae ergo ecclesia Indulto fruitur Missam *de Requie* bis per hebdomadam canendi, licet duplex etiam maius occurrat, citra dubium uti privilegio potest, quamvis in hebdomada plura semiduplicia occurrant; utitur enim iure suo.

IX. *E Provincia Potentiae.* **De funere pro exhumatione cadaveris, praesentibus ossibus.** Cum cadaver

post tempus a lege statutum exhumatur, potest ne Missa cani tamquam praesente cadavere ?

Resp. Negative, nisi ritus semiduplex occurrens eiusmodi Missam permittat. Missa praesente cadavere, cantata iam fuit aut cani potuit, et ossa non sunt cadaver, neque in se, neque iure liturgico inspecto. Ceterum vide *Ephemerides*, Vol. 3, pag. 149, Dub. I. Hinc si ritus occurrens permittat Missam, haec *quotidiana* erit, attamen Absolutio, citra dubium, semper fieri potest, iisque ritibus qui in Rituali praescribuntur (*Tit. VI, cap. 5*), licet sit vetita Missa.

X. *E Pomponiana in Galliis.* **De Anniversario Dedicationis quoad Regulares.** Ex indulto Em. Card. Caprara die 9 Aprilis 1802 et eius declaratione, 21 Iulii 1804, Anniversarium omnium Ecclesiarum consecratarum celebratur in omnibus Galliae Ecclesiis Dominica, quae proxime subsequitur octavam omnium Sanctorum.

Cui quidem Anniversario propter uniformitatem tenentur omnes Sacerdotes, nulli licet vel non consecratae Ecclesiae adscripti, sub ritu duplici primae classis, nulla habita ratione cleri civitatis et cleri dioecesis. His positis, quaeritur utrum Regulares teneantur hoc Anniversarium sub eodem ritu celebrare, et quid de sententia eorum, qui putant illos etiam hoc in casu frui privilegio illis concesso a S. R. C. die 8 Aprilis 1662 : cuius vigore Regulares in civitate degentes tenentur celebrare Officium Dedicationis Ecclesiae cathedralis sub ritu duplici secundae classis, reliqui vero ad nihil tenentur.

Resp. Affirmative, et responsio nobis apparet omnino certa. Indultum enim, de quo superius, respicit omnes Ecclesias, ergo etiam Ecclesias Regularium. Conclusio est prorsus legitima, quia Indultum datum est in gratiam uniformitatis, ad quam et Regularium Ec-

clesiae tenentur. Hinc est, quod nulla excipitur Ecclesia, sive consecrata sit, sive benedicta tantum; et nullus etiam Sacerdos excipitur, sive alicui, sive nulli adscriptus sit Ecclesiae, ab hoc Anniversario recolendo. Ceterum Regulares tenentur ne ad propriae Ecclesiae, vel omnium Ecclesiarum Ordinis, vel Cathedralis Ecclesiae ubi morantur, Anniversarium celebrandum? Ergo eiusmodi Anniversarium in Dominica post octavam omnium Sanctorum recolere debent; atque ita ab alio cuiuscumque Ecclesiae Dedicationis Anniversario celebrando eximuntur. Hinc cl. De Herdt ita scribit: " Regulares et Moniales in eodem territorio (*Reipublicae Gallicanae*) ad Anniversarium Dedicationis in Dominica post diem octavam Omnium Sanctorum etiam tenentur: 1.° quatenus obligantur ad Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.... 2.° quatenus decernitur in Indulto pro reductione festorum et in decreto Cardinalis Legati, in ea Dominica celebrandum esse Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum in cunctis Gallicanis Ecclesiis: 3.° quia ita declaravit S. R. Congregatio (*4 Ian. 1877: V. Act. S. Sedis, Vol. XI, fol, 207, III, 1878*) quoad Carmelitas Excalceatos provinciae Aquitaniae in Gallia (*Pars 4, n. 226, R. 3)* „. Ita profecto se gerunt Presbyteri Congr. Missionis, vulgo Lazaristae nuncupati, qui in Galliis degunt, et consequenter alii eiusdem Instituti cum ad idem Calendarium teneantur; atque ita etiam alia plura Instituta, ut non videamus quibus inniti opposita agendi ratio momentis valeat. Certo decretum quod citatur, nihil probat; quia non est hic quaestio, utrum Regulares intra civitatem Episcopalem degentes vel extra, teneantur vel non ad Dedicationem Cathedralis Ecclesiae. Casus noster respicit obligationem eadem stata die celebrandi Anniversa-

rium omnium Ecclesiarum, in quo compreheditur unicum Dedicationis Anniversarium illius Ecclesiae, quae ad Regulares pertinet. Decretum ergo illud ad rem non facit: ceterum Indultum, de quo agimus, est locale, et uti diximus, omnes loci respicit Ecclesias. Ergo. Inferendum, eos Regulares haud recte se gerere, aliter operantes: ut saltem, si dubitent, ad legitimum pro legis declaratione adeundum Tribunal teneantur.

XI. *E Dioecesi Chicagiensi.* **De officio Diaconi in solemniori Missa, cum deest Caeremoniarum magister.** Debet ne Diaconus, cum Caeremoniarum magister deest, folia vertere Celebranti ad Collectas, Secretas, Praefationem, et Postcommunionem?

Resp. Ita sane credimus. Diaconus enim est minister Celebrantis, ergo in solemniori Missa illi servire debet in iis omnibus, quae circa ministerium altaris versantur. Minora quidem ministeria Caeremoniarum magistro in quibusdam casibus committuntur, uti est folia vertere, quia potiori ministerio dat Diaconus operam. At si ponas illum deesse, iste officium suum profecto implere debet; proindeque et folia vertere in praefatis casibus, sicuti et Rubrica in aliis similibus docet. Idque nobis omnino indubium videtur ex spiritu atque etiam litera Rubricarum. Ex spiritu, quia ministeria Diaconi iuxta Rubricas semper servitium Celebrantis respiciunt, nisi, uti diximus, nobilius aliquod exercere ministerium debeat circa chorum. Sed et ex litera; nam tempore Secretarum quid agere Diaconus ex Rubrica debet? Thus adhibere choro, quo expleto, manere post Celebrantem. Idem dicas de tempore Praefationis. Stat ergo post Celebrantem Diaconus, quia nec chorus nec Celebrans eius ministerio indigent; ergo si indigeat Celebrans, ei a Diacono praestabitur ministerium.

Hinc iure arbitramur, Diaconum non posse tantum, sed et in alterius defectu debere Celebranti folia vertere ad Collectas, ad Secretas, ad Praefationem etc. et deinde post illum redire, eo prope modo quo se gerit, quando ad consecrationem calicem detegit, ut et munere suo fungatur et Rubricae serventur.

XII. *Ex eodem loco.* **De genuflexione dum thus adoletur in altari.** Quaeritur: Utrum genuflexio SS^{mo} in Tabernaculo recluso fieri immediate debeat post incensatam Crucem, etiam in casu quod incensetur mox Reliquia vel S. Imago retro crucem posita: ita ut iste sit ordo: 1.° genuflexio, triplex ductus cum thuribulo ad Crucem, et *genuflexio: 2.° inclinatio capitis ad Reliquiam,* eiusdem incensatio duplici ductu: 3.° genuflexio, incensatio Reliquiarum a parte Evangelii: 4.° genuflexio et incensatio Reliquiarum a parte Epistolae: 5.° altaris, ulla sine nova genuflexione, incensatio.

Resp. Ita quidem; et eiusmodi est praxis omnibus Ecclesiis communis, quae observantiores in sacris peragendis Ritibus sunt. Ita pariter rectus sensus liturgicus dictat; *genuflexio* enim, in casu allato, actum adorationis seu latriae erga Sacramentum perficit, et inclinatio capitis est principium alterius actus venerationis duliae vel iperduliae, qui Reliquiae in medio altaris expositae tribuitur. Ergo uterque actus cultus ponendus est, ut alter distinguatur ab altero, utpote inter se omnino diversi. Denique id quoque e Rubricis in similibus casibus eruitur, uti ex. gr. ex Tituli IV Ritus servandi in celebratione Missae solemnioris pluribus numeris, seu 4, 5, 6, nec non ex aliis aliorum Titulorum. Consequenter ita et non aliter iure esse agendum, arbitramur.

XIII. *Ex Emilia.* **De mutatione versiculorum, ob identitatem in antiphonis.** Hic ex consuetudine in Suf-

fragiis fit commemoratio Patroni dioecesis cum antiphona propria et versiculis *Ora pro nobis S. N. — Ut digni efficiamur etc.* Sed iidem versiculi habentur in commemoratione B. M. V. cum dicitur *Salve Regina.* Quaeritur an sint, et quinam, mutandi?

Resp. 1. Affirmativam damus responsionem, quae innititur aliis pluribus similibus casibus, qui habentur seu in Rubricis peculiaribus Breviarii, seu ex S. R. Congregationis decretis. Ratio est autem, quia haec viget in re liturgica consuetudo, ut eadem in uno actu liturgico, vel in una functione, non iteretur dicendi aut precandi formula.

Resp. 2. Cum versiculi antiphonae de Patrono sint de communi, non tamen antiphonae propriae vi Rubricae respondeant, sed tantum sint ad rem accommodati, eos potius mutandos esse censemus, quam alios, qui vi Rubricae Breviarii, proprii sunt antiphonae *Salve Regina,* et ab omnibus prouti iacent sunt recitandi. Erunt ergo versiculi *Iustum deduxit* etc. — *Et ostendit* etc. quippe qui secundis Vesperis et Laudibus respondent.

XIII. *E Dalmatia.* **De Indulgentia Episcopali 40 dierum quando datur plenaria.** Potest ne Episcopus partialem 40 dierum Indulgentiam impertire diebus Indulgentiae plenariae?

Resp. Supponimus, Rev. Inquirentem loqui de Indulgentia plenaria, quam die solemni Paschae et alia *ad libitum* solemnitate solet impertire Episcopus cum Apostolica benedictione, de qua Caeremoniale Episcoporum silet.

Itaque indubium est, non posse Episcopos dare Indulgentiam partialem 40 dierum seu infra, seu post Missam, quando plenaria danda est. Utriusque enim Benedictionis formula iisdem fere verbis constat; illa ergo,

per quam Indulgentia datur partialis, est omittenda. Quod ceterum definitum lege est; nam quaesita S. R. Congregatio: *An dicta benedictio semper danda sit etiam quando finita Missa, debet dare (Episcopus) Benedictionem papalem,* respondit: " Negative, quando in fine impertienda est populo papalis Benedictio (*Marsorum 12 Nov. 1831, ad 14*) „.

XIV. *Ex eodem loco.* **De lectione Brevis Pontif. ante publicationem Benedictionis Apostolicae.**

1. Necesse ne est legere semper Breve Pontificium ante Benedictionem Apostolicam, quam bis in anno dare potest Episcopus? 2. Si Episcopus non exerceat Pontificalia, sed solemniter assistat, potest ne eamdem Benedictionem impertire? Dum benedicit, debetne an potest tantum Mitra et Pastorale uti?

Resp. 1. Ritus et forma huius Benedictionis quae in Constitutione Clementis XIII habetur et incipit *Inexhaustum* (*tertio Nonas Septem. 1762*), in aliquibus Editionibus leguntur Pontificalis Romani, uti in Editione anni 1848, Romae vulgata, et in typica. Iam nunc dubitari non potest, praescriptionibus esse omnino standum, quae ibi fiunt. Ex his autem certo constat legendas esse, expleta Missae solemnis celebratione per ministrum superpelliceo indutum, Litteras Apostolicas. Post quam lectionem, Episcopus cum Mitra ceterisque sacris paramentis indutus, iuxta ritum in Caeremoniali praescriptum, dicet consuetam formulam *Precibus etc.* Hinc ad 1.um respondemus affirmative. Ad 2.um posset responderi negative; ratio est, quia Constitutio non concedit, posse hanc Benedictionem impertiri, nisi post celebratam Missam. Ex decreto autem in *Tarvisina* lex exponitur hoc sensu, quod Episcopus quoties ex rationabili causa Missam celebrare nequivit, censeri non possit pro illa die et vice prae-

ditus eadem delegata auctoritate populo benedicendi (*8 Aug. 1835*). Ita rem quoque explicat cl. De Herdt (*Prax. Pontif. Lib. I, cap. 25, § 10, l. a.*) At negotium hoc nobis satis perspicuum non apparet. Nam, uti patet, verba legis optime comprobantur, etsi Missa per alium quam per Episcopum, celebretur. Decretum autem tacet omnino de Assistentia, quae conditio si in petitione fuisset exposita, contrarium fortasse S. R. Congregatio respondisset. Nam si Benedictionem cum Indulgentia 40 dierum Episcopus post Missam dare potest, etsi tantum Assistentiam agat; difficile intellectu est, quare Apostolicam impertiri nequeat, cum ex lege non possit vetita cum omni certitudine demonstrari. Rem itaque, quantum cernimus, dubia est. Ad 3.um quod attinet dubium, patet quid sit respondendum, seu ex verbis superius relatis seu ex cunctis similibus casibus, in quibus semper Episcopus, dum Benedictionem solemnem impertit, omnibus sibi propriis pontificalibus paramentis induitur.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE IANUARIO PROPOSITAE

PROPOSITIO.

In quodam Calendario accidit, ut die 19 Ianuarii anni 1891, tria occurrere simul possent officia: S. Canuti ad libitum, Cathedrae S. Petri translatae, et aliud votivum officium semel in mense indultum. Quaeritur, an ex tribus unum vel alterum recitari debeat, an potius dici quod magis arrideat ex tribus possit?

Nota. Rev. Dom. Academici A. Fourneret, et N. Bossi, qui propositae quaestionis miserunt solutionem, generatim convenerunt in rei substantia. Sed iste exceptionem posuit ad officium quod spectat votivum per hebdomadam concessum: adeo ut si occurreret simul cum officio ad libitum et cum alio translato, de altero ex his agendum foret, sed non esse liberum de illo facere. Attamen vide notam primam consulto inferius positam. Hinc solutionem seligimus alterius, quam omnino veram iudicamus.

SOLUTIO.

Resp. 1. Prorsus indubium est vel minimam existere praelationem in casu inter tria praefata officia, nempe S. Canuti ad libitum, Cathedrae S. Petri translatae, et quodlibet votivum officium semel in mense indultum, quando eadem die 19 Ianuarii occurrunt, et idcirco quod ex tribus magis placuerit, potest illa die in Kalendario assignari. *Primo* enim S. R. C. liberum fore declaravit officia *ad libitum* recitare, et officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre (*24 Ianuarii 1682, n. 2976*). *Secundo*, eadem Congregatio statuit festum *ad libitum* nonnisi ad libitum quoque impedire officium votivum semel per hebdomadam aut per mensem concessum, id est: « impedire si amat officium festi *ad libitum* recitare, non impedire si ab eo abstinendum censet ». (*16 Febr. 1669, n. 2469 ad 5*). Hinc, quod ex tribus magis arriserit, indifferenter in casu poterit assignari in Kalendario, quod nomine et iussu fit Episcopi (1).

(1) Distinctio inter officium ad libitum in Calendario universali inscriptum, et votivum pariter ad libitum per hebdomadam particulari Ecclesiae concessum, ut si cum translato utrumque simul occurrant, de illo fieri possit, haud vero de isto, admitti nullo iure potest. Lex enim satis perspicue hanc facit libertatem, declarans: « Officia sanctorum ad libitum, si... occurrant eodem die, in quo alias aliquod festum translatum poni deberet, tunc liberum fore.... eadem officia ad libitum recitare, et officium translatum alterius ad aliam diem non impeditam transferre. Prout etiam, *omisso officio, quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico Indulto recitare posse decrevit*. Sive ergo *officium ad libitum* cum *translato* occurrat, sive occurrat cum *officio votivo ad libitum* per hebdomadam aut per mensem indulto, sive utrumque simul cum aliquo translato, quod transferri ulterius possit, occurrant, dubitari ex lege decreti non potest, quodcumque ex iis recitandi potestatem esse factam.

Sola exceptio, quae cum Cavalieri et clar. Bouvry nobis huic regulae videtur facienda, est quando non amplius per totum annum existat locus, ubi festum translatum reponi possit. Tunc enim omittitur obligatorie festum *ad libitum*, imo et officium votivum semel in mense indultum, et in hypothesi debet absolute reponi illa die festum translatum Cathedrae S. Petri, quia (quod tamen expresse requirit decretum 24 Ianuarii 1682 supra relatum) non posset in casu ulterius ad aliam diem non impeditam transferri.

Resp. 2. Postquam ex tribus praefatis officiis unum fuerit electum et assignatum in Kalendario dioecesano, non conveniunt inter se auctores an illud omnino recitari debeat, vel e contra an qui obligantur ad Horas canonicas adhuc possint inter tria recitare quod magis placuerit, sicut licet agere pro officiis votivis recenter concessis loco officiorum ferialium a Summo Pontifice Leone XIII.

a) Plures Rubricistae absolute declarant Kalendarium esse sequendum, et non amplius esse in arbitrio Cleri aliter ordinare suum Breviarium. Sint in exemplum clar. A. Carpo, et Th. Bernard. *Primus*, in sua *Bibliotheca Liturgica*, dicit (*part. 2, n. 161*): « Si officia haec, quamvis ad libitum, in Kalendario apponantur, » recitari debebunt ab omnibus qui eo Kalendario utuntur ex de- » creto S. R. C. 23 Maii 1835 in casu consimili ». (*n. 4746 ad 10*). *Secundus*, in suo libro, *le Bréviaire* (*T. I*, 2ᵉ *par.*, *chap. I*, *art. 4*, *paragr. 2, n. 1*), autumat: « Nous pensons qu'il n'est pas loisible » à chacun de réciter ou non cet office (*ad libitum*) aux jours in- » diqués; c'est l'*Ordo* qui doit le règler, et tous doivent alors s'y » soumettre. Il s'agit de la discipline et de l'unité dans les offices » d'un diocèse ou d'une communauté religieuse. Aussi S. Sainteté » Léon XIII, voulant que le nouveaux offices votifs concédés par » lui fussent laissés au libre choix individuel, a eu soin de le dire. » Mais les décrets sur les offices *ad libitum* strictement dits n'en » parlent pas ».

b). Alii autem, Cavalieri duce praevio, volunt iis semper liberum esse, qui dicunt Horas canonicas, non obstante Ordine dioecesano, recitare ex tribus quod magis arriserit. Quando enim quaesitum fuit declarari: « quae regula servanda sit quando occurrunt » (officia ad libitum) eodem die cum officiis Sanctorum Kalendarii » proprii, vel translatis, vel demum semel per hebdomadam vel per » mensem recitari concessis? » Quodnam responsum dedit S. R. C.? Non dixit liberum esse in Kalendario reponere unum aut alterum ex tribus dictis officiis, sed recitationem declaravit unius aut al-

terius esse liberam, dicens « *liberum fore... eadem officia ad libitum* » *recitare et officium translatum ulterius ad aliam diem non im-* » *peditam transferre, prout etiam, omisso officio, quod semel per heb-* » *domadam aut per mensem ex Apostolico indulto recitari posse* » *decrevit.* » Et ut melius ostendat eadem Congregatio Redactores Kalendariorum in sua responsione non sibi curae esse, addit: « *et* » *ita ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur, servari man-* » *davit hac die 24 Ianuarii 1682* » n. 2976. Hinc Bernard ille inclytus supra memoratus errare videtur, quando putat decretum hoc non reliquisse libertatem recitationis, sicut egit Leo XIII pro officiis votivis nuperrime concessis.

Item A Carpo non satis intellexisse censetur aliud decretum, quod allegat pro sua sententia. Quaestio enim, nedum respiciat casum nostro consimilem, attendebat simpliciter ad officia, quae in feriis non impeditis ex concessione Sa. Me. Clementis Papae XI fieri poterant; et inquirebatur an Episcopi, qui pro sua dioecesi ea officia collocant in Kalendario, iam ipso facto obligent suum Clerum ad illa recitanda. Porro S. R. C. respondit: « *Affirmative si constet de indulto speciali Apostolico* », id est si officia, ut non semel factum est, petita ab Episcopo pro sua dioecesi, specialiter fuerint permissa et iussu deinde Episcopi apponantur in Kalendario *in diebus non impeditis*, ut ex consultatione liquet. Non ergo veluti inconcussa habenda est affirmatio clar. A Carpo in prima opinione relata, quia praesens decretum non versatur circa occurrentiam officii votivi vel translati cum festo ad libitum, sed circa obligationem recitandi nec ne officium votivum in feria non impedita positum; et declarat tantum in casu recitari debere hoc officium votivum, si specialiter pro dioecesi concessum assignetur in Kalendario nomine Episcopi. Cum insuper non sit prorsus libera in sensu ordinario feria, in qua occurrit festum ad libitum, idcirco decretum allegatum non pertinet ad rem; et propterea De Herdt, qui illud cognoscebat et citat, relinquit libertatem recitationis inter officium S. Canuti et officium votivum semel in mense vel in hebdomada concessum. (*T. 2, n. 290*). Hinc, si forte reponeret Episcopus in Ordine dioecesano aliquod officium votivum sibi specialiter pro sua dioecesi concessum semel in mense, ipsa die 19 Ianuarii in qua occurrit festum S. Canuti, non aliter tenerentur qui obligantur ad Horas canonicas quam si ageretur de officiis votivis novissime indultis pro feriis liberis, et possent seligere quod eis magis placeret pro recitatione divini officii.

Denique, ex ipsissimis verbis Clar. Cavalieri (*T. 2, cap. 22 in dec. 1*) « officia *ad libitum* erunt ea, quorum celebratio in Cleri relicta est arbitrio, qui propterea eadem aeque poterit recitare et omittere. » Hinc, ex sua declaratione, si officia *ad libitum* cum festo *ad libitum* occurrant eadem die, « de utrolibet recitari valet, inquit (*T. 2, cap. 22 in dec. 2, n. 8*), et illud quod magis placuerit omitti.... ea siquidem officii *ad libitum* natura est atque conditio, ut eiusdem celebratio a mero Cleri pendeat arbitrio », et « non semel diximus officia *ad libitum*, prosequitur (*cap. 22 in dec. 5, n. 3*), *ad arbitrium Cleri* recitari posse vel omitti. » Quod est casus noster.

En duae sententiae cum suis respectivis rationibus. Et quamvis posterior nobis videatur magis decretis consona, et auctoritate roboretur plurima, sapientioribus tamen propter inconvenientia quae sequerentur ex defectu unitatis in recitatione officii divini, arbitramur solutionem definitivam potius esse remittendam (1).

A. Fourneret, *curé de Lannes.*

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MARTIO.

Ecclesia B. pro Titulari habet SS. Innocentes, et Ecclesia C. insignem eorumdem Reliquiam servat. Quaeritur: utrum alterutra de causa adhiberi possit in eorumdem festo color rubeus in Missa, et hymnus angelicus recitari?

---

(1) Solutoris modestiam non possumus quin debita laude prosequamur; sed officii ad libitum eiusmodi est natura, ut eius recitatio libera omnino esse debeat, nisi per accidens aliquando obliget, quod in casu non constat. Defectus unitatis rationem negligendam credimus, sicut certo negligitur in officiis votivis a Leone Papa XIII indultis. Ceterum et in Missis, quotiescumque semiduplex occurrit, negligitur. Defectui demum unitatis in individuis de Clero supplent Communitates omnes, quae choro ex praecepto adstringuntur. Hinc sententiam quae omnimodam dat in casu libertatem, cum cl. Coadiutore nostro A. Fourneret decretis consonam dicimus et auctoritate plurima roboratam, non solum, sed et in praxi tutam, contra alteram, quae libertatem nullo iure et sine causa ligat.

AD CL. PIGHI RESPONSIO

Censurae Liturgicae, quam vulgavimus praeterito anno 1890 (*Vol. IV. pag. 712, et seq.*) super *Liturgia Sacramentorum* cl. Pighi, hic respondit per Opusculum, cui titulus Dell'autorità del Rituale Romano. Eidem auctori ut respondeamus sequentes pro nunc animadversiones exhibemus.

1. Eiusmodi est legis natura, ut obligare aliquo modo debeat; atqui Rubricae sunt leges, ergo eas obligare necesse est.

At legis nomen, ait cl. Pighi, lato sensu frequenter sumitur, ut dicamus etiam leges artis et scientiae, uti physicae, astronomiae etc. Probandum ergo est, Rubricas esse leges, quae obligant in conscientia (*Opusc. cit. pag. 40, Arg. 1*). Respondemus, difficultatem huiusmodi nullius esse ponderis, nisi et sententiam nostram ipsa confirmet. Hic enim agitur de legibus, humanos dirigentibus actus, uti patet; ab illis autem deflectere, idem est ac extra morum regulas abire: sicut qui a legibus alicuius scientiae vel artis recedit, necessum est, ut eo ipso errorem admittat, et ab ipsa arte vel scientia deflectat. Igitur posito, Rubricas esse leges, iis obligatio inest, lex enim semper quodammodo liget oportet. Praeterea hanc obligationem ex codicibus liturgicis, Rubricales leges habentibus, plus minus aperte constat (1). Denique nullo iure sustinetur, Rubricas non obligare in conscientia, si ipsa Decreta Rubricas

(1) Thesis de omnibus Rubricis loquitur, ut nullas excludat (*Loc. sup. cit.*).

respicientia, in conscientia obligent (*Angelopolitana 11 Sept. 1847*), sed de his postea.

Inferes, distinctionem inter Ritus et Rubricas Ritualis, ut concludatur illos non istas sub obligatione cadere, esse omnino nullam; et consequenter argumentum tertium, quo *Ephemeridum* sententiam de omnibus Rubricis praeceptivis cl. Pighi nititur infirmare, nihil omnino valere. *Rubricae* nomen in nulla ex Bullis, aliis codicibus liturgicis praemissis, legitur; sed pro eo alia stant verba, quae aequivalent, uti *norma*, *praescriptum*, *ritus*, etc. etc. Hinc et Bullarum voces *debent*, *observent* etc. quae explicite ad ritus et caeremonias referuntur, implicite referre necessum est ad leges, quibus tantum observatis, ritus et caeremoniae observari possunt. Ita argumentamur de Missali, de Caeremoniali, de Pontificali, ita ergo et de Rituali. Auctoritatem scriptorum negligimus, qui illorum exponunt verborum sensum, cum ipse suam legem interpretatus sit legislator, uti ex pluribus decretis constat.

Ut nihilominus cl. Pighi faciamus satis, qui S. Alphonsum citat (*Lib. VI, n. 285*) in eorum quae asserit confirmationem, respondemus, hunc S. Doctorem nullimode illi favere. Etenim peculiarem quaestionem agit de verbis *Accipe... viaticum etc.* an possint aliquando omitti, etsi praescripta a Rituali. Quaestionem vero quam obiter tangit, de obligatione omnium, quae in Rituali sunt, et de huius obligationis derivatione, nulla ratione resolvit, ut concludat: " Ceterum, *quidquid sit de hoc puncto*, etiamsi omnia in Rituali caderent sub praecepto, nullo modo potest dici, quod praeceptum proferendi illa verba inducat gravem obligationem; verba enim *Corpus Domini nostri etc.* reipsa idem significant et operantur. Ad excusandum vero a peccato veniali, in casu nostro bene sufficiens erit causa mu-

tandi illa verba, ne infirmus magno moerore afficiatur. „ Ergo auctoritas S. Doctoris ad rem non facit, qui cetero probatissimum Opus suum ante plura Sacrae Rituum Congregationis decreta scripsit.

Sed insistit cl. Pighi, et Rubricas distinguit in praeceptivas et directivas: illas obligare concedit, istas vero negat, usque dum demonstretur.

Respondemus. Primo, ad nos quod spectat, intrinsecis momentis demonstravimus, Rubricas omnes, haud Ritualis Romani exceptis, esse leges simul et normas: leges qua obligant, normas qua dirigunt. Secundo, Rubricas esse leges, quae obligant in conscientia, generice loquendo concedit auctor, et de aliquibus tantum id negat, quas directivas asserit. At unde eiusmodi obligatio, nisi ex ipsis codicibus liturgicis? Unde vero limitatio obligationis? Haud profecto ex codicibus liturgicis, quae de illa limitatione silent. Nos ergo sumus in lege, seu in codicibus authenticis, in quibus lex prostat: Clar. Pighi, qui alibi vagatur, ipse demonstret limitationem, quam loquitur. Hoc est ex codicibus liturgicis serio probet, alias esse Rubricas praeceptivas, alias directivas. Ne tamen sententiae innitatur auctorum, qui asserunt et non probant; satis enim id notum est, et nos quoque admittimus, sicut admisimus, sed ex intrinsecis argumentis id demonstret. Nos enim cum ipso agimus et contra ipsum, ideoque argumenta in medium attulimus intrinseca, quae ad rem faciunt; ergo et ipse momenta intrinseca contra nos afferat, quae perpendere valeamus. Haec autem vel ex suo sint, vel ex aliorum ingenio deprompta, nil nostra intererit; sed quoadusque intrinsecam cum extrinseca auctoritate impugnare contendet, quam iam confessi fuimus, quantum proficere valeat nescimus.

Inferes, argumentum quartum nihili faciendum; leges enim eaedem sunt semper ad vim quod attinet obligandi: ut si aliquae obligent, intelligi non potest, quare non omnes, quae in eodem habentur codice, obligare debeant. Citatur Missale Romanum pro exemplo; et asseritur illius obligatio, cum de aliquibus, nihilominus Rubricis utrum obligatio detur, ambigatur. Diximus *asseritur*, quia nulla probatio adducitur saltem intrinseca. Sed contra, Rubricae omnes Missalis Romani leges sunt, ergo omnes obligant. Hinc S. R. Congregatio MANDAT IN OMNIBUS ET PER OMNIA SERVARI RUBRICAS MISSALIS ROMANI. Ulterius disputare superfluum est; ergo et momenta, quae in oppositum adducuntur, et quaecumque alia, quae excogitari exempla possunt, nihil sunt. Rubricae sunt leges, quae vim directivam habent, et obligant in conscientia: hoc patet ex dictis, sed oppositum nondum demonstratum est. Haec pro nunc sint satis.

2. Doctores non conveniunt in definiendo, quid *praecise* Ritum constituat, qui certe a caeremonia distinguitur: adeo ut, etsi obligatio pro obiecto Ritus habeat, adhuc probanda manet obligatio caeremoniarum. Hinc Rituum quorumcumque omissionem, si recepti et approbati ab Ecclesia fuerint, culpam constituere, concedit auctor; sed de Rubricarum inobservantia, quae Ritus caeremoniasque respiciunt, id plane negat (*pag. 41*, *Argum. 2*).

Respondemus animadvertendo, ex eo quod haud omnes auctores conveniant in exacta Ritus definitione, nil plane argui posse pro directivis Rubricis. Nam quidquid sit de auctorum se exprimendi ratione, liturgicos aperire codices facile unusquisque poterit: ex quibus luce meridiana patebit, haud fortasse in quo praecise Ritus consistant, sed citra dubium, quid Ri-

tus comprehendant. Experiamur. Aperias Missale, et invenies inscriptum argumentum de iis quae fieri debent in celebranda Missa, quod sequens est: RITUS CELEBRANDI MISSAM: vel, RITUS SERVANDUS IN CELEBRATIONE MISSAE. Quid ergo Ritum constituit celebrandi Missam? Silebimus; sed extra controversiam ponendum est, eumdem Ritum comprehendere actus illos liturgicos sequentes, qui describuntur in Missali. Aperias Rituale, et videre erit: RITUS SERVANDUS CUM EPISCOPUS BAPTIZAT: RITUS ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM IAM MORTUUM: RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM *etc. etc.* Quid ergo eiusmodi Ritus constituit? Tacebimus; sed nemo dubitare iure potest, eos in actibus inferius, seu post Titulum descriptis, describi et contineri. Non enim arbitrandum, codices rituales unum praemittere argumentum et aliud postea describere. Si et Pontificale aperire placeat, ibi et legere erit: RITUS ET FORMULA ABSOLUTIONIS ET BENEDICTIONIS PONTIFICALIS: RITUS ET FORMULA BENEDICTIONIS APOSTOLICAE: PONTIFICALIS RITUS PRO BAPTISMO ADULTORUM *etc.* Quid ergo eiusmodi Ritus sunt? Id quod superius. Neque obstat, si diversis aliquando verbis enuncietur argumentum, uti ex. gr. ORDO: DE BENEDICTIONE: DE CONSECRATIONE *etc.* ut in Pontificali: vel, DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO: MODUS IUVANDI MORIENTES: DE EXEQUIIS *etc.* ut in Rituali, vel quid aliud simile, ut in aliis codicibus. Indubium est enim, eos esse libros rituales, in quibus, praeter leges, quas continent Ritus dirigentes, eosdem quoque describunt Ritus exercendos in liturgicis actibus. Hinc in Bullis quae codicibus praemittuntur, explicite notatur, eos *Caeremoniarum et Rituum formulas* continere pro Episcopis, uti Pontificale; continere *Caeremonias et Ritus* uti Caeremoniale: continere *morem et ritum* Romanae Ecclesiae pro officio recitando, uti Breviarium: continere

ritum, *modum* et *normam*, faciendae Missae, uti Missale: continere pariter *Ritus et caeremonias* pro Sacramentis et Sacramentalibus ministrandis, uti Rituale.

Quid ergo sunt Ritus? Sint quidquid velis: hoc unum certum est, Ritus ex actibus quibuscumque liturgicis constitui; quia Rituum appellantur nomine in sacris codicibus iidem actus. Ergo verba liturgica ad Ritum pertinent, caeremoniae ad Ritum pertinent, incensatio ad Ritum pertinet, vestes sacrae ad Ritum pertinent, ordo ad Ritum pertinet: brevi, omnia Ritus complectitur, omnia comprehendit, omnia quodammodo penetrat, quae in actibus liturgicis fiunt.

Ad rem facit substantialis Rituum diversitas in Ecclesiis, uti in Ambrosiana, in Mozarabica, in Graeca etc. Haec quoque diversitas in pluribus consistit, quae secundum quod plus minusve differunt, maiorem etiam vel minorem inducunt diversitatem. Sed discrimen istud omnes liturgicos actus respicit, uti idioma pro Graeca, orationum formam, motus corporis, vestium qualitates, rerum ordinem etc. Quae omnia modum operandi afficiunt, et propter hoc dicitur unus ab alio Ritu substantialiter plus minusve differre. Ita Ritus, de quibus agimus, omnes externos complectuntur actus respicientes cultum. Sed cum unum sit inter nos idioma, eaedem in iisdem actibus, plus minus, caeremoniae, eadem verba *etc.*, ita unus idemque est pariter Ritus. Modus vero peculiaris huiusmodi peragendi actus, varios constituit Ritus in Romana Ecclesia: qui plus minusve, accidentaliter tamen, differunt inter se, secundum quod vel diversae sunt preces, vel alius caeremoniarum ordo, vel caeremoniae diversae, vel diverso etiam modo exercentur. Ita ex. gr. diversi sunt Ritus ab Episcopo in Pontificali Missa et Vesperis exercendi, cum tamen a simplici Missa et Vesperis

verba non differant, sed bene caeremoniae discriminantur. Ergo ad Ritum caeremoniae pertinent. Ritus Missae solemnioris a privatae Ritibus differunt, sed eadem verba utraque Missa habent, non tamen easdem caeremonias; ergo idem quod superius. E contra, Ritus baptizandi adultos, alii sunt a Ritibus baptizandi parvulos, cum nihilominus eadem quandoque habeatur caeremonia, sed verborum formae mutantur, uti ex. gr. evenit in verbis, *Si igitur vis ad vitam ingredi etc.* atque in aliis, *Accipe signum crucis etc.* Ergo et verba ad Ritum pertinent. Idem dicas de aliis quibuscumque praescriptis in actibus liturgicis, omnia afficiunt Ritum.

Ad rem quoque facit ipse Ritus duplex, semiduplex et simplex in officio et Missa: qui Ritus totum quodammodo officium totamque comprehendit Missam sub multiplici respectu. Similiter ratiocinamur de loquendi ratione communiter in usu apud Liturgicos, seu de functionibus *solemniori ritu* peragendis, et *minus solemni*: qui actus, et modum agendi respicit, item paramenta, pluralitatem clericorum etc. quae omnia Ritum semper afficiunt. Adeo ut a Ritu nec ipse modus pronuntiandi verba excludi possit; nec solum cantu et recitatione perpensis, quae facilius intelliguntur in Ritu comprehensa, sed nec ipsa emissione vocis, nunc submissa, nunc elata. Hinc ab ipsa Tridentina Synodo explicite docemur: " ob naturam hominum, quae non facile potest sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea piam matrem Ecclesiam Ritus quosdam instituisse, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntientur (*Sess. XXII, Decret. de observ. et vitand. in celebr. Missae*). " Quibus positis, si quaeras, num omnis Ritus sit caeremonia,

credimus responderi iure posse negative. Si e contra inquiras, num omnis caeremonia sit Ritus, certo affirmative erit respondendum. Item si petas, utrum omnis Ritus ex verbis constituatur, similiter reponendum est negative. Si verum postules, utrum omnia verba liturgica ad Ritum pertineant, absque haesitatione responsio erit affirmativa; atque ita de aliis omnibus, ex quibus actus liturgici constituuntur.

Inferendum ergo primum, omnem omissionem, mutationem, alterationem quorumcumque liturgicos actus constituentium, vel ad eos pertinentium, necessario includere aliquam omissionem, mutationem, vel alterationem Rituum. Haec autem esse possunt plus minusve gravia, plus minusve levia, imo et levissima. Inferendum secundo, eo ipso quod Ritus vel omittuntur, vel mutantur et respectivae Rubricarum leges franguntur, quae Rituum observantiam praecipiunt. Ut proinde vanum sit effugium asserere, Concilium verba facere de Ritibus, non de Rubricis. Id enim solum probat Rubricas Ritualis vim obligandi a Tridentino non sumere, quod nil facit ad rem. Inferes tertio, ex eo quod doctores non conveniant in definiendo, quid *praecise* Ritum constituat, nihil, ut iam diximus, legitime concludi posse pro Rubricis directivis. Inferendum denique, Ritus definitionem quam tradit cl. Mac-Kiernan, videlicet *Totum complexum et ordinem earum rerum, sive precum, sive lectionum, sive unctionum etc. quae praescribuntur in sacris functionibus peragendis*, apprime respondere iis, quae liturgici codices et dicunt et faciunt. Consequenter et momenta et illationes (*Arg. 3, pag. 42*) cl. Pighi, omni esse vi destituta perspicue patet.

3. Rubricas non per se obligare, sed alio ex capite, plures dixerunt antiqui, maxime antequam Ritus omnes, liturgicas functiones spectantes, Pontificum cura

alii ab aliis divisi in appositos codices, redacti essent. Quam sententiam etiam post pontificias dispositiones aliqui tenuerunt, ab antiquioribus accipientes doctrinam: alii vero mitigarunt, eosdem pariter, sed non per omnia, antiquiores secuti, Bullarum causa, quae liturgicis codicibus praemissae fuerant. Successu vero temporis, et postquam maxime scientia et disciplina Liturgiae magnum accepere incrementum, opinio plurium Liturgicorum et Moralistarum mutari cepit, ut tota ad Rubricarum obligationem conversa sit. Qua autem de causa? Quia et penitius Bullae perpensae fuerunt, et S. R. C. legitima legum interpres, quae ad eamdem spectant, decretis suis significavit, rem aliter se habere ac opinati fuerunt antiqui. Petitionibus enim huic Sacro Tribunali propositis, tali saepe loquendi ratione responsum fuit, ut certo ostenderit, Rubricas veras esse leges, quae obligationem in conscientia inducunt.

At cl. Pighi super hac loquendi ratione quaestionem instituit, quam et paucis ab ipso resolvi diceres. Verba enim *Serventur Rubricae, Servetur Rituale, Standum Rituali,* aliaque similia, non sunt *imperativa, sed optativa;* non ergo praeceptum important, non obligationem gignunt (*pag. 45, Arg.-6*) (1).

Quae ut demonstret cl. auctor, negat imprimis S. R. Congregationem, super Rubricis Ritualis interrogatam, semper praefatis formulis respondisse, quod iam demonstratum asserit. At quaerimus: Ubi demonstratum? Ad paginam, ait, 34, n. 32, III: pergamus illuc. En argumentum: S. R. Congregatio nonnullis declarationibus suis supposuit et admisit, Ru-

(1) Id quidem dubitative tantum asserit auctor; sed idem est, nam lex dubia, uti notum est, non parit obligationem.

bricas dari mere directivas: quod duobus demonstrat exemplis. Primo S. R. C. Episcopo Alexandrino inquirenti; num pro linteo in communione fidelium uti liceret tabella ex metallo, respondit: " Non esse interloquendum ". Ergo haec Rubrica taxative praescribens usum lintei, directiva est. Ita auctor.

Negamus consequens, quippe quod nullo modo ex praemissa descendit. Namque ante omnia ex ipsa interrogatione Sacri Tribunalis ex parte Episcopi Florentini (1), uti ex archivo Academiae liturgicae constat, eiusmodi Rubrica, haud directiva sed praeceptiva demonstratur. Secundo, S. R. C. auctoritate pollet Rubricas immutandi, et inductas consuetudines permittendi, maxime quando Rubricarum spiritui non opponuntur, ut in casu, quod ex plurimis constat exemplis. Tertio, si Rubrica directiva esset, nescimus qua de causa tam serio tantoque studio pertractata fuisset haec quaestio. Nam S. R. C. utpote de re graviori votum, contra morem solitum, exegit haud ab uno ex Apostolicarum caeremoniarum magistris, sed a cl. Martinuccio, qui erat iis praefectus; quin imo aliud quoque voluit a cl. P. Vincentio M. Gatti S. P. A. Magistro: post quae ab ipsis S. R. C. Cardinalibus simul coadunatis causa discussa ac resoluta fuit. Ut quid autem tanta temporis laborisque iactura pro Rubrica, nullam inducente obligationem? Toto ergo iure consequens negatur. *(Continuabitur)*

(1) Ex authentica positione, quae in archivo dicto fideliter servatur, hoc tantum resultat, in variis scilicet pedemontanis dioecesibus multisque piis earum sodalitiis, annuente Episcopo Alexandrino, usum invaluisse tabellae metallicae. Non tamen negamus praefatum Antistitem potuisse iudicium in casu exquirere competentis auctoritatis; sed supplicem libellum ad S. R. Congregationem Episcopum Florentinum misisse, ut dubium de quo agitur declararet, hoc nobis certo constat.

APPENDIX

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII.

E recenti huius S. C. notum fit, nulli ex iis Canonicis, qui doctorali Praebenda gaudent, et nihilominus docendi munere in Seminariis Dioecesanis funguntur, ius competere lucrandi quotidianas distributiones, ac si praesentes essent in choro. Idque, sive congruam pro docendi officio accipiant retributionem, sive non. Ratio est Tridentini Concilii dispositio, declarans ut: « Distributiones... qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant ». (*Sess. 21*, *cap. 12*, *de Reform.*). Notandum pariter, dispositionem huiusmodi nulla infirmari ratione contrarii statuti, aut consuetudinis; etenim praefatam legem *Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis aut consuetudinibus.* Quod si ceterum Canonicus doctoralis nimis se gravatum sentiat, recurrendi ei facultas erit ad S. Congregationem Concilii; sed de iure nil de distributionibus ei competit.

Nihilominus et pro certo habendum est, nullum praedictis Canonicis onus incumbere, alios sibi propriis sumptibus sufficiendi in munere magisterii, si infirmitate aliqua laborantes, a tradendis lectionibus impediantur. Quae duplex dispositio, quanta emineat sapientia nemo non videt. Textualia S. C. C. dubia referre iuvat:

DUBIA.

I. An et quousque Canonicus doctoralis, dum in Seminario magisterii munere fungitur, praesens in choro habendus sit in casu?

II. An cum ex causa infirmitatis non possit per seipsum lectionem habere, teneatur aliquem suis sumptibus sibi in magisterii munere subrogare in casu (1)?

Resol. S. C. Concilii, re discussa sub die 25 Iulii 1891, censuit respondere: Ad I *Negative, salvo oratoris iure recurrendi pro gratia.* Ad II. *Negative.*

(1) Casus, nulla praesefert peculiaria temporum vel locorum adiuncta, ex quibus talis orta sit responsio. Agitur enim de Canonico doctorali Cathedralis Ecclesiae Oxomensis, qui docendi munus exercebat in Seminario Episcopali, et a multo iam tempore dictas distributiones, ac si praesens esset in choro, percipiebat. Quae praxis cum Capitulo visa fuisset iuris fundamento destituta, auctoritate Episcopi abrogata fuit. Hinc ad S. C. Concilii recursus, et eiusdem Tribunalis praefata responsio.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

SACRORUM RITUUM CONGREGATIO

I.

BOBIEN.

Episcopus Bobiensis humiliter Em. V. Rmae exponit; in sua dioecesi usum existere, ut Benedictioni cum Ss. Sacramento praemittatur Rosarii recitatio et cantus Litaniarum; et durantibus Litaniis fit Ss. Sacramenti expositio.

Cum autem a Ssmo D. N. Papa praescripta fuerit Rosarii recitatio cum adiectis litaniis B. M., quaeritur: 1.° Ante Orationem quae dicitur post Litanias, dicendúsne est Versiculus tantum *Ora pro nobis S. Dei Genitrix*, ut refertur in appendice Ritualis Romani, sine adiectione ℣℣. *Domine exaudi etc. et Dominus vobiscum?*

2.° In casu affirmativo, cum talis sit praxis universalis, si in quadam dioecesi aliqua esset paroecia in qua, post ℣. *Ora pro nobis*, adiiceretur quoque *Dominus vobiscum* et *Domine exaudi,* Episcopus dioecesanus, ut melius praescriptio pontificia adimpleatur, et uniformitas in tota dioecesi obtineatur, possetne praescribere quod in omnibus ecclesiis suae dioecesis recitetur in casu ℣. *Ora pro nobis*... tantum?

3.° Tandem tenendum ne est, tamquam norma generalis, quod Versiculi *Domine exaudi*...

et *Dominus vobiscum*, praemittendi sint Orationi iis tantum in casibus, in quibus Rituale Romanum illos praescribit?

S. R. C. ad relationem infrascripti Secretarii, propositis dubiis mature perpensis, ita rescribere rata est: SERVETUR RITUALE ROMANUM. Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 Novembris 1891.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus*.
VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius*.

COMMENTARIUM.

Ephemerides Liturgicae iam anno 1890 (*mense Iunio pag. 325*) hisce quaestionibus idem dederat responsum. Inquirenti enim *ex B... in Apennino Ligure*, responderunt *Ephemerides*; " Procul dubio Episcopus potest, imo „ debet, dictam Versiculorum additionem (*Domine* „ *exaudi... et Dominus vobiscum*) abrogare; 1.° quia il- „ licita; 2.° ut uniformitatem in omnibus suae dioe- „ cesis ecclesiis obtineat. „ Ac dein utraque pars responsionis probata suis rationibus fuit. Cum autem *Ephemeridum* auctoritas haud satis fortasse aliquo in loco habita fuerit, Venerabilis Bobiensis Episcopus ut tergiversandi locum adimeret, opportune censuit supremum adire Liturgiae Tribunal, ex quo responsum accepit, quod plane *Ephemeridum* sententiam confirmat. Et sane, quamvis S. R. C. laconice, more suo, rescripserit in casu: SERVETUR RITUALE ROMANUM; nihilominus abunde quaestionibus fecit satis. Siquidem Episcopus Bobiensis aperte exquisierat: 1.° An post

lauretanas Litanias dicendus esset ℣. *Ora pro nobis...* tantum, " UTI REFERTUR IN NOVA APPENDICE RITUALIS ROMANI, SINE ADIECTIONE ℣℣. *Domine exaudi...* et *Dominus vobiscum:* „ et 3.° An tenendum sit, tanquam norma generalis, quod ℣℣. *Domine exaudi...* et *Dominus vobiscum* iis tantum in casibus praemittendi sunt Orationi, IN QUIBUS RITUALE ROMANUM ILLOS PRAESCRIBIT. Iam vero S. R. C. rescribens, SERVETUR RITUALE ROMANUM, evidenter respondere voluit 1. et 3. Episcopi quaestionibus, nempe: IN CASU DICATUR TANTUM ℣. *Ora pro nobis...* sine *Domine exaudi*, et sine *Dominus vobiscum*; atque ℣℣. isti *Domine exaudi*, et *Dominus vobiscum*, IIS TANTUM IN CASIBUS DICANTUR, in quibus Rituale Romanum illos praescribit. Etenim si haud haec conclusio a decreto scateret, S. R. Congregationis responsio inadaequata et imperfecta dicenda foret. At forte dices: Quibusnam locis Rituale Romanum ponit vel non ponit ℣℣. de quibus est quaestio? Non inaniter Episcopus Bobiensis in 1.ma quaestione mentionem facit de *Appendice ad Rituale*, quae reperitur in typica editione a S. R. C. specialiter approbata. Quamvis enim in antiquis editionibus frustra quaerantur Litaniae lauretanae, in nova tamen editione typica Ratisbonensi pag. 23 * inveniuntur, cum solo ℣. *Ora pro nobis...* Cum itaque S. R. C. rescripserit: *Servetur Rituale Romanum*, liquido profluit, aliud eam intelligere nec potuisse nec voluisse, nisi ut servetur Appendix noviter edita et approbata, de qua in quaestionum suarum prima Episcopus loquitur.

Nec S. R. C. absque responsione reliquit 2.am quaestionem Episcopi, in qua exquisierat: an Episcopus Dioecesanus, ut uniformitas in tota dioecesi obtineatur, praescribere posset, quod ab omnibus, non obstante contraria alicuius ecclesiae consuetudine, di-

catur in casu ℣. tantum *Ora pro nobis*, et omittantur *Domine exaudi...* et *Dominus vobiscum*. Rescribens enim, Servetur Rituale Romanum, implicite respondit, quod Episcopus, pro munere suo, Ritualis Romani observantiam in tota sua dioecesi procuret, ita ut si sciat, in aliqua sibi subiecta Ecclesia aliquid contra Rituale in casu fieri, iure suo utatur, et praescriptiones Ritualis ut serventur omnino decernat. Nihilominus quando hic loquimur de Rituali, intelligendum est de Rituali, quale hodie habetur in typica editione, scilicet cum sua Appendice a S. R. C. approbata. Ergo laconica responsione sua S. R. C. adaequate et perfecte tribus quaestionibus Episcopi Bobiensis satisfecit.

Si hoc S. R. C. recens decretum commentario illustrantes, paulo longiores fuimus, parcant lectores nostri humanissimi, licet enim aliter apparere prima fronte possit, nihilominus maximi momenti est, ut et nonnulla ex eo velimus legitime consectaria inferre.

1. Colliges, Appendicem, quae invenitur in editione typica Ritualis Romani, eadem gaudere auctoritate, qua ipsum Rituale gaudet, approbata enim a Sede Apostolica fuit.

2. Colliges, ℣℣. *Domine exaudi...* et *Dominus vobiscum* non esse pro lubitu dicendos, sed iis tantum in casibus, in quibus a codicibus liturgicis probatis praescribuntur, haud contraria obstante consuetudine. Cum enim in quaestione 2.ª Episcopus inquirens de consuetudine in casu contraria locutus sit, et cum S. R. C. servandum esse Rituale responderit, liquido sequitur, eamdem oppositam consuetudinem esse abrogandam.

3. Colliges, Episcopum in sua dioecesi esse revera sacrorum Rituum tutorem et custodem; et quamvis iure suo nihil in Liturgia moliri queat, post Bullam

saltem *Quod a nobis* S. Pii V, potest nihilominus, imo et debet observantiam legum liturgicarum in sua dioecesi urgere et defendere.

II.

DUBIORUM

Insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione proposita fuerunt, nimirum:

I. Quando anniversarium consecrationis Episcopi accidentaliter impediatur festo mobili ritus Duplicis primae classis, transferendum est, an omittendum?

II. Quando idem anniversarium quotannis impediatur festo ritus pariter Duplicis primae classis, quod diei affixum est, reponendum est, an semper omittendum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam;

Ad II. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Atque ita declaravit ac rescripsit die 12 Decembris 1891.

L. ✠ S.

CAI. Card. ALOISI MASELLA, S. R. C. PRAEF.
VINC. NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

ARCHEOLOGIA

DE INVENTA IEROSOLYMIS CONSTANTINO MAGNO IMPERANTE CRUCE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

DISSERTATIO.

(*Contin. et finis V. num. 1, pag. 14*).

Certum itaque videtur, utramque, Protonicis et Iudae Cyriaci narrationem, scriptam fuisse post loca sancta per Constantinum detecta, atque post Helenae Ierosolymitanam peregrinationem. At etiam exploratissimum est, scriptores Graecos Latinosque post illam peregrinationem inventionem Crucis posterorum amandasse memoriae. Cum itaque formae omnes Helenae peregrinationi et realitati factorum posteriores sint, quaenam praecessisse dicenda est? Atque in inquisitione ita procedam.

De Protonicis inventione nemo Graecorum et Latinorum saeculi IV et V scriptorum qui citati sunt, verbum profert. Ex dictis autem patere arbitror, non esse vim aliquam collocandam vel in testimonio Moysis Corenensis ex vita Ripsimianarum Virginum desumpto, vel in Kalendario Isaaci. Nemo autem inficiabitur, in eiusmodi forma nulla reperiri intrinseca indicia quibus eius antiquitas statuatur. Ergo quo caeteris praecessisse dicatur argumenta quaelibet deficiunt. Certum

autem est, eam apochrypham esse, doctrinae Addai interpolatam, easdemque praeseferentem circumstantias, quas in graecis latinisque scriptoribus legimus. Affirmandum est igitur, eius auctorem illam compegisse ad tramites narrationis quam utriusque Ecclesiae scriptores recitant. Sin minus concipi non posset quomodo impostor qui horum aetatem praecessit, facta historica ab his relata divinare potuerit. Nemo autem dixerit, hos imitatos fuisse formam Protonicianam: id enim constare non potest, ceteris praetermissis, ob ea quae cl. Duchesne inducit, scriptores videlicet hos inventionem Crucis narrasse, ut sub fine IV saeculi circumferebatur; at certe non circumferebatur iuxta formam Protonicis. Forma igitur haec scriptorum forma est posterior.

At vir doctissimus etiam fatetur, auctorem formae Iudae Cyriaci conciliare tentasse inventionem Protonicis cum inventione ab historicis inducta; quod praestare non potuisset auctor nisi utramque formam cognoverit. Ergo etiam forma inventionis Crucis iuxta acta Iudae Cyriaci posterior est inventioni eidem ut ab scriptoribus narratur.

Ergo prima forma est narratio scriptorum Graecorum et Latinorum.

Secundo loco venit forma inventionis iuxta acta Iudae Cyriaci, cum ante decretum Gelasianum, id est ante annum 494 inducta fuerit, eiusque qualemcumque notitiam habuisse Sozomenum saltem suspicatur cl. Duchesne.

Postremo loco collocanda erit inventio Protonicis, de qua cum nulla mentio apud scriptores graecos, latinos, et etiam armenos, IV et V saeculi occurrat,

eis nota non fuisse supponenda est; hinc demonstrari nequit alterutri anterior (1).

Scriptores autem Graeci Latinique de ignorantia vel de mendacio argui nequeunt; veritatem ergo dixisse supponendi sunt, quam et ex monumentis, et ex testibus fide dignis nosse poterant, noverantque. *Stat igitur stabitque eorum narratio.*

Antequam huic dissertationi finem imponam, inutile non erit expendere: *an cl. Duchesne aliquo pacto demonstraverit, inventionem Crucis sub Constantino legendariam esse, atque realitate destitutam.*

Logicam potius formam quam ontologicam ad examen revoco.

Pag. CVIII, n. 44 scribit: *Agamus de legenda inventionis Crucis. Circumstantiae huius facti obiectum fuere plurium narrationum, quarum formae principales continentur* in doctrina Addai, penes graecos latinosque scriptores, penes acta Iudae Cyriaci (2).

Haec scribendi ratio obscura mihi est, atque sincere fateor, me non intelligere quid auctor sibi velit.

Attamen cum inventionem Crucis legendam appellet; cum immediate subdat, huius facti circumstantias obiectum fuisse plurium narrationum, intelligere debemus supposuisse cl. scriptorem, vel extitisse legendam aliquam de inventione crucis, cuius circumstantiae obiectum postea fuerint plurium narrationum, ita ut

---

(1) Hac in serie disponenda abusus etiam sum concessionibus praestantissimi adversarii; nemo id mihi crimini vertat.

(2) Occupons-nous d'abord de la légende de l'Invention de la Croix. Les circonstances de cet événement ont été l'objet de plusieurs récits dont voici les trois formes principales.

triplicem formam narratio aliqua praecesserit; vel innuere voluisse, hanc ipsam inventionem sub triplici praesertim forma redactam fuisse, ita ut earum singulae nullam realitatem habeant, prodierintque ex hominum imaginatione vel fraudibus.

Si per citata a se verba cl. scriptor primum innuere voluit, ab ipso quaeri potest ut edicat: quaenam fuerit haec legenda quae tribus formis praecessit? A quo inducta? Quonam tempore? Penes quos scriptores eius mentio reperiatur? Quid insuper continebat? His autem quaestionibus (ignorantiam meam fatebor) ego quidem nescio quid respondeam; aut si quid respondere tentaverim, me in alias graviores quaestiones conjicere intelligo.

Si autem alterum innuere voluit, singulas formas, videlicet, ex hominum imaginatione prodiisse, non poterit se illo vitio liberare, quo supponitur id quod in quaestione versatur; cum enim graves scriptores existant, qui Crucis inventionem Helenae attribuant, hi sunt antea demonstrandi decepti, illusi, mendaces.

At hos mentitos non fuisse ex eo patet quod cl. auctor affirmat, scriptores graecos latinosque inventionem Crucis narrasse, ut in orbe graeco-latino circumferebatur sub IV saeculi fine. Id ergo scripto retulerunt quod ab aliis audiverant et verum habuere; mendaces ergo non sunt; demonstrandi ergo sunt falsis narrationibus decepti. Id autem criticus eximius non demonstravit, sed veluti demonstratum supposuit.

Insuper sub IV saeculi fine inventio Crucis narrabatur ut scripto proditam penes graecos latinosque legimus scriptores.

Quaero igitur: an antea ex. gr. ab anno 330 ad

annum 380 in orbe graeco-latino, vel penes alios populos, crucis inventio aliter narraretur? Si aliter; sub qua forma? Non certe Protoniciana, cum de ea nulla mentio penes scriptores IV et V saeculi reperiatur.

Neque sub forma Iudae Cyriaci; cum enim hic conciliare tentaverit Protonicis et scriptorum narrationes, supponendus est e suo cerebro ad finem IV saeculi inventionem suam eruisse. Neque in Sozomeno vis aliqua reponenda est, ut patet ex iis quae de eius testimonio supra disserui.

Inventio igitur Crucis infra annos 330-380 narrabatur iuxta formam Graecorum Latinorumque Scriptorum; quod de cetero certum ex Sozomeno est, ut qui inventionem illam didicerit tum ab iis qui per continuam generis successionem eam accurate noverant, tum ab iis qui eadem illa quae ipse scribit diligenter memoriae posterorum reliquerant.

Attamen supponantur ante finem IV saeculi singulae invaluisse formae; quomodo factum est ut, ceteris repudiatis, scriptores graeci et latini Helenae, post habitum Concilium Nicaenum, inventionem Crucis tribuerint? Sine inquisitione et ad lubitum? Hoc probatione indiget; atque de cetero suppositioni huic contradicit Sozomenus, qui de notitia inventae per Helenam Crucis ea scribit quae paullo supra commemoravi; ut Cyrillum non nominem, et Rufinum praetermittam, qui a testibus praesentibus rem nosse potuit. Cum inquisitione et documentis? Ergo scriptoribus latinis et graecis perspecta fuit inventio Crucis per Helenam; ergo eis fides est accomodanda. Traducentur ne documenta quae citati scriptores prae oculis habuere apochrypha fuisse, atque hominum commenta? Sed

hoc non asserendum, sed valido est argumento probandum.

Attamen cl. Duchesne persuasus videtur de antiquitate formae Protonicianae, cum pag. CVIII, n. 46 scribat, Addai formam praecedere formae in actis Iudae Cyriaci inductae; horum autem compilatorem conciliare tentasse traditionem primaevam cum historia locorum sanctorum prout narrabatur a scriptoribus latinis et graecis sub IV saeculi fine.

Sed in eiusmodi sententia asseritur quidem, non probatur, formam Protonicis antiquiorem esse forma Iudae Cyriaci. Ex hoc insuper non sequitur, eam praecessisse etiam formae citatorum scriptorum.

Utique cl. scriptor dicit, inventionem Crucis iuxta Addai doctrinam esse traditionem primaevam: attamen dicit, non demonstrat.

Et quidem ex actis Iudae id demonstrare non potest, cum de Protonicis inventione nulla habeatur mentio, quamvis sit unum conciliationis extremum: sed neque ex scriptoribus Graecis, Latinis, Armenis eadem de causa. Si autem demonstrationem reponat in Codice Syriaco quod asservatum in Musaeo Britannico affirmat CVIII, n. 45, § 3, nota 5, et in quo conciliantur relationes Protonicis et Helenae, amissionem Crucis inducendo paullo post Protonicis inventionem; quem Codicem caeteris saeculo VI vel V ad finem properante scriptis praecedere non dicit, perspiciet profecto auctor clarissimus, tardius eiusmodi conciliationem inductam fuisse, eamque non scriptori actorum Iudae Cyriaci deberi, sed alicui alii, cuius dotes nescio. Qui cum utramque formam conciliare non posset, atque de cetero legisset, Cruces ab Helena fuisse repertas in loco, quo post Christum e Cruce depositum proiectae fuerant, id est prope Christi sepulchrum, natu-

raliter quidem, sed sine ullo mentis criterio, amissionem Crucis post Protonicem induxit; alioquin quomodo Helena illam in Calvariae vertice sub humo reperire potuisset?

Ex his autem sequi videtur, cl. Duchesne inventionem Crucis per Helenam, ut a graecis latinisque scriptoribus narratur, nedum falsam non demonstrasse, sed nec dubiam reddere potuisse. At neque demonstrasse patet antiquitatem formae iuxta doctrinam Addai.

Concedere autem deprehenditur, formam Iudae Cyriaci utrique esse posteriorem.

Ergo stat immota Graecorum Latinorumque scriptorum autoritas iis adiunctis communita, quae in hoc qualicumque scripto recensui; atque ipsi dicendi sunt primi qui inventionem Crucis per Helenam memoriae posterorum reliquerunt.

Equidem doctissimum Duchesne plurima laude dignum universi proclamare debent, cum ut ex eius operibus elucet, in veris a falsis discernendis solerter incumbat, atque in veritate affirmanda, factisque discutiendis humanos quoslibet respectus posthabeat; scriptorem videlicet undequaque sincerum et maxime criticum sese demonstret.

Neque mirandum si in aliquo excesserit.

Difficillimum enim est viro etiam doctissimo et maxime critico in plurimis factis discutiendis ita criticae regulis adhaerere, ut praescriptos limites aliquando non praetergrediatur.

Le Canoniste Contemporain ou la Discipline actuelle de l'Eglise — Bullettin Mensuel. - Septembre 1891 - 165ᵉ Livraison - Articles des Revues — N. 133 — pag. 431 — ea recensens quae mense Augusto Ephemerides Liturgicae continebant, de hac Dissertatione ita scribit: I. Pennacchi. Archeologia. *De Inventa Ierosolymis Constantino Magno imperante Cruce D. N. I. C.* (L'auteur veut prouver la certitude de ce fait contre un écrivain qui ne la révoque pas en doute.)

Si quae cl. Canonista scribit vera essent, et ei amplissimas referre gratias, et humillimam veniam ab eruditissimo Duchesne postulare non omisissem; huic enim maximam irrogassem iniuriam, de qua re ille tanta humanitate me monuisset.

Attamen cl. Duchesne Crucis inventionem sub Constantini Magni principatu denegasse nedum mihi, sed etiam aliis viris praestantissimis visum est. Hos autem deceptos non fuisse patet.

1.° Quia cl. Duchesne inventionem Crucis simpliciter et absolute *legendam* appellat: *Occupons-nous d'abord de la légende de l'Invention de la Croix.* Quamvis autem eo nomine, praeterlapsa aetate, indigitari soleret narratio etiam vera et fide digna, vel quae vera et fide digna haberetur; tamen usu nunc recepto designari solet relatio quae saltem fabulis et falsitatibus sit admixta. Hoc autem sensu vocabulum illud a cl. auctore usurpari, patet praesertim ex capite de quo agimus et sequenti.

Uno igitur illius vocabuli usu auctor in dubium revocare videtur Crucis inventionem, Constantino Magno imperante; quo de cetero vocabulo abstinere debuisset,

cum de inventione eiusmodi existant relationes scriptorum fide dignorum, quos ipsemet *graves* appellat.

Neque dici potest auctor *loc. cit.* vocare legendam inventionem Crucis iuxta relationem quae habetur in Actis Iudae Cyriaci, de qua initio huius Capitis loquutus fuerat. Nam primo, de legenda inventionis Crucis loquitur absolute, nulla indigitata exceptione. Secundo autem scribit: *Les circonstances de cet événement ont été l'objet de plusieurs récits, dont voici les trois formes principales.* Harum autem tertia est inventio Crucis iuxta acta Iudae Cyriaci. Si igitur in verbis superius allegatis; *Occupons-nous d'abord de la légende* etc., sermo esset de legenda inventionis Crucis iuxta haec acta, circumstantiae inventionis huius fuissent obiectum inventionis Crucis iuxta eamdem formam; scilicet legenda Inventionis iuxta acta Iudae Cyriaci dedisset causam, vel fuisset obiectum inventionis Crucis iuxta acta Iudae Cyriaci; at tantum auctorem eiusmodi orationis certe puduisset.

2.° Cum egregius Redactor Ephemeridis *Le Canoniste contemporain* affirmet, cl. Duchesne nedum non negasse, sed neque in dubium revocasse Crucis inventionem Constantino Magno imperante, affirmare videtur, eum factum hoc uti certum et historicum retinuisse. Quomodo ergo contigit ut numquam scripserit, Crucem vel ab Helena, vel sub Constantino repertam fuisse? Aut quomodo oblitus fuit definire: an scriptores Graeci et Latini circa Crucem Constantini tempore inventam, verum nec ne dixerint? Etenim aliae duae formae certe fabulosae sunt.

Ausim insuper praestantissimum Canonistam rogare, ut mihi indicare velit sententiam aliquam, qua

cl. Duchesne statuat, vel innuat, veram retinendam esse inventionem Crucis, ut narratur a scriptoribus graecis latinisque.

3.° Sed scribit: *Les circonstances de cet événement ont été l'objet de plusieurs récits, etc.*

At eventum hunc legendarium habet, cum supra scripserit: *occupons-nous... de la légende* etc. Scriptores ergo Graeci et Latini formam suam ex eventu legendario desumpserunt; at quandonam cl. Duchesne eventum hunc verum certumque appellat, ut vera et certa haberi possit forma inventionis Crucis ut legitur penes allegatos scriptores et excudatur legendae notio, atque derivatio? Si insuper fons est legendarius, rivuli possunt ne esse historici?

4.° Quin imo huius facti veritatem historicam excludere videtur. Etenim Nota 6 scribit: *Il n'est pas impossible que la légende de Protonicé soit elle-même dans la dependance de faits réels, de la découverte des saints lieux, du culte de la Croix à Jérusalem, inauguré à tout le moins vers le même temps* (Cyrille Catech. IV. 10; x. 9 en parle comme d'une chose ancienne) *de la célébrité des édifices constantiniens de la ville sainte, enfin du voyage d'Hélène elle-même en Palestine.*

Ergo facta realia pro cl. Duchesne sunt detectio locorum sanctorum, cultus Crucis hoc ipso tempore inductus, templa a Constantino aedificata, Helenae iter in Palestinam. Inventio Crucis igitur pro viro eruditissimo non est factum reale; sin minus illam necessario nominare debuisset; etenim terminus relativus ad inventionem Protonicis est inventio Crucis per Helenam, non detectio locorum sanctorum, cultus Crucis,

aut aliquid aliud; haec enim sine Crucis inventione consistere possunt.

Neque praestantissimus Canonista suspicetur, inventionem Crucis a cl. Duchesne includi in cultu Crucis eiusdem; etenim Crucis inventio etiam sine cultu per se est factum reale; deinde eiusmodi cultus haberi potuit sine Crucis inventione sub Constantino; potuit enim Crux aliqua extitisse, quae Christi putaretur, aut esset, eique post templa aedificata solemnissimus honor, et publicus cultus exhiberi. Quod a cl. Duchesne certe affirmatur; etenim, iuxta ipsum, Cyrillus Ierosolymitanus *en parle comme d'une chose ancienne.*

At cultus iste Cyrillo antiquus esse non potuit, si Cruci illi exhibitus fuisset quae sub Constantino reperta fuerat: fluxerant enim plus minus anni viginti. Quin imo cum cultus ille, saltem solemnis, coeperit tempore dedicationis templi, anno scilicet 335, fluxissent anni undecim. Sed cultus coeptus ante undecim annos poterat ne esse Cyrillo antiquus? Persuasum ergo erat cl. Duchesne, cultum illum non fuisse exhibitum Cruci sub Constantino repertae; alioquin verba Cyrilli ita interpretari non potuisset; Cyrilli, inquam, qui profecto ignorare nequivit an Constantini tempore Christi Crux reperta Ierosolymis fuerit.

5°. De cetero forma atiquior inventionis Crucis, iuxta cl. Duchesne, est Protoniciana; et redactor Actorum Iudae Cyriaci conciliare tentavit traditionem primaevam cum historia locorum sanctorum *telle qu'on la racontait dans le monde gréco-latin depuis la fin du IV^e^ siècle.* Sed demonstratum est, utramque formam, Protonicis et scriptorum, esse in pluribus identicam; cum ergo narratio scriptorum Graecorum Latinorumque posterior sit Protonicis forma; hanc illi excripsisse

vel corrupisse, vel correxisse et praestituto sibi fini accommodasse dicendi sunt, quantum attinet ad inventionem Crucis, ceterasque circumstantias quae Crucis inventioni sociatae leguntur.

Sed forma Protoniciana est puditissima fabula; quomodo ergo vera esse poterit narratio graecorum latinorumque scriptorum, qui illam utcumque imitati sunt, ut ad finem quem sibi praestituerant, accommodarent?

Qua in re et illud observandum esset, scriptores hos non bona fide inventionem Crucis sub Constantino intulisse, sed malitiose formam Protonicis immutasse, ut honorem fabulae illius in Helenam conferrent; qua de causa fide qualibet indigni proclamandi essent, utpote studiose mendaces.

Non videtur igitur verum, quod auctor dissertationis de inventa Ierosolymis Constantino Magno imperante Cruce D. N. J. C. *veut prouver la certitude de ce fait contre un écrivain qui ne la révoque pas en doute.*

(*Finis*).

IOSEPHUS PENNACCHI
in Collegio Urbano de Propaganda Fide Hist. Eccl. Professor.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Continuatio Tituli IV: vid. n. 12. 1891, pagin. 698)

TEXTUS.

(Titulus V de Feriis) (115).

N. 1.

Officium Feriale, hoc est Simplex de Tempore occurrenti (116), prout in Psalterio et Proprio de Tempore habetur (117) fit semper in Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum et Feria secunda Rogationum (118), quando infra Hebdomadam non occurrit Festum Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava; quia tunc de huiusmodi Feriis fit commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus (119). Si vero in eis occurrat Festum Simplex, de eo fit tantum commemoratio (120). Item per annum fit officium de Feria illis diebus, quibus infra Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod Festum Duplex, Semiduplex, vel Simplex (121) et non occurrit aliqua Octava (122) vel officium S. Mariae in Sabbato (123), vel aliquod Festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari quamvis in Kalendario huius Breviarii non sit descriptum (124).

(115) *De Feriis.* Feria dicitur *a feriando* ut docet Durandus (*Ration. Temp. l. 7, c. 1, n. 11)* " quia toto tempore a vitiis vacare debemus, non quod sit a necessariis vitae operibus feriandum. Vel dicitur a *fando,* idest loquendo, quoniam, sicut legitur in Genesi, Dominus dixit et facta sunt „. In festo S. Silvestri Pp. (*lect. VI*) legimus quod hic Pontifex *Sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadae dies feriarum nomine distinctos, ut iam ante in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit, quo significaretur quotidie clericos, abiecta coeterarum rerum cura uni Deo prorsus vacare debere.* Et revera S. Ignatius et S. Iustinus, qui saeculo I et II floruerunt, memorant ferias, pro diebus infra hebdomadam; et Tertullianus (*adv. Psychicos c. 8, et 14*) a Gavanto relatus ait: " Nobis omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur, cum enim horrerent fideles nominare dies a diis gentium, vel Iudaico more a Sabbato primam, secundam Sabbati etc. „ Unde recte concluditur S. Silvestrum morem antiquum suo decreto firmasse, non autem *feriarum* nomen in ecclesia primum invexisse, uti Durandus (*loc. cit.*) innuit.

(116) *Officium Feriale, hoc est Simplex de Tempore occurrenti.* Antiqui officium feriale, appellabant officium trium Responsoriorum, teste Gavanto (*Sect. 3, c. 5, n. 1*), hodie vocatur trium lectionum. Officium feriale hic dicitur, *Simplex de Tempore* ut distinguatur a *Simplici de Sanctis,* quod licet feriale sit secundum quid, est tamen officium festivum, per ipsum enim Festum alicuius Sancti celebratur.

(117) .... *prout in Psalterio et Proprio de Tempore habetur* .... scilicet *in Psalterio* quoad psalmos et antiphonas, *in Proprio de Tempore* quoad lectiones et Orationes.

(118).... *fit semper in Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum et Feriae secundae Rogationum.* Omnes hae feriae dicuntur *maiores*, prout dicetur in Tabella occurrentiae, si Vigilias excipias, quae in omnibus cum maioribus feriis non aequiparantur; proindeque in § XX huius nostrae expositionis, Ferias maiores 1um, 2um, 3um et 4um ordinem Simplicium constituere docuimus, Vigilias vero communes ordinem 5um. Uti docet Gavantus (*loc. cit.*), distinctio feriarum maiorum et minorum, in recognitione Clementina (Clementis VIII) inventa est, occasione Tabellarum de occurrentia et concurrentia in fine Rubricarum editarum ad faciliorem Tabellarum usum, eodem Gavanto ipsas Tabellas reformante, iussu S. R. C.

(119).... *quando infra hebdomadam non occurrit festum duplex vel semiduplex, vel de Octava, quia tunc de huiusmodi Feriis fit commemoratio ut dicetur*.... Occurrente enim quocumque officio duplici vel semiduplici, de his feriis maioribus fit tantum commemoratio, exceptis feriis hebdomadae sanctae, quae praeferuntur omnibus officiis, etiam solemnioribus, et exceptis vigiliis communibus, de quibus nulla fit commemoratio in duplicibus 1 classis.

(*Continuabitur.*) Doct. Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

II.

DE MISSA PONTIFICALI IN TRIDUANIS BEATIFICATIONIS FESTIS.

In quadam exterarum regionum Ecclesia, nuper transacto anno, acta sunt triduana solemniora festa in honorem unius ex recenter Beatificatis. Episcopus autem quidam casu illuc transiens, ad Missam Pontificalem die tertia canendam invitatus fuit. Invitatione accepta, Missa sequenti ratione fuit per caeremoniarum magistrum ordinata. 1. Dum Episcopus sacra indumenta sumebat, chorus Horam Nonam pro Tertia cecinit. 2. Ad hymnum angelicum, statim post intonationem Episcopi, Imago Beati detecta fuit, quippe quae, in fronte parietis altaris fuerat collocata velo serico cooperta. 3. Nulla ex occurrentibus commemorationibus facta fuit: imo cum tertia dies incidisset in Dominicam communem, et huius commemoratio fuit omissa, et sola Oratio Beati concenta. 4. Symbolum pariter additum est in Missa; et Evangelium Dominicae neglectum, sed fuit recitatum S. Ioannis. 5. Denique brevis processio post Missam instituta fuit per Ecclesiam cum insigni Beati Reliquia. Omnibus absolutis, Episcopus de pluribus rationem a caeremoniarum magistro exquisivit, quae haud sibi arriserant in functione; cui magister caeremoniarum respondit, omnia ad amussim se ordinasse, sicuti fert romana

consuetudo, processione excepta, quam ipse devotionis ergo in Beatum ex se disposuerat. Neque cetero, addidit, mirandum; quia huiusmodi Missa, sicut et privatae, sunt ad instar votivarum solemnium pro re gravi. Episcopus nihilominus graviter illum obiurgat pro Hora Nona, quae loco Tertiae concenta fuit, a fortiori pro processione, quam absolute prohibitam proclamavit: Romam postea ad amicum suum harum rerum peritissimum scripsit, inquirens:

1. *Utrum solemnia triduana Beatificationis festa indicium aliquod in Ecclesiae antiquitate habeant?*

2. *Utrum huiusmodi Missae, seu solemnes, seu privatae, votivae censendae sint vel festivae, et quasnam commemorationes admittant aut respuant?*

3. *Quid de reliquis ut in casu, maxime de Hora Nona, et processione, quas reprobavit Episcopus?*

4. *Quomodo ergo ordinanda Missa in triduanis Beatificationis solemniis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Henrici Fedeli ex alumnis Pontificii Seminarii Romani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 3 Dec. 1890: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum M. Difava.

1. Primo quaeritur, utrum solemnia triduana Beatificationis festa indicium aliquod in Ecclesiae antiquitate habeant.

Compertum iam ponimus lectoribus nostris, post Pontificium Beatificationis Breve, quod ex praesenti disciplina in Archibasilica Vaticana (1), maxime coram

(1) Ante tempora Summi Pontificis Alexandri VII, certum est, nullam fieri consuevisse solemnitatem Beatificationis, in Ba-

Emis purpuratis Patribus sacris Ritibus praepositis, Officialibus, et Consultoribus S. R. Congregationis, ingentique populi multitudine solemniori pompa e sugesto legitur, potestatem fieri nonnullis Ecclesiis, solemniora Beatificationis festa infra sex menses vel annum celebrandi. Haec itaque ultima sunt, de quibus agimus, festa Beatificationis, quae communiter, maioris solemnitatis ergo, per tres dies maxima cum pompa externoque apparatu in Ecclesiis, quibus fuere concessa, celebrantur. De his autem inquiritur, utrum quoddam habeant in antiquitate Ecclesiae indicium.

Ante omnia animadvertendum, a tempore Gregorii Papae X, decimo tertio nempe saeculo, initium habuisse solemniores Beatificationes: quippe qui primus concessit, ut corpus Beati Luchesii processionaliter deferri posset. Quinimo ad tempora Alexandri Papae III, eae referendae Beatificationes videntur, saeculo scilicet decimo secundo: quando auctoritate Pontificum ius praepeditum fuit in Episcopis, cultum Servorum Dei in suis dioecesibus decernendi, quod idem est ac dicere, beatificandi. Porro dubitari non potest, post Beatificationes a Romanis Pontificibus actas, solemniora quaedam instituta etiam fuisse in privilegiatis Ecclesiis festa in recentium Beatorum honorem, prout Summi Pontifices indulgebant. Hinc ex Bullan-

---

silica saltem Vaticana; verum, expletis causis, praevia discussione, tum virtutum tum miraculorum, Brevique expedito et Postulatoribus tradito, si in Urbe fieret Beatificationis festum, fiebat tantum in Ecclesia eius ordinis, quem Dei Servus, si Regularis erat, fuerat professus: vel in ecclesia eius nationis, ex qua Dei Servus natus erat, si gens illa propriam habebat in Urbe Ecclesiam (*Bened. XIV De Serv. Dei Beatif. et Beat. Canoniz. Lib. I, cap. XXIV, n. 1*).

dianis constat (*ad diem 28 Apr. pag. 668*), solemnem actam de Beato Luchesio processionem, uti diximus, aetate Gregorii X. Solemnis postea de Trinitate Missa ab Eugenio Papa IV (*saeculo 15*) concessa fuit de Beato Andrea Corsinio. Solemne celebratum fuit festum a Neti incolis in Sicilia in honorem Beati Conradi Placentini (*saec. 16*), uti documentum extat apud Wadingum (*Tom. 8, pag. 57*), ut alia plura eiusdem generis praetereamus exempla.

Sed et si antiquioria saecula consulamus, eadem de hisce Beatificationis festis reperiemus indicia. Antequam nihilominus veritas exemplis patefiat, notandum venit, antiquitus Canonizationes per Pontifices, Beatificationes vero per Episcopos fuisse factas: licet quandoque ipsae Beatificationes per Pontifices immediate fierent. Tunc enim aliquis canonizari dicebatur, cum Pontifex, illius ad universam Ecclesiam extendebat vel indicebat cultum: beatificari vero dicebatur, cum Episcopus eumdem de aliquo cultum permittebat vel approbabat in propria dioecesi. Notum est enim universalem cultum Sanctorum permittere ad Episcopos nunquam potuisse pertinere, qui uni tantum Ecclesiae praesunt: qui tamen cultus postea, vel Pontificis vel aliarum Ecclesiarum accedente consensu, universalis evadebat.

Iam nunc innumera non desunt exempla de festis, quae vel indixerunt vel permiserunt seu Pontifices, seu Episcopi in honorem eorum, qui virtutibus ac miraculis, dum viverent, sicuti post obitum, praefulserunt. Namque initio saeculi decimi constat, inventa fuisse corpora servorum Dei Agricolae, Silvestri et Desiderii, quos deinceps Ioannes Papa IX venerationi haberi beatissimos Dei Confesseres, et ut dies eorum gloriosi transitus festive celebrarentur apostolica aucto-

ritate iniunxit. Similiter nono saeculo facta est elevatio corporis Ursmari Laubiensis abbatis, et festiva dies in eius honorem statuta est, permissu Halidgarii tunc Episcopi Cameracensis, teste Fulcuino (*Act. Sanct. Benedictin. saec. 3 pars 1, pag. 257*). Labente saeculo octavo, cum magnis praefulsisset miraculis et virtutibus quaedam Walburga, Olgarius Episcopus Eystettensis solemni pompa illius corporis translationem explevit (*Gretser. in vit. S. Willibaldi, cap. 31 et 32*). Imo et quarti saeculi exemplum referre iuvat de S. Hilarione, qui statim post obitum magno cepit in honore haberi; cumque Hesychius eius discipulus Reliquias illius Palaestinam deportasset, et in suo monasterio sepellisset, ab eo tempore dies festus maxima hominum frequentia, et summo splendore quotannis ab indigenis celebratus est (*Sozomen. Lib. 3, cap. 14*). Idem de tot praecipuis Ecclesiae luminaribus procul dubio censendum, uti de Doctoribus antiquioribus Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Basilio, Cyrillo, Athanasio: idem de martyribus primaevae Ecclesiae aetatis, uti de Laurentio, Vincentio, Agnete, Agatha, Lucia etc. et a fortiorii de Apostolis: quorum omnium ut cultus in particularibus Ecclesiis incepit, solemniora statim instituta festa fuerunt, quae successu temporis universalia facta sunt. At pietati fidelium, rectoque sensui consonum omnino est, ut statim ac vel Ordinarius in sua Ecclesia, vel Pontifex in pluribus, imo in omnibus Ecclesiis, cultum de aliquo permittebat vel praescribebat, respectivae, unaquaeque pro sua facultate Ecclesiae, solemniori qua rationi poterant, primum celebrarent festum quotannis postea recolendum. Haec quidem sufficiant, ut primae satisfiat petitioni; cum apprime pro indicio

exhibendo sint satis, quod nostris, quae in praesenti disciplina peragimus, festis respondeat.

2. Praesens autem disciplina fert, ut in triduanis Beatificationis festis, praeter alia pietatis exercitia, quae libera sunt, Missa et Vesperae ritu solemniori celebrentur (1). Hinc petitio altera, Vesperis omissis de quibus vix potest oriri quaestio, inquirit, an Missa ista solemnior, sicuti aliae quae lectae esse queunt, censendae sint votivae, an potius festivae, et quasnam commemorationes exigant.

Ad primam partem quod spectat, respondemus, huiusmodi sive Solemnes Missas sive privatas, esse potius vere festivas, quam votivas. Namque de recenter Beatis in his solemniis Missae ex praecepto sunt in illis Ecclesiis, in quibus eadem solemnia recoluntur: ut Missam de alio officio agere, quod Sacerdos forte recitavit, profecto non liceat. Missa autem votiva illa dicitur, quae ad libitum Celebrantis dici potest, vel omitti. 2. Hae Missae cum officio concordant, non quidem omnium celebrantium, ex quibus plurimi fortasse aliud recitarunt, sed officio Ecclesiae, in qua totum festum recolitur de Beato. Idem proinde de his Missis ferendum est iudicium, quod fertur de illis, quae in Ecclesiis Regularium Sacerdotes exteri in Institutorum honorem celebrant, vel in aliis Ecclesiis de Titulari a quibuscumque Sacerdotibus in eas confluentibus celebrantur. Et quemadmodum istae, ita illae sub omni respectu festivae sunt, licet non plurium

(1) Romae e Secretaria Sacr. Rituum Instructio data est pro casu, seu pro his celebrandis festis; et praeter alias sacras functiones, quae fieri possunt, et quas Instructio extraliturgicas appellat, Missam et Vesperas et Benedictionem peculiariter praecipit (*1 Iun. 1867*).

Celebrantium sed Ecclesiae tantum officio respondeant. 3. Si Matutinum de Beato, nec prima die tridui (in aliis enim diebus standum Calendario) celebratur, imo nec ipsae solemniores canuntur Vesperae, puta ex defectu ministrorum vel alia causa, nihil officit. Nam solemnitas est omnino sui generis et extra ordinem, sed omnem solemnioris festivi rationem habet, haud votivi. Si ceterum, respectu Celebrantis, a cuius officio discordant, velis has Missas appellare votivas, ultro concedimus; sed in seipsis inspectae, festivae sunt, quippe quae Ecclesiae festum pro obiecto habent. 4. In ipso Beatificationis Brevi conceditur, *ut sollemnia Beatificationis Ven. Servi Dei celebrentur cum officio et Missis duplicis maioris ritus.* Solemnitas autem huiusmodi omnino festiva dicenda est, non votiva, pro qua inutilis profecto esset, nulliusque sensus, ritus duplex maius. Insuper, cum *officium et Missas* Breve concedat, iterum patet, Summum Pontificem veram solemnitatem festivam, haud votivam, concedere. 5. Notandum praeterea, Beatificationis festum, de iure unum tantum comprehendere diem, pro quo *officium et Missae* conceduntur: quod si ad tertium usque protrahitur, haec prorogatio ex indulto est, festivi tamen rationem induit. Hinc unius diei festum, post Breve Beatificationis, absque ulla alia facultate fieri potest, trium vero dierum fieri nequit, quin peculiariter indulgeatur, uti ex indulto sunt particulares Indulgentiae, et Symbolum in omnibus Missis, quod *per se* excluditur. 6. Denique, si hae Missae, votivae dicendae essent, palam sequeretur, ipsas primas Missas, quae de Beato dicuntur, recitari posse uti votivas. Id autem falsum probatur, quia uti tales nunquam conceduntur nisi de specialissimo indulto. Porro decretum *super cultu Beatis, adhuc non canonizatis tribuendo*, d. d. 27

Sept. 1659, excessum in hac materia prohibet et reprobat, et in Breve Beatificationis Missae indulgentur in die tantum festo. Ergo festivae potius quam votivae dicendae videntur. Ad primam ergo quod spectat praefatae petitionis partem concludi posse videtur, Missas omnes, sive solemnem aut cum cantu, sive etiam privatas, non votivas, sed festivas esse. Cum nihilominus ab officio quod recitatur etiam in ipsa Ecclesia, ubi festum recolitur, saepe discordent, consequens est, ut festivae quidem sint, sed extra ordinem aliarum, quae sunt festivae ratione officii quocum conveniunt, pertineantque ad *festum sui generis*, et quodammodo *extrinsecum* (1).

---

(1) Ita rem exprimimus, quia ut plurimum in his triduanis festis officium non recitatur de Beato, si excipias Vesperas, quae etiam saepe omittuntur. Quod si hae sint praeter ordinem Calendarii, nec per eas obligationi satisfit, uti semper adnotatur in decreto, quod eadem triduana festa permittit. Item festa huiusmodi sub ritu duplici maiori conceduntur, ut excludantur a duplicibus primae et secundae classis, sicut a Dominicis, quae ad primam alteramve classem pertinet; et nihilominus solemnissima ratione celebrantur, aliisque quibuscumque potioribus festis praestant. In duplicibus tamen et Dominicis secundae classis solemnis Missa, non vero privatae permittuntur. Haec disciplina est, quae viget: ut proinde totum festum quod per triduum protrahitur, extrinsecae, vel maximae licet, solemnitatis rationem induat. Nihilominus in II Volumine Operis *Thesaurus Sacrorum Rituum* Gavanti habentur MONITA *in celebrandis per triduum.... solemniis Beatificationis*... pro Ordine Min. S. Francisci, quae huiusmodi Missas votivas dicunt. XII sunt monita, inter quae sic se habet XI: « Hac solemnis tridui occasione excepta, non permittunt Rubricae celebrare infra annum Missas votivas de Beatis, sed tantum festivas in Natalibus... eorumdem Beatorum. » Monita sequitur haec adnotatio: *Methodus, quae servata fuit ex peritiorum in sacris ritibus consilio a Patribus Capuccinis... poterit iuvare pro directione alio-*

Ad aliam pergentes quaesiti partem, dicendum videtur, omnes commemorationes esse omittendas. Ratio est, quia in his triduanis festis tota quodammodo absorta manet respectivae Ecclesiae solemnitas: ut, quamvis sit extrinseca, sui generis tamen, efficiat, ut quaecumque alia festivitas inibi non computetur. Exemplum desumi posset ab illis festis potioribus, quorum solemnitas apud Galliam in sequentem Dominicam transfertur. Constat enim S. R. Congregationem declarasse, in solemniori Missa praefatorum festorum, quae transferuntur, nullam agendam commemorationem (*Lucionen. 29 Dec. 1884 ad 1 et 2*); idque, sive adsit, sive non, obligatio chori, sive canatur, sive non, alia de officio currenti Missa. Quare autem, nisi ratione maximae solemnitatis, quae translata licet, tali Dominica in illa Ecclesia recolitur? A pari in casu nostro, in quo summa habetur celebritas, non quidem translata, sed iis diebus ex legitima auctoritate affixa, et in qua prae ipso Calendarii festo, totam ponit Ecclesia operam. Cum ergo solemnitas maxima commemorationes excludat, ut una dicenda sit Oratio, sequitur, etiam in casu nostro alias quascumque negligi commemorationes posse, et unam tantum de Beato Orationem dici.

Decretum quidem mox relatum de Missa exclusive solemniori loquitur: sed ipsum nos arbitramur ad Missas quoque lectas applicari in casu posse. Ratio est, quia sicut in Gallia per solemniorem Missam tantum recolitur festi celebritas, ita in casu nostro re-

---

rum... etc. Hoc notatum voluimus, ut intelligatur, non esse has Missas adeo certe festivas, ut omne de votivi natura dubium excludant.

colitur per solemniorem et privatas simul, quae omnes de Beato indulgentur, et solemniori quoque ratione celebrandae sunt. Ergo quod de solemniori dicitur et ad privatas extendendam est. Exceptionem nihilominus pro iis faciendum esse commemorationibus credimus, quae nunquam omittuntur, quocumque solemniori occurrente festo, uti Dominicae et feriarum Adventus ac Quadragesimae, si in his diebus triduana Beatificationis festa peragantur.

3. Quaerit petitio tertia iudicium de singulis, quae sunt in casu exposita. Post dicta breviori calamo respondebimus. Primo, casus innuere videtur, Episcopum sumpsisse sacra pontificalia paramenta in secretario, dum interim Hora Nona decantata fuit. Notamus Episcopum Ordinarium iure frui pararamenta sumendi in sacello a choro separato, et ad id disposito, non fit quaestio, cum id ex Caeremoniali Episcoporum habeatur. At idem ne ius competit Episcopo extradioecesano? Dubia res est: Romae id consuetudinis non viget, cum Episcopus in omnibus Ecclesiis paramenta sumat vel in choro, sine tamen Horae parvae cantu, vel in sacrario. Extra urbem nihilominus, id fieri certo scimus, nec ab Ordinario reprobari. Animadverti opportune potest, haud satis perspicue constare ex Caeremonialis lege, an sumere paramenta in secretario sit ita exclusivum ius Ordinarii, ut Extradioecesanis competere nequeat, saltem si Ordinarius permittat. Nullum certe decretum manifesto id prohibet, ut proinde factum damnare iure nequeamus. Secundo, posito Horam parvam posse cani, num iure Nona concenta fuit? Caeremoniale loquitur de Tertia, haud de Nona Hora concinenda; at supponit Missam Conventualem concini, quae locum post Tertiam habet. Dicendum ergo, ideo in casu fuisse Nonam decanta-

tam, quia, uti ex expositione totius facti apparet, Missa iudicata est votiva, quae canenda est post Nonam. Nos autem, cum supponamus, Missam in casu esse festivam, inferimus, haud Nonam sed Tertiam Horam fuisse cantandam. Tertio, ad *Gloria in excelsis Deo* detecta Beati imago fuit. Imitatio est illius, quae in ipso Beatificationis actu caeremonia peragitur, sed reprobanda. Namque antequam supremum nullique reformationi subiacens iudicium Summi Pontificis in Beatificatione vulgetur, satis intelligitur ratio, ob quam adhuc Ven. Servi Dei imago cooperta maneat, ut postea, tamquam Beati altarium honore detecta imago afficiatur. At huiusmodi prolato iudicio, ut quid imaginem Beati coopertam habere? Huiusmodi caeremonia recto sensu caret, ut nil aliud animadvertamus. Quarto, occurrentes omnes commemorationes fuerunt omissae. Si ex his aliqua occurrebat, quae nunquam ex iure liturgico omitti solet, uti Dominicae in casu, factum videretur improbandum, secus ex opposito approbamus. Quinto Symbolum in Missa toto iure additum fuit, quod in indulto ratione solemnitatis semper in casu conceditur. Sed ex dictis sequitur, Evangelium Dominicae omittendum in fine non fuisse, de qua et peragi debebat commemoratio; non enim Missa ex votivis est, quae Evangelio S. Ioannis semper in fine gaudent. Sexto, processionem cum Reliquia Beati, et nos cum Episcopo non possumus, quin reprobemus, cum statutum sit: *Eorumdem* (Beatorum) *Reliquiae in processionibus minime circumferantur* (Decret. Gen. sup. cult. Beator. etc. 27 Sept. 1659). Nec ratio probanda, quam affert Caeremoniarum magister, ut coram Episcopo se excuset. Nam fortasse exemplum is accepit a Missa, quae in Basilica S. Petri ad Vati-

canum (1) pro Beatificatione celebratur. Sed nihil valet, eo quod illa Missa vere votiva est, et praeter ordinem officii, quod integrum iuxta Calendarium illic recitatur, pertinetque ad festum, quod ea die recolitur. Hinc iure merito, cum votiva solemnis illa sit, omnes omissae commemorationes sunt, et Evangelium S. Ioannis in fine recitatum; sed aliter se in casu negotium habet, uti superius expositum est.

4. Quaeritur ultimo, quomodo Missa sit ordinanda in his tribus diebus. Post discussa, perfacilis responsio. Praemittimus ex dictis, eiusmodi tam solemnes quam privatas Missas omnino inter solemniores recensendas esse, et ad celebrius Ecclesiae particularis festum attinentes. Neque obstat ritus duplex maius tantum, sub quo conceduntur. Namque id statuitur, quia pro festis huiusmodi dies ad libitum ex consensu Ordinarii seligendi sunt; haud ergo convenit, ut festa primae aut secundae classis a diebus suis propriis exturbentur, quae antea possidebant. Propter hoc sub ritu duplici tantum maiori ea conceduntur, solemnissima nihilominus censenda sunt. Quibus positis, sequenti ratione praefatae Missae ordinabuntur. Missa erit de Communi, ut in fine Missalis, nisi propria, quod generaliter non accidit, indulgeatur, vel Confessoris, vel Martyris etc. iuxta qualitatem Beati, cum Oratione, Secreta et Postcommunione propriis, quae ut plurimum permittuntur. Dicetur hymnus angelicus prout Missis festi convenit, et addetur Symbolum, cuiuscumque sit qualitatis Beatus, etenim indulgetur.

---

(1) Rm̃um Canonicorum Collegium Basilicae Vaticanae huic solemniori Missae assistit, quam tamen praeter ordinem officii diei decantat; est proinde vere votiva solemnis, ut nullam, nec Dominicae, commemorationem admittat, et semper in fine habeat Evangelium S. Ioannis.

Unica erit Oratio, et si altera addatur iuxta superius exposita, sub unica conclusione recitandam eam credimus, maximae ratione solemnitatis. Praefatio erit, iuxta Rubricae normas, vel de Communi, vel de infra octavam, vel de tempore, nisi propria indulgeatur, quod vix solet accidere. Denique in fine recitabitur Evangelium S. Ioannis, nisi Dominicae, aut alterum feriae maioris dicendum occurrat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Urbe.* **De thurificationis ordine ad Vesperas.** In patriarchali Basilica S. Mariae Maioris consuetudo viget thus in Vesperis adolendi pluribus altaribus. At quandoque accidit, ut Sacramentum asservetur in tabernaculo altaris choralis. Quaeritur: Altari chorali thus ne adolendum ante, vel post alia altaria?

Resp. Animadvertendum imprimis Caeremoniale Episcoporum de uno tantum altari verba facere, cui thus adolendum est (*Lib. 3, cap. 23, n. 27*). Nihilominus thurificatio altaris, ubi Sacramentum asservatur, praeceptiva est ex decreto *Ambianen.* 30 Aug. 1875 ad 1 (1). Hinc

(1) En decretum citatum prout in authentica Collectione legitur: « An thurificatio altaris, in quo asservatur SS. Sacramentum, quando est distinctum ab altari chori sit praeceptiva, quando Vesperae canuntur a simplici Sacerdote vel Canonico? » *Respon*. « Affirmative, et dentur decreta in Una Beneventana diei 5 Sept.

auctores, qui dicti altaris thurificationem ex sola consuetudine agendam sustinent, manifeste errant. Ad thurificationem vero quod attinet alterius altaris, ubi Sanctus recolitur, cuius agitur festum, constat consuetudinem esse servandam (*Sanctorien.*, *4 Maii 1882, ad III*). Rebus ergo ita se habentibus, ut nempe Sacramentum in alio asservetur altari a chorali diverso, indubium est prius illud esse thurificandum in quo Sacramentum reconditur, et nonnisi postea altare chorale (*Null. Dioec. et Provin. Treviren. 31 Iul. 1648 ad 1*). At quinam tenendus ordo, si in altari chorali Sacramentum asservetur, et aliud sit altare thurificandum? Respondemus, rationem ob quam altare Sacramenti ante alia thurificandum est ex citato decreto, nonnisi dignitatem obiecti thurificandi esse posse, nempe Sacramentum. Atqui Sacramentum in casu in altari chorali servatur; ergo hoc ante alia thurificandum. Maior omnino certa nobis apparet, ut nesciamus quid contra ipsam valeat obiici; cumque de minori praemissa du-

1648 ad III, et in Una Nullius Dioecesis Provinciae Treviren. sub die 18 Sept. 1665 ad 1. » Ergo lex de altari Sacramenti thurificando in Vesperis solemnibus indubia est, saltem quando Vesperae pontificales non sunt. Hoc autem in casu disputari potest, quia S. C. in Una S. Marci, respondit, altare Sacramenti esse thurificandum: « quando Episcopus Vesperas non celebrat (*2 Mart. 1862 ad VI*). » Decretum autem superius relatum in *Ambienen.* (ad II) inquirit: « An talis obligatio adsit quando Vesperae celebrantur ab Episcopo? » Responsum est autem: « Servetur Caeremoniale Episcoporum. » Ergo altare Sacramenti non esset thurificandum in Vesperis Pontificalibus, quia Caeremoniale Episcoporum de hoc plane silet. Romae nihilominus contraria viget in omnibus etiam observantioribus Ecclesiis consuetudo certe longaeva nimis: quae cum in se laudabilis omnino sit, et non contra sed tantum praeter Caeremoniale, iure servari eam posse, imo et debere, non est ambigendum.

bium non exoriatur, consequens pariter indubium iudicamus.

Iam vero altare chori, in quo Sacramentum asservatur, thurificato, potest ne aliud altare thurificari, puta Titularis, vel alterius cuius festum recolitur? Ita plane. Si enim Sacramentum in altari a chorali diverso asservaretur, certe altare illud thurificari posset; quare ergo thurificari non poterit, si asservatur in chorali? Nulla enim extat lex, quae ligat ad altare chori post alia altaria thurificandum. Posito ergo asservari Sacramentum in chorali, hoc thurificato, aliis quoque thus adolebitur altaribus iuxta consuetudinem. Aliter sentire videtur cl. De Herdt, dicens: " Si aliud altare in Vesperis incensandum sit.... tunc facta incensatione altaris, ad quod Vesperae celebrantur.... Celebrans omnesque ministri ad illud procedunt etc. „. (*Prax. Pontif. Lib. I, cap. 23, n. 27, l. a*). At vix intelligimus, quare cl. auctor admittat hic incensationem altaris choralis ante aliud Sancti, cum tamen antea docuerit, prius thurificandum esse altare Sacramenti, et postea altare chori (*Ibid.*). Forte is censet, altare Sacramenti thurificandum ante chorale, ratione dignitatis, quae in altare Sancti, cuius festum colitur, non invenitur prae chorali, ut consequenter illud quidem, non vero istud ante altare chorale thurificari debeat. At cum bona eiusdem auctoris venia, arbitramur id minus esse consonum recto sensui liturgico. Nam inconveniens oriretur quod admitti non debet: ut nempe celebrans cum ministris bis e choro exire deberet et regredi, prius pro altari Sacramenti thurificando, et post thurificatum altare chori, iterum pro thurificando alio altari, ut denuo in chorale rediret. Magis itaque certo congruit, ut prius altare Sacramenti a chorali distinctum, deinde aliud altare, vel duo, si adesset

consuetudo, et quidem pro dignitate, denique ultimo altare chori thurificentur. Si proinde Sacramentum asservetur ex necessitate in chorali altare, hoc prius, deinde alia thurificari debent.

II. *Ex Ostuno in Italia meridionali.* **De manuum elevatione ad** *Te igitur* **in Missa**. Antiquiorum Missalium Rubrica ad *Te igitur* in Canone Missae haec tantum habet: " (Sacerdos) extendens et iungens manus, etc. " dum e contra in recentiorum etiam typicorum Missalium Rubrica, invenitur additum verbum *elevans*: " (Sacerdos) extendens, elevans et iungens manus etc. ". Quaenam ex duabus est sequenda?

Resp. Hoc super negotio, antequam proposito dubio categorice respondeamus, ad verbum Rubricas variis in liturgicis libris appositas nobis referre liceat. Rubrica Canonis est: " Sacerdos extendens et iungens manus etc. ". Ritus celebrandi habet: " Sacerdos elevat manus... ac manibus iunctis etc. " (*Tit. VIII, n. 1*). Sacerdotale Romanum habet tantum: " Manibus iunctis " (*De Canone Missae*). Missale antiquius S. Pii V similiter tantum habet: " Manibus iunctis " et nil de extensione aut elevatione. At Ordinarium Missae habet: " Extendens et iungens ". Atque ita etiam in omnibus Missalibus usque ad recentiores editiones Ratisbonenses, in quibus additum est verbum *elevans*. Adeo ut in praesentibus Missalibus, haud mortuorum exclusis, legatur: " Sacerdos extendens, elevans et iungens manus etc. "

His positis, et Rubricis seu Ordinarii Missae seu Ritus celebrandi collatis, infertur revera manus extendendas, elevandas et iungendas esse ad verba *Te igitur* in Canone, uti ex supra relatis liquido patet. Quapropter S. R. Congregationis ad Rubricas additio, quamquam in se ipsa considerata gravis sit, tamen ad Rubricam

iniunctam respectu habito, parvi imo nullius est momenti, utpote, uti diximus, iam existens: ita ut declaratio vel explicatio potius quam mutatio, illa S. R. Congregationis additio appellanda sit. Et ideo omnibus aliis spretis, Rubrica, prout in typicis editionibus iacet omnino est sequenda. Ceterum, notatu dignum est, hanc additionem de qua nobis sermo, non ita recentem esse, ut alicui forsan videri posset, namque iam in editione romana Iosephi Salviucci anni 1861 facta erat.

III. *Ex eodem loco.* **De Epistola in Missa** *pro Viduis.* In Missali post Missam *Cognovi*, de Communi nec Virginis nec Martyris, subiungitur: .....*item alia Epistola pro Viduis.* Quaeritur: Semper ne in Missa pro Viduis secunda Epistola est legenda, an tantum in casibus a Rubrica assignatis?

Resp. Negative ad primam partem: affirmative ad secundam. Nam si semper secunda Epistola esset legenda, cur Rubricae quandoque primam et quandoque secundam legendam esse indicarent? Nonne illud iure repeti posset: Ut quid perditio haec? Insuper si spiritus Ecclesiae bene scrutetur, facile perspicitur, ipsam, hanc vel illam Missam, hanc vel illam Epistolam, hoc vel illud Evangelium (etiam in divino Officio), legendum esse iniungere, prout plus minusve fastis et conditionibus vitae alicuius Sancti convenit. Omnino igitur et solum, sicut in Breviario, ita etiam in Missa, standum esse Rubricis, hanc vel illam Epistolam, hoc vel illud Evangelium legendum determinantibus, utpote ab auctoritate legitima statutis, et spiritui Ecclesiae plene conformibus inficiabitur nemo.

Neque fortasse Rev. Inquirens in errorem inducatur, ex eo quod in Missis pro defunctis accidit, nam omnino diversa res est; cum in Missis defunctorum nulla extet

Rubrica hanc vel illam Epistolam, hoc vel illud Evangelium determinans; et ad libitum Sacerdotis quodlibet ex ipsis dici possit, uti ex hoc Rubricae textu evidenti patet: "Epistolae et Evangelia superius posita in una Missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia Missa pro defunctis (*Rubr. spec. post 4 Miss.*). „

IV. *Ex eodem loco.* **De Castro doloris in mense Novembris.** In non paucis Ecclesiis optima et laude digna consuetudo invaluit Mensem celebrandi, vulgo defunctorum dictum, cum tumulo seu castro doloris quotidie in medio Ecclesiae erecto. Quaeritur: Potestne hoc tolerari etiam in solemnioribus festis dicto tempore occurrentibus? Et quatenus negative, possetne saltem permitti in casu, in quo tumulus seu castrum doloris, haud in medio Ecclesiae est, sed in cappella separata, aut in Ecclesia in qua divina officia non persolvuntur?

Resp. Quantum nobis constat, aliquid hoc super negotio determinati aut decisi non extat, vel certo nobis non liquet. Nihilominus indubium videtur castrum doloris seu tumulum diebus solemnioribus in medio Ecclesiae erectum manere, omnino ab Ecclesiae spiritu absonum esse. Quia tumulus vel castrum doloris, ex ipso nomine, signum doloris, sit dulce quidem, sed magni moeroris est, et ideo prorsus ab Ecclesiae spiritu alienum videtur diebus solemnibus, in quibus ipsa Ecclesia doloris quaeque signa omnino excludit, et in quibus sacrae vestes, altaris ornamenta, sacri concentus, uno verbo omnia laetitiam ostentant. Quapropter negative ad primam quaesiti partem respondendum esse censemus. Quoad secundam partem affirmative responderi posse putamus, quatenus ratio pro primo casu militans, non habet in his aliis casibus locum, et ideo quotidie tumulus, erectus in cappella separata

aut in Ecclesia, in qua divina non peraguntur officia, haberi licite potest.

V. *Ex eodem loco.* **De Commemoratione Vigiliae Immaculatae Conceptionis.** Quoddam decretum in una Neapolitana diei 20 Octobris 1863 existere dicitur, quo commemoratio Vigiliae Immaculatae *etiam in Officio* permittitur, quanquam tempore Adventus. Authenticum ne huiusmodi decretum est?

Resp. Omnem adhibuimus diligentiam in decreti, de quo disputatur, inquisitione; at oleum et operam perdidimus, cum in authentica Gardelliniana editione praedictum decretum non extet. Quinimo, sed et nec reperire in dicta Gardelliniana editione potuimus idem forsan decretum a Calendarii Metropolitanae Ecclesiae Capuanae redactore in dubio, super eadem Immaculatae Conceptionis commemoratione citatum, nisi sub die 22 Octobris 1850. Quapropter iure meritoque, ab eo citatum decretum, ut apocryphum habendum est, maxime quia aperte Rubricis repugnat. At insuper, dato et non concesso, revera dictum decretum authenticum esse, per Litteras in forma Brevis die 25 Septembris 1863 SS. D. N. Pii Papae IX, et per subsequens S. R. C. responsum, memorato Calendarii Capuanae Metropolitanae Redactori sub die 10 Aprilis 1876 dato, abrogatum fuisset. En dubium et responsum: " An recitatio nonae Lectionis Immaculatae Conceptionis, *eiusque commemoratio ad Laudes* continuari possit (post Litteras diei 25 Septembris 1863) iuxta decretum praedictum anni 1850, vel omitti debeat? Quid vero responsi? " S. R. C. re mature perpensa et considerata........ rescribere rata est: Ad primam quaestionem servetur Rubrica ut in Vigilia S. Thomae Apostoli, scilicet, in Officio nihil de Vigilia. "

VI. *Ex Austria.* **De thurificatione in Vesperis cum**

Hebdomadario parato sine Assistentibus. Si Vesperae decantentur a solo Hebdomadario pluviali induto, sine Assistentibus tamen, debentne fieri thurificationes?

Resp. Ita quidem, salvo meliori iudicio, credimus. Nam Caeremoniale Episcoporum loquitur quidem de his thurificationibus agendis quando Celebrans paratus sex, vel quatuor, vel duos Assistentes pariter paratos habet (*Lib. II, cap. III, n. 16 et 17*). Insuper docet, in inferioribus festis nec Celebrantem indui pluviali nec thurificationes fieri (*ibid. n. 17*). De Vesperis autem cum solo Hebdomadario parato sine Assistentibus tacet. Nihilominus decretum extat (*Ord. Min. de Observ. S. Franc. 15 Apr. 1853 ad 25*), quo declaratur, thurificationes in Vesperis non esse censendas prohibitas, si cum solo Celebrante pluviali induto cantentur, sicuti prohibitae censendae sunt in Missa simpliciter cantata sine Ministris superioribus. Dicendum ergo est, ita verba Caeremonialis esse intelligenda, ut thurificationes tunc solum omittendae sint, cum neque Assistentes, neque Hebdomadarius sunt parati; ergo eaedem sunt faciendae, si Hebdomadarius saltem solus sit paratus. Hic cl. De Herdt opportune scribit: " Si Vesperae cantentur a solo Celebrante sine Assistentibus paratis, Celebrans... eadem cantat et altare thurificat, ministrante thuriferario et pluviale elevante cum Caeremoniario, si adsit, vel alio acolytho, si habeatur: si autem pluviali non sit paratus, incensatio est omittenda ". In cuius confirmationem decretum citat, quod et nos superius citavimus (*Prax. Lit. pars 4. n. 383*).

VII. *Ex eodem loco.* **De benedictione cum Venerabili in casula**. Apud nos extat consuetudo exponendi SS. Sacramentum ante Missam, et dandi benedictionem cum eodem post Missam, non in pluviali, sed in casula.

Quaeritur, an hoc rite fiat, et utrum in casu affirmativo deponi debeat manipulum.

Resp. Duplex distinguenda est benedictio cum Venerabili: benedictio in forma seu expositione privata, et benedictio in forma seu expositione publica. Prima benedictio potest quidem absque pluviali et sine aliis solemnitatibus fieri, cum neque decreta, neque probati auctores ea requirant; ast haud similiter fieri posset in secunda benedictione. Nam Liturgici omnes in benedictionibus, quae cum Ostensorio impertiuntur, pluviale, incensum et cantum exigunt. Quapropter Manualia omnia Caeremoniarum quando de benedictione agunt, quae Missam solemnem coram SSmo sequitur, docent, absoluta Missa, Celebrantem ac Ministros ad scamnum descendere, et postquam ille deposita casula et manipulo, pluviale induerit, ac isti manipulos deposuerint, se ad medium altaris conferre etc. Haec quoque est praxis Urbis communis et constans, et ideo contrariam reprobandam iudicamus. Ratio, cui et praxis et auctores omnes innituntur, est ipsa solemnitas benedictionis quae pluviale exigit, sicut simplex benedictio cum pyxide illud non requirit. Pluviale enim iuxta praesentem disciplinam est indumentum solemnitatis, ut in iisdem functionibus sumatur vel non, secundum quod solemni vel simplici modo peraguntur. Exemplum sume etiam a Vesperis, ab imaginum benedictione, ab associatione cadaverum etc. Consequenter in casu quid haberetur incohaerens et a recto sensu liturgico dissonum, ut nempe functio solemnis simplici ageretur modo: ac si Hebdomadarius in Vesperis sedem separatam haberet, et Vesperas caneret simplici superpelliceo vel etiam rocheto indutus. Omnia ergo ut cum ordine et decore fiant, solemnis benedictio Sacramenti nonnisi cum solemni-

tatis indumento impartiatur: secus benedictio cum pyxide danda est. Praeterea auctores et praxis legi innituntur Caeremonialis Episcoporum, quod de hac benedictione agit Lib. II, cap. XXXIII, et quae Missam sequitur ac processionem. Nunc autem ibi, sicut in processione, ita in benedictione supponitur Episcopus pluviali non planeta indutus. Hinc sicuti delatio Ostensorii in processione prohibetur (*Salutiarum, 29 Novem. 1856 ad 1*), ita et prohibita cum eodem Ostensorio dicenda est benedictio, nisi Ostensorium deferens in utroque casu pluviale induatur, par est enim ratio.

VIII. *E Gallia.* **De perpetuo impedimento pro festo Patroni celebrando.** Plures paroeciae hic habent S. Martinum Patronum, quem recolunt die 11 Novembris. Quid si in die octava perpetuo occurrat Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli?

Resp. Solutio facilis levisque incommodi: Officium Basilicarum Ss. Petri et Pauli reponatur in primam diem liberam. Namque ritus huius festi duplex minus est, et non accidentaliter, ut redigi ad instar simplicis debeat, sed perpetuo impeditur. Solutio est indubia, sicut indubia lex recens est de duplicibus minoribus per accidens impeditis ad modum simplicis redigendis: uti pluries et passim in *Ephemeridibus* demonstratum legitur. Quod si dies libera usque ad finem anni non supersit, cum ritus sit duplex, recurrendum ad S. R. Congregationem, ut vel festum impeditum ad instar simplicis permittat, vel semiduplicis alterius simplificandi loco illud reponat, vel aliam diem infra annum pro illo seligat, uti expedire iudicaverit. Diximus, *cum ritus sit duplex;* quia si esset primae aut secundae classis, festum semiduplex simplificandum locum ei cederet (*Decr. Gen. d. d. 13 Mart. 1804*).

IX. *E Brixia.* **De duplici quodam maiori mobili occur-**

rente cum festo Patroni an commemorandum an transferendum. Dominica IV Iunii hic recolitur Commemoratio omnium Ss. Episcoporum loci, ritu duplici maiori, cum qua hoc anno 1892 occurrit festum S. Vigilii Tituli cuiusdam Ecclesiae, fixum diei 26 Iunii. Praefatum Commemorationis festum transferendum ne, an ad instar simplicis redigendum? Et in prima hypothesi, quid si dies pro translatione in Calendario desit?

Resp. 1. Nota lex est de festis mobilibus, Dominicis aut feriis mensis affixis, quae videlicet, saltem si localia sint, translationem non admittunt, nisi habeatur indultum; id pluribus firmatum est decretis, quae nullam faciunt exceptionem pro festis reliquiarum. Dubium fortasse aliquod excitare potest Decretum in *Varsavien.* quo dicitur festum reliquiarum posse transferri (*7 Maii 1746 ad 6*); sed cum particulari sit datum Ecclesiae, iudicandum potius privilegium illud constituere, ut in indice Editionis Gardellinianae supponitur. Aliunde lex opposita et nulli dans locum distinctioni cum certa sit, eidem standum esse arbitramur. Ipsae *Ephemerides Liturgicae* docent, eiusmodi festum potuisse concedi cum et sine privilegio translationis (*Ann. II. pag. 30*). Cum itaque privilegium in casu non extet, manifesto sequitur officium reliquiarum non posse nec debere transferri.

Resp. 2. An ergo integre omittendum officium reliquiarum, an saltem commemorandum? Non hoc, sed illud arbitramur. Etenim de illis tantum officiis fieri debet commemoratio, quorum translatio, aut cum debeat fieri non potest ex impedimento, uti sunt duplex doct. Ecclesiae, dupl. maius, duplex 1 et 2 classis; aut non debet fieri et commemoratio praescribitur, uti sunt dupl. minus et semidupl. Atqui officia mobilia particularia feriis aut Dominicis affixa ad neutrum ex illis

pertinent, ergo. Non ad prima officia, quia horum translatio, sive accidentalis, sive perpetua, fieri non debet uti ex pluribus decretis constat; non ad altera, quia lex nullibi praescribit huiusmodi officia esse commemoranda, sed tantum decreta praescribunt esse omittenda; ergo de iis commemoratio non est facienda.

Nota 1. Ad alterum quod pertinet dubium, satis sit innuere, ne in longum abeamus, decreta quae translationem quorundam festorum, quae transferenda non essent, permittunt, semper vim habere, quoadusque non revocentur, etsi calendarium instauretur seu renovetur, unico excepto casu, quo privilegium translationis impossibile evadat.

Nota 2. Symbolum ratione octavae semper esse dicendum in Missa, etsi commemoratio eiusdem octavae omittatur. Quia omissio ista dependet a ritu vel primae vel secundae classis festi, quod recolitur. At hoc haud obstante, octava non cessat, ut privilegium symboli extendere valeat ad omnes dies infra seipsam, de quocumque festo agatur. Idem dic de Praefatione, nisi festum quod recolitur, propriam habeat etc.

X. *Ex Aci Regali in Sicilia.* **De ministratione Eucharistiae fidelibus cum paramentis nigri coloris.** Celebrans ante vel post Missam in uno altari agendam vel actam, potestne, Communionis ministrandae causa ad aliud altare ubi asservatur Sacramentum se conferre, cum nigris paramentis sit indutus?

Resp. Quanquam alicui affirmativa sententia videatur sustineri posse (*V. Ephemerid. Conversani* Monitore Ecclesiastico, *Febr. 1891, pag. 279*); nihilominus ad nos quod attinet negative respondemus. Tota quaestio a verborum intelligentia dependet Decreti Gen. 27 Iun. 1868, quae declarant posse " in paramentis nigris ministrari Communionem IMMEDIATE POST *missam* ..... IM-

MEDIATE quoque ANTE *eamdem* „. Si Sacerdos nigris paramentis indutus pergat ad altare Sacramenti, in alio tamen altari celebraturus, aut post Missam in alio altari factam, ut Communionem distribuat, comprobantur ne verba *immediate ante vel immediate post missam?* Non credimus. Haec enim verba significant, aliud agi non posse a Celebrante, per quod Communio separetur a Missa de requie, sive ante sive post Missam illam distribuat, consequenter neque aliud altare peti. Huiusmodi enim ministratio ex quadam necessitate indulta est, quia nempe Sacerdos in ipso altari est, et celebravit, aut celebrare mox debet. Namque in paramentis nigris tabernaculum aperire quid habet incongrui (1), cum Sacramentum color niger dedeceat; haec autem necessitas, quae bene explicatur quando Sacerdos vel celebraturus, vel postquam in eodem celebravit altari, Communionem ministrat, omne deperdit robur quando aliud altare adire debet. Verba ergo *immediate ante* et *post* ex toto contextu et in casu speciali interpretanda sunt, pro quo sunt posita; et significant, in solo altari Missae, si ibi Sacramentum asservetur, posse Communionem distribui a Celebrante cum speciebus praeconsecratis, in paramentis nigris. Secus si Celebrans iret in Sacrarium, et statim sacris etiam paramentis exutus rediret ad altare Sacramenti Communionem distributurus, praefata verba etiam comprobarentur, quod tamen non respicit casus. Ergo in solo altari Missae, vi decreti praedicti, Communionem a Celebrante licet fidelibus ante et post Missam dis-

(1) Notum est, Diaconum nigris paramentis indutum accipere Sacramentum, feria VI in parasceve, in capsa pridie reconditum, iuxta Caeremon. Epis. et Miss. Rubricam. At quis non videt casum omnino peculiarem, quem ritus, temporis, locique adiuncta ferunt?

tribuere in paramentis nigris. Hic est sensus verborum *immediate ante* et *immediate post Missam:* quae propter hanc unice rationem fuere in decreto inserta, et quidem post prolixiorem discussionem maturumque examen; idque in S. R. Congregatione accepimus.

XI. *E Republica Haitiana.* **De festo Maternitatis Deiparae impedito an reponendum.** Nostrae Ecclesiae Titulus est SS. Rosarium B. M. V. cuius octava perpetuo impedit festum Maternitatis: omittendum hoc ne est, an reponendum?

Resp. Animadvertit Rev. inquirens, illic esse in usu calendarium Cleri Romani: ut proinde inquirendum sit, an Maternitas Deiparae, si impedita esset sive accidentaliter sive perpetuo in Urbe, transferenda aut reponenda foret. Supponimus enim tamquam certum, omnia festa, quae saltem universalia non sunt, Dominicis et feriis affixa, iure translationis destitui, ut alibi dictum est, nisi privilegio gaudeant. Iam nunc quid de Maternitate, quae affixa est Dominicae II Octobris? Quantum scimus, eiusmodi privilegio non gaudet Maternitatis Deiparae festum. 1. Plurimos consuluimus ex iis, quibus competens scientia inerat, et nemo tutos de hoc privilegio nos reddere valuit. 2. Si eiusmodi privilegium existeret, inexplicabile foret mox referendum decretum in *Romana*, et alia, quibus aperte docemur oppositum. Imprimis enim in *Olomucen.* declaratum est, officia Maternitatis et Puritatis B. M. V. non posse transferri, sed debere penitus omitti (21 Iul. 1855). Atque, ut alia plura praetermittamus, adamussim in *Romana* sub die 8 Aug. 1835 declaratur pro festo Puritatis non esse translationis privilegium. Idem declaratur in *Congr. Cleric. Excalc. SS. Cruc. et Pass. D. N. I. C.* quae et in Urbe est, ad officia quod attinet Puritatis et Maternitatis (*9 Maii 1884 ad 5*).

3. Denique decretum concessionis huius officii de privilegio translationis penitus silet. Cum ergo lex de non transferendis festis huiusmodi certa sit: cum particularis habeatur legis certitudo pro festo Puritatis in Urbe, et idem applicari iure possit ad Maternitatis festum: cum de privilegio ex opposito nihil constet, concludere oportet in casu, festum Maternitatis esse penitus et perpetuo omittendum. Haud tamen esset mirum, si S. R. Congregatio quamprimum hoc privilegio Maternitatis et Puritatis festa decoraret.

XII. *E Ferentino in Hernicis.* **De colore Conopei occurrente officio aliquo ex votivis.** Quando in aliqua ecclesia recitatur officium aliquod votivum, color Conopei debetne respondere eidem officio, vel feriae, aut Sancto ritus simplicis?

Resp. Per accidens est quod officium votivum recitatur; sed ecclesia feriam ea die vel festum Calendarii recolit. Ut proinde vel festi vel feriae colori, Conopei super Tabernaculo colorem respondere fas sit. Haec generalis est regula, quam citra dubium quaevis ecclesia sequi omni securitate potest.

XIII. *Ex eodem loco.* **De praelatione inter SS. Michaelem et Barnabam transferendos.** Si Archangelus Michael (Apparitio) et Apost. Barnabas sint transferendi, cuinam competit praecedentia?

Resp. Dubii ratio, quam innuit Rev. inquirens, in festo secundario consistit ex parte S. Michaelis, de cuius apparitione agitur. Ratio autem primarii aliquam, iuxta distinctionis in primaria et secundaria festa defensores, solemnitatem inducit in S. Barnabae festo, pro qua praeferendus in casu esset S. Michaeli, hac solemnitate destituto. Verum, hoc quoque dato, certum est, festum S. Michaelis praeferendum S. Barnabae. Nam, aliis momentis omissis, conveniunt omnes, in translatione ra-

tionem primarii computari non posse. Declaratum est enim, Rubricam de translatione " intelligendam esse de solemniori quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem (*Brixien. 20 Sept. 1806 ad 15*). „ Atqui festum S. Michaelis ritu est par cum S. Barnabae, sed dignitate praestat; ergo ei praeferendum.

XIV. *Ex eodem loco.* **De lectionibus I Noct. in officio S. Petri Damiani in Quadragesima.** Plures Breviariorum editiones docent, in Rubrica speciali ante lectiones I Noct. S. Petri Damiani, easdem esse debere *Fidelis sermo,* si festum in Quadragesimam incidat: A Carpo docet e contra legendas esse *de Sapientia.* Quaenam revera dicendae?

Resp. A Carpo generale principium videtur admittere, lectiones *de Sapientia* semper in Quadragesima dicendas esse pro iis Doctoribus, qui aliter haberent de Scriptura occurrente. Hinc de lectionibus S. Petri Damiani loquens in Quadragesima dicendis, remittit ad id quod disserit de S. Hilario (*Biblioth. Liturg. pars 4, n. 47*), quas *de Sapientia* legendas docet. Optimam affert rationem, sententiam nempe suam inferri ex Decreto *in Einsidlen.* (*5 Maii 1736 Tit. XXV, Dub. 2*): quod respective ad S. Io: Chrysostomum sic se habet: " Servetur Rubrica Breviarii Romani, et extra Quadragesimam dicantur lectiones de Script. occurrente. Intra Quadragesimam vero recitantur lectiones de Comm. Doctorum. „ Cum autem inter alterum Doctorem et alterum, discrimen non intercedat, sequitur conclusio: Ubi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. Ea propter, sic negotio se habente, concludendum certo foret, lectiones I Noct. in casu S. Petri Damiani, vere *de Sapientia* esse debere, standumque esse sententiae A Carpo.

His haud obstantibus, notandum est, Rubricam specialem plurium, nisi omnium Breviariorum, sequentem habere Rubricam pro S. Petro Damiano; " In I Noct. lectiones in Quadragesima *Fidelis sermo:* alias de Scriptura occurrente. „ Ita editio Romana (1837), Taurinensis (1846), Liburnensis (1838), Mechliniensis (1868), alia Romana (1888), Tornacensis (1889), alia Tornacensis (1890), Ratisbonensis, nempe typica (1886), aliaeque plures, et fortasse, ut coniici iure potest, omnes. Quid ergo? En certum ex dictis consectarium: Cum de re positiva agatur, et lex rubricalis stet, contra supra relatum principium, pro lectionibus de Communi Confess. Pontificum, seu *Fidelis sermo,* hae dicendae sunt in festo S. Petri Damiani, non autem de Communi Doctorum, si in Quadragesimam incidat.

CASUS LITURGICUS

Sabinus Plebanus inter alia decreta ultimae visitationis pro sua ecclesia ab Episcopo emanata, praecipit, ut duo apparata, uti vocant, ternaria, rubrum videlicet et violaceum, ex novo conficiantur. Cum autem ipse sit oeconomiae studiosus, et sciat vestes sacras omnino sericas esse nunc debere, paramentum unum emere statuit talis coloris, ut in festo S. Crucis pro rubro, et in Sabbato Sancto ac vigilia Pentecostes, in benedictione fontis, pro violaceo adhiberi valeat. Quaerit ergo a Victore rei liturgicae peritiore: 1. An eiusmodi ternarium revera pro utroque colore rubro et violaceo inservire possit. 2. An pro fontis benedictione Dalmatica et Tunicella Ministri uti valeant, attenta suae et plebium propinquarum consuetudine.

SOLUTIO.

Ex casu proposito colligitur, parocho Sabino, ut decretis Visitationis Pastoralis occasione emanatis obtemperet, duplex ternarium acquirendum esse pro Ecclesia sua: rubei coloris unum in festo S. Crucis, quod solemni cum pompa in sua Ecclesia celebratur, adhibendum; violacei coloris alterum in Sabbato Sancto adhibendum et in pervigilio Pentecostes ad fontis benedictionem.

At oeconomiae studiosus inquirit: 1.° an opifici committens Ternarium ex. gr. vel ita rubeo colore saturum, ut in violaceum vergat, vel ita violaceo colore saturum ut vergat in rubeum, ipso pro utroque colore uti possit.

Imprimis neminem latet, Rubricas Missalis quinque tantum enumerare colores utpote in Sacra Liturgia approbatos ac receptos; adeo ut quaecumque sacra indumenta ab istis coloribus discrepantia, eo ipso omnino prohibita sint dicenda. Sed confitendum etiam nobis est, in praxi, ambos colores rubeum et violaceum, revera tales habere posse gradationes, ut interdum alter pro altero accipiatur. Nihilominus S. R. Congregatio per plura decreta, speciatim in *Pisana (19 Decemb. 1829)* et *Marsorum (12 Novemb. 1831 ad 54)*, mandavit, ut omne sacrum indumentum, proprium et certum colorem, iuxta sacros canones, habeat; et si de paupere aliqua ecclésia agatur, tunc possit Episcopus permittere talia ambigui coloris indumenta, *usquedum consumantur.*

Nec aliquis, falso opinans, suggerere posset Sabino ut Ternarium sibi acquirat telae ex auro contextae, utpote omnibus coloribus convenientis; etenim praeter expensas haud exiguas ad lale Ternarium comparandum requisitas, nullo pacto consilium Sabino nostro iuvaret, quatenus, ut diximus, non parum oeconomiae studet. Insuper decretum S. R. Congregationis extat in *Guadalaxara* (*28 Aprilis 1866*) statuens, sacra ex auro contexta paramenta adhiberi tantum posse pro coloribus Albo, Rubeo et Viride, et numquam pro violaceo aut nigro.

Et ratio, ut sapienter advertit De Herdt, haud haec est, aurum nempe bene convenire tribus illis coloribus; sed potius quia aurum symbolum est solemnitatis, gaudii et laetitiae: quae omnia passim inveniuntur in diebus, in quibus, coloribus albo, rubeo ac viride utimur, cum e contra praedicta signa laetitiae, absolute lo-

quendo, numquam inveniantur in diebus, in quibus colores violaceus et niger adhiberi debent, quippe qui poenitentiam et luctum significant.

Proinde Sabino nostro aliud suggerere non valemus consilium, nisi ut duplex Ternarium, quorum unum violaceum, rubeum alterum esse debet, Ecclesiae suae comparet.

Et hoc unum consilium ei praebere cogimur, non solum ratione coloris, quem omnino determinatum et distinctum sacra indumenta habere debent, sed etiam alterius considerationis causa, quae ad perfectam casus solutionem nos conducit. Audiatur. Dato enim, revera inveniri Ternarium, quod tam pro rubeo quam pro violaceo colore adhiberi posset, et etiam ex approbata consuetudine, impune; tamen eo uti haud posset bonus Sabinus noster. Etenim eiusmodi Ternario uti Sabinus deberet in benedictione fontis; at si Tunicellae dicti Ternarii adhiberi possunt in aliis festis rubeum colorem exigentibus, quia sunt praescriptae, adhiberi profecto non possunt pro benedictione fontis, quia prohibitae sunt.

Sed ecce iam in altero versamur Sabini quaesito: An pro fontis benedictione Dalmatica et Tunicella Ministri uti possint, attenta suae et plebium propinquarum consuetudine. Cui statim absque ulla haesitatione negative respondemus. Legas enim Rubricas Missalis Tit. 19 n. 6, et haec invenies: « *In diebus ieiuniorum.... in vigilia Pentecostes.... in Sabbato Sancto,* » et in aliis diebus ibi enumeratis, « *in Cathedralibus et praecipuis ecclesiis Ministri utuntur planetis plicatis ante pectus.* » Post quae Rubrica citata prosequitur: « In minoribus autem Ecclesiis, praedictis diebus ieiuniorum, Alba tantum amicti ministrant, Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum. » Ex quibus verbis, quae ipsamet S. R. Congregatio exponit, constat suae Ecclesiae non permitti usum Dalmaticarum in casu (*Angelopolitana, 13 Iun. 1671 ad 3*).

Ideo satis clare patet Sabinum nostrum oeconomiae studiosum, nullo modo praeoccupari debere de acquisitione Ternarii violacei pro fontis benedictione; satis enim ei est, ut Ecclesiae suae comparet Planetam cum Pluviali rubei coloris, cum rite possit Plebana Solemnitatem benedictionis fontis peragere cum ministris *in Albis*, sicut Rubrica, ut vidimus, pro minoribus Ecclesiis permittit.

Quod si optaret ut Plebana sua in ordine principalium Ecclesiarum referretur, quod et conceditur cum Plebana sit, non

impeditur; sed tunc Planetas plicatas Ecclesiae suae comparet, ut supra diximus, sint tamen duo Ternaria distincta.

Quoad vero consuetudinem Tunicellis utendi, neque ipsam Sabino posse suffragari, exploratum est omnibus; idque haud ex sententia Rubricarum scriptorum tantum, sed etiam Moralis scientiae doctorum, divo Alphonso duce: quibus una est sententia, decretis plurimis S. R. Congregationis innixa, consuetudines nempe contra Rubricas, maxime Missalis, sustineri nullo pacto posse. Referre sit satis decretum in *Oscen.* declarans: « Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam S. Pii V... et dicendae sunt potius corruptetae quam consuetudines (*16 Mart. 1591, ad 10*). Quod Constitutione roboratur Innocentii XIII Apostolici Ministerii, iubente: « Episcopi... abusus omnes... contra Rubricas Missalis... studeant omnino removere. »

Itaque concludendum primo est, eadem paramenta ministrorum pro duobus coloribus adhiberi non posse: secundo, pro benedictione fontis, aut planetis plicatis violacei coloris utendum in casu, aut Subdiacono et Diacono ministrandum *in Albis*, contraria haud obstante consuetudine. A. P. P.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE FEBRUARIO PROPOSITAE

PROPOSITIO.

Titius, concurrente semiduplici cum die infra octavam, censet integras faciendas Vesperas de Praecedenti, et commemorationem de Sequenti; quia dies infra octavam non habet primas, cum quibus secundae Vesperae Praecedentis concurrere possint iuxta Rubricas. Quid revera iudicandum et agendum?

SOLUTIO.

Utraque solutio, nempe Academicorum tam Angeli Fourneret quam Nivardi Bossi in eamdem incidit, et veritatem assecuta est: huius seligimus.

Rubricae generales necnon peculiares omnino Titii opinioni adversantur; nam in Rubrica generali Breviarii ad Tit. XI n. 4 prout sequitur reperimus... *Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum Dominica vel cum die infra octavam, a Capitulo fit de sequenti et commemoratio de praecedenti, nisi aliter signetur.* In Proprio de Tempore die XI Decembris ad secundas Vesperas S. Damasi Pp. C. semiduplex sic legimus: *Vesperae a Capitulo de Octava cum commemoratione S. Damasi.* Istae Rubricae manifestim ita exprimuntur, ut alias interpretari haud queant. At quare, nobis flagitabit Titius, ista dispositio? Anne amplius haud verum est, quod dies infra octavam primis vacant Vesperis? Utique ab ipsamet generali Rubrica Tit. VII n. 5 liquido apparet, dum inter cetera haec textui consona verba legimus: *In Vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi: et in primis Vesperis diei octavae omnia sicut in primis Vesperis festi, nisi aliter in propriis locis notetur.* Ad rem De Herdt subiungit: *Idem servandum est dum de octava tantum fit commemoratio* (*Vol. 2. n. 246 n. 4.*) Cur ita disponitur? Quoniam in diebus infra Octavam repeti debet quod invenitur in secundis Vesperis Festi, excepto in die septimo, cuius Vesperae accipiuntur in primis Festi, et ritu duplici recitantur, cum considerentur primae diei octavae. Attamen, quamvis primis haud gaudeant Vesperis in diebus infra octavam, si aliquod semiduplex cum eis concurrit, Vesperas a Capitulo accipiunt et exigunt postea commemorationem de praecedenti. Si ista concurrentia sit activa vel passiva, fortiter inter Guyetum et deinceps Cavalerium contenditur. Antequam alterutram excutiemus opinionem, et hanc quaestionem solvamus, animadvertere oportet quid sit concurrentia, quomodo dividatur, et quales sint eius effectus.

Concurrentia, a Liturgicis definitur, veluti obviaticum duorum officiorum, quae continuis duobus diebus incidunt, quaeque Vesperas intermedias exigunt. Concurrentia igitur respicit dumtaxat Vesperas et datur solummodo inter officia quae ius ad Vesperas habent. Huiusmodi sunt: I. Omnia festa duplicia et semiduplicia, dies octava et Dominica in utrisque Vesperis. II. Dies infra octavam (excepta die septima). III. Festum simplex *per se* in primis Vesperis tantum. Feria autem proprie concurrentiam non habet, quia eius officium ibi incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium.

Concurrentia a Guyeto dividitur in *activam* et *passivam: ac-*

tiva quidem ad officium praecedens spectat ipsumque est, quod dicitur concurrere: *passiva* vero ad subsequens cum quo a praecedenti concurritur: Idque est quod exprimitur Rub. XI statim initio hisce verbis: *Concurrentia officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti.*

Eius effectus est ut Vesperae vel integrae fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidientur: ita ut psalmi dicantur de praecedenti, et a capitulo de sequenti cum reliquis fiat.

Indubium est quominus dies infra octavam concurrentes cum semiduplicibus Vesperae dimidiandae sint, sed si ista concurrentia sit activa vel passiva, valde inter auctores disputatur, nam dum Guyetus quod sit dumtaxat *passiva*, e contra Cavalerius *activa*, arbitratur; ut nos sententiam profiteri probabiliorem valeamus, utramque istorum duorum referemus opinionem. Antea quid ad rem inquit Guyetus (1) audiamus: *Dies infra Octavam cum singuli festa minime sint, sed continuatio unius eiusdemque festi, cuius videlicet officium per illos singulos repetitur a Matutino usque ad Completorium, nullam inter sese sortiuntur concurrentiam, sed activam habent cum quolibet sequenti festo et Dominica: an vero et passivam interdum suscipiant? erit qui contestetur, eo quod in secundis Vesperis festi semiduplicis infra Octavam occurrentis regulariter a Capitulo fiat de octava cum commemoratione festi. Verum non ideo id fit, quasi tum incipiat Officium diei sequentis infra Octavam, qui nonnisi postridie a Matutino inchoatur, sed potius quod diei ipsiusmet praesentis officium a Capitulo resumatur dimisso festi semiduplicis Officio, quicum par est gradu et dignitate: sicut concurrentia non est cum, desinente festo simplici ad Nonam, subintrat ad Vesperas officium Feriae occurrentis. Parique item iure in secundis Vesperis Duplicis 2^ae^ cl. reponitur commemoratio Octavae, quae dimissa fuerat in primis Vesperis et Laudibus (si de ea futurum est postridie Officium) non pro sequentis, sed pro ipsiusmet diei praesentis commemoratione. Hoc vero proprie non ad concurrentiam, sed ad occurrentiam magis referri debet: aut si concurrentiam dixeris, sumenda tota series dierum infra Octavam quasi festum unum continuatum, iuxta Rodulphi dictum prop. 25* OMNES DIES OCTAVAE PRO UNA FESTIVITATE COMPUTANTUR, *cum quo quidem festo a quocumque alio occurrente officio concurritur: eoque sensu solvitur, quod objici potest ex textu huius*

(1) lib. IV, sect. III, cap. XIII, quaest. 1.

Rubricae, ubi habetur, SEMIDUPLICI FESTO, DOMINICA CONCURRENTE CUM DIE INFRA OCTAVAM etc. Item quod ait Gavantus *sect. 3 cap. 8. n. 19.* IN SECUNDIS VESPRIS DOMINICAE, NONNISI FIT COMMEMORATIO DE DIE SEQUENTI INFRA OCTAVAM: *non enim proprie est commemoratio diei sequentis, sed praesentis seu potius Octavae indefinite. Quis enim nisi improprie dicat, diem infra Octavam incipere pridie a Vesperis, quae non primae sed secundae sunt Vesperae festi.* Haec Guyeti argumentatio omnino validis argumentis a Cavalerio refutatur, oppositum tuendo, videlicet quod dies infra Octavam occurrentes cum aliquo semiduplici festo, utrisque Vesperis gaudet, primis nempe et secundis, quamvis antiphonae iugiter de istis non de illis (et quidquid de proprio habet in secundis), adhibendae sunt a secundis Vesperis festi usque ad Vesperas diei septimi exclusive, quibus prout superius innuimus (nisi aliter notetur), omnia sicut in primis Vesperis festi repetuntur. Ad maiorem Lectorum intelligentiam integre eloquium praefati auctoris referimus (1): « Verum quoniam ad rem admodum facit, hic nobis liceat excitare quaestionem, num occurrente infra Octavam festo semiduplici, dum iuxta Rubricas fit a Capitulo diei infra octavam, quoties de hac in sequenti die fit officium, capitulum fit de die, in qua semiduplex occurrit, an vero de sequenti die infra Octavam? Ut dicebamus, arbitratur Guyetus dies infra octavas passivam non suscipere concurrentiam, nec primas habere Vesperas, sed earum officium incipere a Matutino; quare dum in secundis Vesperis festi semiduplicis fit a Capitulo de octava, asserit id non fieri quasi tunc incipiat officium diei sequentis infra octavam, sed potius quod diei ipsiusmet praesentis officium a capitulo resumatur, dimisso festi semiduplicis officio. Verum haec opinio profecto undique mutat; quis enim dare umquam potest dimidium Vesperarum illi diei, qui in laudibus solam commemorationem est assecutus? Nonne Rubricae, atque decreta, quoties dies ipsa octava in Laudibus solam commemorationem potest habere, etiam in Vesperis, licet hae integrae de eadem esse possent, solam commemorationem volunt esse habendam? Nonne idipsum praescribunt de simplici occurrente in feria IV Cinerum? Quae cum a Guyeto ipso doceantur, utique sibimetipsi parum consonam hanc eiusdem opinionem demonstrant. Deinde ut in proposito casu a capitulo fiat de octava, exposcitur, quod die sequenti de ea fiat officium: unde autem

(1) Caval. Tom. II. §. XIII, et seq. cap. XX dec. VIII.

umquam hoc posse exquiri, si capitulum foret de die occurrenti, non de die sequenti? Verum dubium quodlibet amovet Tabella Concurrentiae, dum assignat concursum festi cum die infra octavam, et de hac praescribens respective capitulum, vel commemorationem, notat: capitulum, vel commemoratio *de sequenti*. Idipsum signat Rubrica XI *de concurr. n. 4*. Si itaque Rubricae ipsae diserte dicunt *de sequenti*, quis unquam dicere valet, quod capitulum, aut commemoratio, quae de die infra octavam assignantur, sint de die, in qua festum occurrit, et non de die sequenti? Indubium igitur est, quod dies infra Octavam primas habent Vesperas et passivam suscipiunt concurrentiam: habent autem secundas Vesperas et concurrentiam activam, eaedem quippe Rubricae faciunt dies infra octavam concurrere cum sequenti festo, et dum de illis assignant vel dimidium Vesperarum, aut commemorationem, notant itidem *de praecedenti*. Quoniam vero videtur hinc sequi, quod quando duobus diebus continuis fit de diebus infra octavam, deberet fieri a capitulo de sequenti, reponimus, hoc quidem, licet postea non fiat quia utrumque officium est de eodem, numquam quippe de aliquo inchoantur Vesperae, quando cum eiusdem commemoratione finiri non possunt, in proposito autem casu commemoratio praecedentis diei fieri non posset, alias de uno et eodem simul fieret officium, et commemoratio. Uti igitur cum simul succedunt duo officia de eodem Sancto, numquam fit Vesperarum dimidiatio, sed de alterutro recitantur sine commemoratione alterius, ita fit quando duo dies infra octavam eandem successive habent officium. Quando vero concursus est cum festo extraneo ab octava, statim se explicat concursus octavae, ita ut hic sit passivus, si festum praecedat, activus vero, si festum sequatur; adeoque si concursus est passivus, capitulum vel commemoratio sint de sequenti die infra octavam, si vero est activus, dimidium Vesperarum, vel commemoratio, sint de praecedenti die, cessante commemoratione diei per festum impeditae, cuius loco stat commemoratio alterius diei, quae est de eodem festo. Bene vero in concursu cum festo extraneo se explicat concursus octavae, qui quando est cum altera die eiusdem octavae, solummodo latitat, quia in hoc per commemorationem perfici non valet, bene autem in illo.

Duo sunt quae his possunt obsistere, et primo, quod si dies infra octavam primis gauderent Vesperis, ut in primis Vesperis deberet recitari, cum a Capitulo fit de iisdem, uti reipsa fit die septimo, quia dies octavus primas habet Vesperas. 2. Quod ces-

sante die octavo, ob occursum, puta in feria IV Cinerum, dies septimus suas deberet recuperare Vesperas, quae sibi a die octavo abripiuntur; hoc autem est contra Decreta, et ea, quae dedimus in eorumdem expositione.

Ad primum dicimus, quod solum diei octavo, utpote qui ritu solemni et festivo recolitur, suasque semper primas explicat Vesperas, datum est, in primis eiusdem Vesperis recitari ut in primis Vesperis festi, non autem diebus intermediis, qui solemnes non sunt, omnibus communi ritu peraguntur, et quasi unum continuatum forent officium, celebrantur, nec commodum primarum et secundarum suarum Vesperarum locum habent, sed in his se mutuo impediunt: quandoque solum primas, quandoque tantum secundas, quandoque utrasque Vesperas assequuntur, et quoties se mutuo consequuntur, praecedens dies secundas semper integras habet Vesperas, quas cum sequenti die, quae est de eodem officio, non convenit dividi. Cum itaque dies infra octavam, dum successive celebrantur, solum secundas explicent Vesperas, rite infra Octavam ut in secundis Vesperis praescriptum est recitari, et hoc extensum fuit etiam ad primas, quas solum quandoque, et per accidens, ratione scilicet concurrentis festi, explicant, ne cum difformitate a communi, et veluti sibi connaturali ritu, tales dies tunc videantur celebrari.

Ad 2. naturam octavae ferre, quod per octo dies continuetur, quorum primus primis, quae sunt secundae festi, et septimus secundis, quae sunt primae octavi, careat Vesperis, unde numquam eas recuperare queunt. Caeteri dies non excluso septimo, primas habent Vesperas, licet hae minime explicentur, dum illi inter sese concurrunt, bene vero, quoties concurrunt cum festo extraneo, praxis instar, quae servatur in duobus festis eiusdem Sancti se se consequentibus ».

Hoc est edoctum eloquium Cl. Cavalerii nulla indigens ulteriori explicatione, clarissime enim contra Guyetum explicavit argumentum validis rationibus innixum, ita perspicuo, ut nihil ad rem omittat Cl. Auctor.

Attamen altera ratio a Guyeto oblata in eius dissertatione, nobis parum placet, illic ubi inter cetera inquit: *Parique item iure in secundis Vesperis 2.ae cl. reponitur comm. Octavae quae dimissa fuerit in primis Vesperis et Laudibus* (*si de ea futurum est postridie officium*) NON PRO IPSIUSMET DIEI PRAESENTIS COMMEMORATIONE. Revera haec tanti viri expositio, nobis apparet

aliquod continere absurdum; si enim commemoratio de die infra octavam fit tantum intuitu officii sequentis, quando recitandum erit, prout de more evenire solet de quovis altero officio semiduplici in aequali casu, quomodo dici valet quod non fit sequentis commemoratio, prout ipsamet Rubrica generalis, et peculiaris, quemadmodum superius innuimus, exprimitur istis verbis? Si esset commemoratio diei praesentis, qua ratione de ea non agitur, quando in sequenti die aliud officium etiam semiduplex recitatur? Haec rubricalis dispositio dilucide demonstrat in secundis Vesperis duplicis 2^{e} classis non resumi officium octavae hodiernae, sicuti praelaudatus Guyetus autumat, sed reapse fit commemoratio diei sequentis. Quod ita sit, eruitur ab officio feriali primas Vesperas non habente, de quo in primis Vesperis nullo casu fit commemoratio, quare eius officium incipit a Matutino; si idem dicendum est de diebus infra octavam, prout edocet Guyetus, quare, nos quaerimus, eadem officiorum ferialium mensura ipse non utitur pro istis diebus infra octavam, quorum officium incipit pariter a Matutino? A varia Rubricae dispositione manifeste emergit eorum disparitas, ideoque facile coniicitur, quomodo a Rubrica aliter dispositum fuit, videlicet iuxta utriusque gradum et ritum.

Quid tandem inferimus ut Titio reponamus? Dies infra octavam, excepto septimo, absolute primas non habere Vesperas prout dilucide edocemur a Rubrica generali ad Tit. XI, n. 4, a peculiari XI Decembris, nec non a Tit. VII n. 5, prout superius innuimus; et merito, quia dies octavae intermedii non sunt solemnes sicut primus, et novissimus, prout belle animadvertit Cavalerius, ita ut unum continuatum officium peragatur inter octavas unum ab alio non dissimile, proindeque antiphonae, psalmi, Capitulum, Hymnus, Versiculi proprii secundarum Vesperarum a secundis Vesperis pro sex continuis diebus, quando ritus non obstat, resumuntur. Sed itidem dici nequit quoad concurrentiae effectus, quoniam dies infra octavam, prout altius luculenter demonstravimus, primis ac secundis reapse Vesperis gaudet. Hinc omnibus manifestum est quod Titius perperam ageret, si diebus infra octavam occurrentibus cum semiduplicibus concurrentiam auferret, et integras faceret Vesperas de praecedenti cum commemoratione de sequenti. Nam contra Rubricam generalem et peculiarem, et contra omnium auctorum Liturgiae sententiam, non excepto ipsomet Guyeto, disputante solummodo circa concurrentiam activam vel pas-

sivam, quae disputatio, quoad effectus Rubricae nullum affert discrimen, absolute operaretur.

In praxi ergo, utpote de more iugiter agendum: scilicet, quando semiduplex quoddam concurrit cum quavis die infra Octavam, a Capitulo fiat de ista cum commemoratione praecedentis semiduplicis, de quo actum fuit officium: e contra, si dies infra octavam concurrit cum aliquo semiduplici, a Capitulo fiat de isto cum commemoratione praecedentis octavae.

NIVARDUS BOSSI *Miss. Apost.*

AD CL. PIGHI RESPONSIO

(*Contin. V. n. 1. pag. 63*)

Alterum exemplum consistit in responsione eiusdem Congregationis, declarantis usum stolae bicoloris licitum (*Loc. cit.*). Sed et hoc secundum exemplum, haud magis quam primum probat. Primo ex secunda rationum, quae pro superiori exemplo sunt allatae. Secundo, quia recessus, si ita loqui licet, a Rubrica, adeo parvi est momenti, ut vix contra eamdem fiat, stolam bicolorem pro duabus coloris diversi stolis adhibendo; nam et substantialiter Rubrica servatur, et totus omnino finis legis obtinetur (1). Ergo exempla

(1) Rubricae actus materiales praescribentes, praeter obiectum legis seu actum liturgicum, quandoque et medium suggerunt omnino *naturale*, ut ipse actus liturgicus rite persolvatur. Ita ex. gr. praescribit *cussinum* Missali supponendum Rubrica Missalis: cussinus est *naturale medium* ut legi convenienter possit. Ampullae *vitreae* praescribuntur ; materia vitrea constituit naturale medium, quod magis obvium in Rubricis redigendis iudicabatur ad vinum

allata nihil probant, et negatio cl. auctoris adhuc probanda: interim stat quod diximus, et hac de re demonstravimus.

b) In dubio ponitur deinde praefatorum vis verborum, eo quod et pro imperativo et pro optativo stare aequaliter possunt, ait ille.

Respondemus, inter petitionem et responsionem esse necessariam relationem admittendam. At quid agendum a S. R. C. quaeritur, seu quomodo se gerere inquirentes in tot casibus debeant; ergo Sacrum Tribunal non potest, quin eodem in petito sensu respondeat. Insuper nullo iure responsa praefata, seu

---

et aquam continenda. Legere est medium naturale, ne quis in precibus dicendis fallat: Signacula ordinare in Missali, est medium naturale, ne quis forte fastidio Missam audientes afficiat, etc. Stultitiam iudicamus, huiusmodi media actus liturgicos constituere, seu ritus aut caeremonias, ac proinde ea sub lege cadere; et in hoc cum cl. auctore convenimus, quamvis ratione diversa ad id tenendum moveamur. Hinc et legile sub Missale iure ponitur, ampullae ex alia quoque convenienti materia fiunt, lectio iure omittitur ab iis, qui securae innituntur memoriae, etc. At ad hoc confugere, ut Rubricae directivae admittantur quid nimis est, quod minus rationi consonat.

Hic quoque notare iuvat, Rubricas de stando, de sedendo, de genuflectendo esse vere praeceptivas pro choris, pro quibus latae sunt; ut iure non invocentur pro recitatione privata, quam vere dirigunt tantum, sicut aliae leges eos obligant, qui ad eas tenentur, alios dirigere possunt qui iis uti volunt, sed sunt omnino in libertate uti volentium. Ex quo tamen inferri non potest, dari Rubricas mere directivas, uti patet. Absolute autem negamus S. R. Congregationem, directivam declarasse Rubricam Caeremonialis Episcoporum, de aqua singulis saltem hebdomadis renovanda. Id parum est asserere, probare oportet; caveat nihilominus, ne legis mutationem vel relaxationem, de quo S. R. Congregationi facta est facultas, cum lege directiva confundat auctor.

rationes se exprimendi a S. R. C. adhibitae, ad meram optativam significationem torquentur. Novi profecto generis esset huiusmodi optativum, quod parum abest, ut in tot S. R. Congregationis responsa ridiculum inducat. Ceterum decreta huius Tribunalis obligationem importare, aperte declaratum est; unde ergo arbitrium auferendi ab illis omnem imperandi voluntatem, et in puta desideria transformandi?

4. Sed graves auctores tenent, ut decreta vi praeceptiva gaudeant, verba requiri maiori vi pollentia, uti si habeant *formam rigorosam decreti,* scilicet aliquam mandati clausulam, puta *servari mandavit.* Sed nimis distat *servari mandavit* a *serventur Rubricae.* Quinimo saepius *serventur Rubricae* nil aliud sonat, quam evasivum responsum. Ceterum dato, has voces implicare praeceptum, hoc ad eas refertur Rubricas, de quibus inquiritur: quomodo *Ephemerides* praeceptum ad omnes Rubricas extendunt? Ita cl. Pighi (*pag. 43, loc. cit.*)

Respondemus primo, principium de *forma rigorosa decreti,* sicuti et de validiori mandati clausula, re in se inspecta, esse simpliciter falsum: quod nullo negotio demonstratur. Decreta enim plurima habent pro obiecto Rubricas uti vere praeceptivas ab omnibus admissas, et nihilominus nec praefatam, nec similem habent validiorem clausulam, sed dicunt simpliciter, *Atque ita declaravit,* vel quid aliud simile; imo nullam quandoque clausulam praeseferunt. Quod vix probatione indiget, palam est enim, ut unicuique decreta legenti patebit, quae in authentica Collectione prostant. Et sane lege decretum quod inscribitur *Seguntina, Caeremoniarum,* d. d. 20 Mart. 1690: lege aliud in *Oscen,* d. d. 16 Mart. 1591: lege huic ultimo proximum in *Toletana,* d. d. 11 Iun. et 9 Iul. eiusdem

superioris anni. Lege decretum in *Abulen.* d. d. 17 Nov. 1592: lege aliud in *Mediolanen.* d. d. 25 Martii 1593. Post haec, perge lectionem, et videre est decretum in *Salernitana* sub die 23 Nov. 1602: item aliud in *Aegitanien,* sub die 23 Maii 1603: aliud *Urbis*, quod die 27 Iul. 1609 vulgatum est: videre pariter est decretum in *Ulysbonen.* d. d. 12 Apr. 1614, aliaque sine fine, quae prostant in primo Collectionis authenticae volumine. Ex quibus indubium fiet, alia pro obiecto Rubricas Pontificalis habere, alia Rubricas Caeremonialis Episcoporum, alia Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Ex citatis autem quae eiusmodi materiam respiciunt, aut nullam praeseferunt clausulam, aut simplicem declarationem. Primi voluminis decreta citavimus commodi gratia; sed eadem meridiana luce clarior similiter veritas apparebit, alia si plurima legeris in quocumque ex quinque authenticis voluminibus. Iam nunc, si Rubricae, quae decretorum obiectum constituunt, citra dubium praeceptivae sunt, liquido profluit, decreta quoque praeceptiva esse, quae Rubricas easdem exponunt et declarant. Ergo ea solum decreta obligare, quae efficaciorem habent formulam praeceptivam, de qua supra, a veritate alienum est.

Praeterea plura decreta, huiusmodi formulis destituta, praecedentiam respiciunt, vel Capitulorum, vel Confraternitatum, vel alia iura inter partes. At, superiori principio posito, nemo non videt, quot sequerentur incommoda, et quantum dedecori illud Sacro ipsi Tribunali verteret: quippe quod litibus, responsis suis, vult imponere finem, sed cum obligationem illa non gignant, oleum saepe et operam perderet.

Insuper huiusmodi principium ad nihilum redigit tot decreta, quibus omnimodam aufert auctoritatem

legis: qua sublata, quamplures obligationes, extra controversiam positae, tales esse desinerent, seu in Capitulis, seu in piis Sodalitiis, seu etiam in individuis. Ergo principium praefatum falsum est.

Denique cuiusnam generis est, a cl. Pighi inquirimus, Decretum, quod in Censura relatum fuit, et dicit: *Rituale Romanum cuius leges afficiunt universam Ecclesiam, integre servetur?* Nam clausulam rigorose mandantem non habent, sed nec habere fortasse potest, et tamen Rubricas respicit. Scimus quidem, auctorem confundere *leges*, de quo Decretum, cum eodem Rituale. At hoc est nimiam verbo vim facere; licet enim Rituale leges seu Rubricas comprehendat, nihilominus leges seu Rubricae non sunt Rituale. At Decretum praedicat, leges Ritualis universam Ecclesiam afficere (1). Ergo iterum dicimus: principium de quo superius, falsum simpliciter est. Idque sustinemus, ne S. R. Congregationi illudamus, eiusque consulamus honori. Quanti proinde valeat argumentum quintum, dicat ipse cl. auctor (*pag. 42 et 43*).

Hinc aequa et veritati respondens decretorum distinctio, sequens est. Decreta distinguuntur in generalia, et particularia. Illa, uti per se patet, sunt enim generalia, afficiunt universam Ecclesiam: ista vero, particulares Ecclesias, quibus data sunt. Sed haec duplicis generis esse possunt ratione obiecti: aut enim indultum aliquod peculiare respiciunt, aut Rubricas. Si primum, unicam afficiunt Ecclesiam, vel etiam personas, quibus data sunt. Si alterum, universam quoque

(1) Cl. Pighi ne pergat, oramus, ad Ecclesiam Graecam etc. quia notum est, hunc loquendi modum saepius pro sola significanda Ecclesia Romani Ritus usurpari.

afficiunt Ecclesiam, quia obiectum generale est, hinc aequivalentia appellantur: hoc est particularia licet, generalibus decretis aequivalent.

Ad eorum quod attinet obligationem, generalia omnes Ecclesias obligant: simpliciter particularia, afficiunt solam particularem Ecclesiam, vel personas quibus data sunt: particularia vero generalibus aequivalentia obligant pariter universam Ecclesiam, secundum quod hanc afficit Rubricarum obligatio. Cumque iuxta tenendam sententiam, omnes Rubricae obligationem pariant, sequitur, omnia decreta aequivalentia universam obligare Ecclesiam. Clausula vero rigorosi mandati, vel ponitur vel omittitur secundum quod maior vel levior decreti materia, eam vel exigit vel non. Hanc quidem distinctionem veram iudicamus, contra superiorem relatam, quae et veritati non respondet, et adeo gravibus incommodis est obnoxia, ut sustineri nequeat.

(Continuabitur).

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

DE REPOSITIONE OFFICII PERPETUO IMPEDITI.

Cum ex Breve *Nullo unquam* regnantis Pontificis omnia duplicia et semiduplicia (Doctorum Ecclesiae exceptis semper officiis) iure translationis privata fuerint, quaestio suborta nuper fuit de sensu, quo eiusmodi intelligenda sit translatio. Opinantur enim quidam, principium iuris posse in casu usurpari, nempe: *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus;* consequenter ita verbum *Translatio* esse accipiendum, ut quodvis duplicis vel semiduplicis ritus officium, sive accidentaliter, sive perpetuo impeditum, post Breve *Nullo unquam* amplius celebrari non possit. Id est, si accidentale fuerit impedimentum, officium impeditum eo anno omittendum, sola excepta commemoratione, si fieri queat: si vero impedimentum sit perpetuum, officium impeditum esse fere e calendario expungendum. Quam doctrinam probant ex Rubrica in Breviario posita post Occurrentiae tabellam, in qua dicitur, Sanctos Tituli vel Patroni socios, si qui fuerint in Calendario descripti sub ritu duplici vel semiduplici, esse omnino expungendos, ait enim: *de eis nihil fit.* Quod cum generatim non arrideat, ad hanc aliqui contrariae sententiae fautores Academiam dederunt epistolam, ut de more quaestionem resolveret, inquirentes:

1. *Quotuplici sensu sumi possit liturgice translatio, et quomodo intelligenda iuxta sensum Brevis* Nullo unquam?

2. *Quomodo intelligenda praefata verba post occurrentiae tabellam posita, seu* de eis nihil fit?

3. *Quaenam, ex diverse opinantibus, sententia vera, atque in praxi tenenda?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Josephi Palica ex alumnis Pontificii Seminarii Romani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Io: Baptista Menghini ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris.

1. Petitio prima inquirit, quotuplici accipiatur sensu translatio iuxta Liturgiam, et quomodo illa sit intelligenda, de qua Breve *Nullo umquam* loquitur.

Notum iam ex Rubricis est, quaedam festa translationem respuere, quaedam vero admittere. Si itaque festa *de Tempore* excipias, iure translationis, iuxta praesentem disciplinam non gaudent festa omnia, quae duplici maiori ritu inferiora sunt, Doctoribus tamen Ecclesiae exceptis. Quae proinde aut commemoranda sunt, si cum aliis festis occurrant, quae non sunt dup. 1 cl.: aut si commemorari nequeant, uti in omnibus et solis duplicibus primae classis accidit, sunt penitus omittenda (*Rubr. Gen. Brev. Tit. X, n, 1*). Cum vero de festis agitur, aut doctorum Ecclesiae, aut quocumque alio duplici minori ritu superioribus, haec festa transferuntur, si die sua impedita fuerint, in primam, inquam, diem liberam.

Iam nunc inquiritur, quotuplici sensu translatio huiusmodi liturgice accipiatur. Inspicienda imprimis occurrentiae causa, quae duplicis generis esse potest: aut nempe est aliquod festum mobile, quocum alterum occurrit fixum, aut aliquod novum superveniens festum, quod in Calendario universali affigatur in die, quae in aliquo Calendario particulari est ab alio festo impedita. Prima harum causa occurrentiam gignit, quae accidentalis dicitur, seu quae haud semper sed aliquoties accidit: altera vero gignit occurrentiam perpetuam, quae scilicet semper in singulis annis recurrit. Primus itaque sensus, quo occurrentia liturgice sumitur, duplex est, videlicet accidentalis et perpetua. Super quo nihilominus animadvertendum est, saepissime translationis accidentalis nomine simpliciter appellari *Translationem*, dum altera quae perpetua est sub nomine *Repositionis* venit. Quod optime iure egerunt Liturgici, ut simplicis vocabuli distinctione utrumque conceptum exprimerent, sicque facilius ambiguitates vitarent. Harum itaque vocum significationem ipsimet quoque exprimentes, iisdem utemur nominibus: ut proinde *Translatio* nonnisi amotio sit festi pro aliquo anno a die sua in aliam, sed amotio festi perpetua a die sua in aliam, sit *Repositio*.

De hac, seu translatione, seu repositione, Guyetus verba faciens, illam dicit se habere *ad instar peregrinationis, qua se (sanctus) alio confert, ita tamen ut ad sedem propriam illico sit rediturus:* istam vero *transmigrationem* pariter nuncupat, quae tamen est, addit, *perpetua sedis alterius occupatio.* Hinc, prosequitur, utriusque causam esse officium aliquod diem festo destinatum occupans, illius vero *ex accidenti*, atque pro hac aut alia simili vice dumtaxat, ut fit in occurrentia Dominicae Septuagesimae, Feriae IV Cine-

rum, Ascensionis Domini, et aliorum festorum mobilium: huius vero constanter ac perpetuo, propter occursum videlicet festorum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Omnium Sanctorum et similium, quae diei mensis sunt affixa (*Lib. IV, Sect. II, cap. VII, quaest. I*). Translationem cetero hunc duplicem sensum satis alterum ab altero diversum habere, ex innumeris constat S. R. Congregationis decretis, quamvis eadem vox *repositio*, nunc in iisdem pro accidentali, nunc pro perpetua translatione accipiatur.

Imo opportune hic locus erit innuendi aliam quoque translationis speciem, quae ab utraque supercitata differt; illaque est, quam Sancta Sedes quandoque suprema sua auctoritate agit, festum aliquod a die obitus alicuius Sancti, vel mysterii aut eventus, in aliam diem mutans. Id actum ex. gr. cernimus in omnibus illis festis, quae in Calendario universali in alia die ab obitu reperiuntur inscripta, quorum tertius versum in hymno *Iste Confessor* mutare iubemur ex peculiari Breviarii Rubrica. Huiusmodi translatio satis magis praestat duabus supra recensitis, et potiusquam transmigratio, optimo iure *mutatio* appellari potest. Namque prima translatio aliquem annum respicit: secunda, quae est repositio, perpetua est quidem, sed lato quodam sensu id accipiendum. In hypothesi enim, quod dies, a qua festum aliquod ob impedimentum maius, amotum fuit, aliaque die repositum, evadat liberum, certum est, in illam esse iterum transferendum, est enim dies sua (*Cracovien. 22 aug. 1744 ad 4, et Neapolitana, 18 oct. 1818 ad 8*). At cum de hac tertii generis translatione agitur, quae vera mutatio est, festum a Sancta Sede alicui diei, etsi extra diem obitum, assignatum, in diem suam nunquam redibit; dies enim sua, quae vero sensu *propria* di-

citur, est ipsa dies mutata. De hac mutatione exempla quamplura videre est seu in Calendario universali, seu in ipso Breviario, uti ex. gr. dies S. Basilii, S. Remigii, S. Vincentii a Paulo, S. Dominici etc. qui dies, alii sunt ab obitu, sed omni sub respectu sunt eorumdem Sanctorum proprii.

Mutatio autem duplici sensu accipi postest, ut plurimum enim absolute, ut ita dicam, perpetua est, sed aliquando quasi perpetua relative. Hoc est, festum aliquod si a die sua impeditur pro aliquo anno, in aliam mutatur; sed dies ista tamquam dies propria ex privilegio consideranda est: uti accidit de festo Annuntiationis si in feria VI et Sabbato Sancto occurrat, uti ex Decretis constat, et de S. Ioanne Baptista, si occurrat cum festo Corporis Christi, uti ex Rubrica Breviarii habetur (*Tit. X, n. 1*).

Iam nunc de mutatione silentes, quam casus respicere non potest, quaestio oritur de sensu, quo intelligenda est translatio, de qua verba facit notum Breve *Nullo umquam:* an videlicet de translatione tantum proprie dicta intelligendum sit, an etiam de repositione. Adeo ut quodcumque festum duplici maiori inferius (Doctoribus Ecclesiae exceptis), sive cum alio potioris ritus, sive cum aliqua Dominica aut feria privilegiata occurrat, hoc est, sive translatio perpetua, sive accidentalis sit, amplius celebrari non debeat, ac veluti expungendum sit e Calendario. Quidam sunt enim, qui principio inhaerentes *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, id affirmant.

Verum thesis ista sustineri non potest, et alteram solum esse veritati consonam tenemus et demonstramus. Haec igitur est vera, quam defendimus sententia: Translatio, de qua Breve *Nullo unquam*, est accidentalis tantum, nullo modo perpetua: seu aliis verbis,

est translatio proprie dicta, haud repositio. Huiusmodi veritas, potiusquam sententia, argumentis ineluctabilibus, ac maxime perspicuis, in prima quaestionum, quas Ephemerides Liturgicae anno 1887 pertractarunt (*pag. 114*), demonstrata fuit. Eamdem una cum aliis in iisdem Ephemeridibus insertis iterum anno 1888 maiori quoque eruditione ac robore cl. Doct. Piacenza pertractavit in separato Opusculo, quod SS. D. N. Leoni XIII, iubilaei Sacerdotalis Illius festorum nactus occasionem, obtulit. Eamdem nunc certissimam veritatem magis magisque evolvendam suscipimus, ut omnem dubitandi locum, si adhuc superest, procul repellamus.

En itaque Brevis praefati textualia verba, quae ad rem nostram faciunt: " .... Auctoritate nostra volumus et praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de Translatione festorum hac ratione mútetur, videlicet: Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum), et festa semiduplicia, si OCCURSU DOMINICAE VEL MAIORIS FESTI SEU OFFICII QUOMODOCUMQUE IMPEDIANTUR, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio cum nona lectione historica... si tamen haec eo die fieri possint: secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia EO ANNO penitus omittuntur (*28 Iul. 1882*) „.

Super his autem relatis verbis sequenti ratione argumentari liceat: BREVE *Nullo umquam* nonnisi de translatione intelligendum, si verba legis in eo contenta de repositione intelligere repugnet. Atqui ita revera se negotium habet, ergo. Cum de maiori oriri controversia non possit, manet probanda minor, super qua haec animadverti possunt. *a*) Lex simul ponit impedimenta festorum ritu duplici superiorum, cum

impedimento Dominicarum, maiorum, scilicet, pro duplicibus, minorum etiam pro semiduplicibus, uti patet ex verbis diverso charactere notatis. At impedimentum Dominicae maioris pro duplicibus, et etiam minoris pro semiduplicibus, nonnisi accidentale esse potest, cum sit mobilis. Ergo impedimenta quoque festorum, quae cum Dominica ponuntur, accidentalia sunt, haud vero perpetua. Quod si subsumas, *Breve* ideo de Dominicarum et aliorum festorum impedimentis verba facere, ut significaret, velle se loqui tam de accidentalibus quam de perpetuis impedimentis, respondemus, id esse omnino a veritate alienum. Etenim, primo, ibi statim dicitur, eiusmodi festa sic impedita, non transferri, *non transferuntur:* agitur ergo de translatione, non de repositione. Secundo, dicitur praeterea, eadem festa impedita, haud semper, sed eo anno tantum esse omittenda, *eo anno penitus omittuntur.* Ergo de impedimentis agitur accidentalibus, non perpetuis, proindeque de repositione non agitur, sed tantum de translatione, illa enim in perpetuo, ista solum in accidentali impedimento habere locum potest. Arroges velim, in re tanti momenti, numquam eiusmodi loquendi modo Summus Pontifex fuisset usus, si perpetuum impedimentum intelligere voluisset; locutionem enim propriam tunc adhibuisset, videlicet: festa impedita aut eo anno penitus omittuntur aut non amplius in posterum cum toto saltem officio, celebrabuntur. *b*) In eodem BREVI plura iubemur officia determinatis diebus inserere in Calendario universali, duplicis minoris ritus, uti ex. gr. Ss. Cyrillus Alexandrinus, Cyrillus Ierosolymitanus, Augustinus Cantuariensis. Quae tamen officia inseri praescribuntur in Calendario Urbis sub alia die, quia dies quibus affigebantur in Calendario universali, in Calendario

Urbis impedita erant. Hoc autem quid aliud est, quam ipso facto, repositionem duplicium minorum, consequenter et semiduplicium proclamare? Num enim dici potest, ipsum Legislatorem supremum repositionem ad nihilum nova lege redigere, cum de eadem repositione plura exempla in eadem lege tradit? Praeterea ad haec aliaque officia quod pertinet, in eodem contenta BREVI, S. R. Congregatio per Decretum d. d. 13 Septembris anni 1882 (quod licet in authentica Collectione non prostet, authenticum certo est, cum in regestis legatur Sacri eiusdem Tribunalis) potestatem facit particularibus Ecclesiis, illa in alia die reponendi, si propriis diebus, quibus sunt affixa, alia iam officia reperiantur inscripta. Quisnam autem sensum BREVIS poterit melius intelligere, quam ipsamet S. R. Congregatio, cuius utitur consilio Summus Pontifex, ut ea decernat, quae ad festa liturgica pertinent? *c*) His adde, in Rubrica Generali Breviarii verba eiusdem BREVIS repetita, *eo anno penitus omittuntur*, alium non pati sensum, quin iis certa vis inferatur (*Tit. X, n. 1*). Item nulla gauderent significatione plures peculiares Missalis Romani Rubricae, si ad nihilum redacta esset festorum repositio, quam evidenter supponunt (1). Num dicendum, et Missalis et Breviarii Rubricis re-

(1) Diebus 22, 23, 24, 29 Aprilis, ex. gr. quaedam festa duplicia et semiduplicia recoluntur, de quibus singulis Rubrica Missalis typici translationem post Pentecosten admittit: quae nonnisi perpetua esse potest. Etenim post Pentecosten ea occurrere absurdum est, cum ante diem 10 Maii Pentecostes nunquam celebretur; ergo talia festa semper ante Pentecosten occurrent. Post Pentecosten transferri accidentaliter nequeunt, quia haec translatio duplicium minorum et semiduplicium abrogata est. Manet ergo, ut ibi de sola translatione perpetua agant Rubricae, seu de repositione, quam proinde supponunt.

center mutatis contradicere BREVE *Nullo umquam?* *d*) Insuper, nisi certa lex Liturgicos tutos omnino reddat, admitti profecto nec potest nec debet, omnia duplicia minora et semiduplicia perpetuo impedita non esse in alia die reponenda. Secus gravissimum oriretur inconveniens, quamplura officia esse e Calendariis expungenda, quae utpote in duplicibus primae classis perpetuo occurrentia, celebrari amplius non possent. Imo quoties novum aliquod officium concederetur a S. Sede, identidem foret expungendum vetus in Calendariis particularibus, in quibus facillime dies, cui novum officium affigitur, impedita manet, vel novum officium, quod transferendum esset, non foret acceptandum: ex quibus alterum inconveniens est profecto altero peius, et contra manifestam mentem Pontificis (1). *e*) Denique communis Calendariorum Redactorum praxis, seu in Urbe seu extra, ita BREVE intellexit, ut sola translatio per idem BREVE censeatur sublata, haud vero repositio. Quod sane ita et non aliter esse BREVE *Nullo unquam* intelligendum ulterius confirmat. Quibus omnibus probe perpensis, concludendum omnino est, tamquam certum exploratumque, ita esse legem BREVIS intelligendum, ut, translatione duplicium minorum et semiduplicium, Doctorum Ecclesiae exceptis, abrogata, maneat et servari adhuc

---

(1) Profecto id ridiculum plane foret, fine inspecto Pontificis, quem ipsemet Pontifex declarat in BREVI. Nam Ecclesiae particulares ab aliis celebrandis officiis in casu impedimenti prohiberentur a Pontifice per BREVE, quae tamen ut celebrentur idem Pontifex per idem BREVE et vult et praecipit, dicens: « Quo vero in utroque Calendario tum universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda, eadem auctoritate nostra volumus ac praecipimus etc. »

possit et debeat eorumdem repositio: seu, quod idem est, nonnisi de accidentali translatione BREVE *Nullo umquam* verba facere, quam prohibet, nullo vero pacto de perpetua.

2. Fatendum nihilominus, huic veritati satis videri opposita Rubrica Breviarii, post tabellam Occurrentiae inscripta, quae dicit: " Si occurrat ut Patronus, vel Titulus Ecclesiae, descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono vel Titulari. Alii, si in dicto Calendario descripti sint sub Officio duplici minori, non tamen alicuius Doctoris Ecclesiae, vel semiduplici, DE EIS NIHIL FIT ". Ergo et repositio e medio sublata dicenda est, secus Rubrica non diceret, *de eis nihil fit*, sed potius, *reponantur in prima die libera, in sede tamquam propria perpetuo recolendi.* Convenimus, ita quidem similive ratione exprimendam fuisse legem, si S. R. Congregatio Sanctos Patroni vel Titularis socios comprehendere voluisset sub generali lege. At num potestas non erat Sacro Tribunali, pro istis Sanctis aliquam exceptionem faciendi? Num huiusmodi exceptio sapienti non fuisset ratione freta? Ita plane, et quidem ad utrumque quod attinet. De primo nulla difficultas exurgit, Summus enim Pontifex et S. R. Congregatio idem constituunt Tribunal: ut quod altera decernit, ratum alter habeat, illiusque supremum ius condendi leges liturgicas in hanc transfundatur. Tota igitur difficultas consistit in altero, utrum videlicet hanc revera exceptionem ponere pro sua sapientia intellexerit S. R. C. et de hoc quoque non est dubitandum. Tenendum itaque, Sanctos Patroni vel Titularis socios, cum ab eo separantur, quamdam rationem vel maioris vel totius cultus liturgici amittere iuxta Rubricas. Id fortasse accidit, quia cum praecipuus ex illis, Patronus nempe

aut Titularis, ritum supremum, seu duplex primae classis cum octava acquirat, reliqui ab illo divulsi parum aut nihilum in tali particulari Ecclesia computantur. Utcumque res sit, exploratum est, in antiquis Breviarii Rubricis Sanctos Patroni socios, si ritu duplici ante separationem recolebantur, nonnisi semiduplici fuisse recolendos post separationem: si vero ritu semiduplici, hunc et post separationem retinebant: at si sub ritu simplici, tunc a Patrono separati, omnino a Calendario expungendi erant. Ritus ergo duplex minuebatur, ritus simplex redigebatur in nihilum ratione ritus classici, ad quem evehebatur Patronus. Et nihilominus lex generalis erat, ut non solum semiduplicia, sed multo magis duplicia, si perpetuo impedirentur, in primam diem liberam perpetuo transferrentur sub eodem ritu. Antiquae ergo Rubricae, haud obstante generali lege, exceptionem faciebant pro Sanctis sociis a Patrono separatis, si sub ritu duplici inscripti in Calendario fuissent. Nil ergo mirum, si S. R. Congregatio in Rubricis reformandis, antiquae exceptionis morem secuta, ulterius processerit, et duplicem ritum Sanctorum sociorum non imminuerit sed abstulerit, quod et a fortiori de semiduplici ac de simplici sapienter disposuit. At ex hac pro Sanctis sociis lege exceptionis velle arguere, idem esse in lege generali dispositum, non est profecto recto sensui consonum; exceptio enim explicare non valet legem contrariam, sed tantum firmare. Ergo translatio perpetua seu repositio ex exceptione abrogata est pro Sanctis Patroni vel Titularis sociis, viget adhuc ex generali lege pro reliquis Sanctis, qui vel sub duplici vel sub semiduplici ritu in Calendario inscribuntur.

3. Ex hucusque discussis liquido fluit ad ultimam petitionem responsio, quinam scilicet ex diverse sentientibus recte iudicet, et quaenam amplectenda sententia in praxi. Iudicium enim omnino rectum iuxta legem BREVIS *Nullo umquam*, veritatique respondens hoc unum est: Vetitam esse translationem proprie dictam omnium duplicium minorum, Doctorum Ecclesiae exceptis, et semiduplicium: adeo ut quoties aliquod festum duplex minus vel semiduplex Dominica aliqua ex maioribus, vel alio festo mobili potioris ritus impediatur, commemorari debeat, si potest, secus de illo, pro illo anno, nihil fiat. Si vero agatur de novo festo, vel officio fixo, uti ex. gr. nuper accidit de SS. Septem Fundatoribus ad Ecclesiam universalem extensis, et in praesenti de Apparitione B. M. V. Immaculatae pro aliquibus Dioecesibus, tunc notae sequendae sunt leges repositionis a Calendariorum Redactoribus pro altero ex duobus festis celebrando, et altero transferendo. Sed error indubius esset officium vel festum ob perpetuam occurrentiam expungere e Calendario, vel uti simplex peragere, utpote contra certam legem, quam exceptio pro Sanctis Patroni vel Titularis sociis haud infirmat, sed potius confirmat et roborat.

DE SOLUTIONE
CUIUSDAM CASUS LITURGICI

In quadam Ecclesia, festo Titularis occurrente, solemnior Missa concenta fuit. Diaconus ministrans vinum ad Offertorium, ex liquoris albedine de illius sinceritate dubitat, quem tamen securum Subdiaconus reddit. Ad consummationem vero Celebrans certo iudicat, se haud vini sumpsisse species, sed aquam.

Quaeritur:

1.° An cognita, post alterius materiae consummationem, vini materiae ineptitudine, necessarium sit pro integritate Sacrificii utramque novam tam panis quam vini materiam assumere in nova consecratione facienda, an vero ad integrandum Sacrificium illa tantum materia apponi possit, quae inepta dignoscitur?

2.° Utrum, una tantum, quae inepta fuit, renovata materia et consecrata, Celebrans eleemosynam accipere pro illa Missa valeat?

Nota. Casus iste, obiter licet ad alterum quod attinet quaesitum, resolutus in nostra Academia fuit anno 1889, uti in IV *Ephemeridum* nostrarum Volumine (*an. 1890, pag. 179 et seq.*) videre est; neque ut iterum resolvatur hic proponitur, sed alia de causa, quae sequens est. Calendarii Redactor Ecclesiae B. inter casus liturgicos a respectivo Clero resolvendos, hunc ex *Ephemeridibus* excerpsit et proposuit. Resolutio autem nuper typis tradita, illi quam *Ephemerides* evulgarunt perfecte consonat, quas in confirmationem citat. Sed vero doctissimus (1) quidam illius Ecclesiae vel Dioecesis theologus literas misit ad Calendarii praefati Reda-

(1) Ita in epistola appellatur, quam ad nos dedit Calendarii Ecclesiae B. Redactor.

ctorem, quibus datam solutionem impugnat. Cumque hae literae ad *Ephemeridum* missae fuerint redactionem, opportunum, imo et necessarium iudicamus momenta contra solutionem ad litteram referre, et aliquas super iis animadversiones facere.

THESIS THEOLOGI.

Si post ambarum specierum sumptionem, altera inepta dignoscatur, ad integritatem Sacrificii requiritur et sufficit, ut una, quae inepta fuit cognita, renovetur.

PROBATIO.

1. Integrum perfectumque est Sacrificium eucharisticum, quando id omne ponitur, quod eiusdem Sacrificii essentiam constituit. Essentia autem Sacrificii in consecratione et sumptione specierum consistit panis et vini. Atqui in casu exposito, unius materiae, ineptae scilicet respondentis, nova consecratione, vere et realiter habetur ambarum specierum consecratio et sumptio. Ergo perfectum est Sacrificium.

2. Dicitur necessaria esse simultanea ambarum specierum consecratarum existentia super altare. Dicitur quidem, sed gratis asseritur, gratisque negatur. Ut noscamus, utrum huiusmodi coëxistentia necessaria sit pro Sacrificii integritate, ascendamus oportet ad Sacrificii eucharistici institutionem, uti in Evangelio exponitur. Num ex Evangelio apparet, in ultima coena, quam Christus manducavit cum discipulis suis, extitisse simul utrasque super mensa species? Haud omnino: oppositum e contra probabilissimum videtur. Equidem naturale est, in eo ipso quod Christus Apostolis panem porrexit dicens: *Accipite et comedite, hoc*

est etc., eosdem Apostolos accepisse panem et comedisse: post hoc autem, sumpsisse calicem, quem eis obtulit Christus dum consecravit, et bibisse; idque satis perspicue S. Lucas indicat verbis: *Similiter et calicem postquam coenavit* etc.

3. Ergo, si huiusmodi coexistentia haud extitit in coena Domini, minime necessaria est ad integritatem Sacrificii. Sed neque necessaria est, ut Corporis a Sanguine separatio significetur, quae in duplici consecratione significatur. Proinde Sacerdos, qui in casu unius materiae ineptitudinis, hanc solum renovando consecrat, verum, integrum perfectumque Sacrificium offert. Sine causa autem pro contraria sententia adducitur divi Thomae auctoritas; citato enim loco S. Doctor haud de Sacrificii integritate loquitur, sed tantum de ordine, quo est offerendum, uti ex his verbis constat: *Quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi.*

4. Haud dubium, Sacrificium eucharisticum esse ordinate offerendum; et ordo, divinis atque ecclesiasticis legibus statutus est. Divina lex est, panem vino prius esse offerendum, ita enim in ultima coena operatus est Christus: lex ecclesiastica est, ut ambae super altare coexistant consecratae species. At haec omnia ordinem respiciunt Sacrificii quod offertur, sed nullo pacto eiusdem Sacrificii vel essentiam vel integritatem: hoc est, leges huiusmodi Sacrificii perfectionem tangunt, sed nec tangunt nec tangere valent illius integritatem. Namque integrum est Sacrificium quod habet omnia, quae eius constituunt essentiam, dum illud perfectum est, quod, praeter essentiam, reliqua habet, quae statutus ordo requirit. Distinctionem istam prae oculis habere opus est, ut probe sen-

sum intelligamus verborum divi Thomae, quae citata sunt, nec non et Missalis regulas.

5. Hanc sententiam dico sensui Rubricarum Missalis plane conformem. Namque ubi agitur *de defectu panis* (*De defectib. Tit. III*) praescribitur, Sacerdoti, si post ambas consumptas species, advertat ineptitudinem panis, iterum novum panem novumque vinum esse consecrandum et sumendum etc., ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo. Notare fas est, hic ly *imperfectum* stare pro *non integrum:* videlicet imperfectionem significat, seu integritatis defectum, cum de ordine in subsequentibus verbis sit sermo. Duplicem ergo rationem Rubrica assignat, duplici rei agendae respondentem: altera est ut novus panis pro inepto ad Sacrificium integrandum consecretur, ne Sacrificium remaneat imperfectum: altera, ut etiam vinum, licet iam valide consecratum, iterum consecretur, ut in offerendo Sacrificio debitus servetur ordo.

6. Ita rem se habere eo magis constat ex iis, quae in Rubrica *De defectu vini* (*Tit. IV, n. 5*) praescribuntur: videlicet, cum vini materia reperitur inepta, utramque materiam si loco privato, solam vini si loco publico Missa fiat renovandam esse. Iam quaero: Permittere ne Rubrica posset unius consecrationem, si pro Sacrificii integritate ambarum requireretur consecratio? Haud possibile est. Solutio Calendarii (1) hic ait: *Responsio facilis* (equidem nimis facilis): Lex naturalis vitandi scandali praestat legi divinae integrandi Sacrificium. At ubinam vel qualenam scandalum istud? Tribus vel quatuor sexagesimis horae

(1) Calendarii eiusdem Ecclesiae B. quod adm. Rev. inquirens ad nos comiter misit.

partibus protractio Missae, aliquid fortasse murmuris, vel mentis in quibusdam avocationis a re divina, hoc est omne. Iam vero quisnam hoc scandali nomine appellare serio poterit, et eiusmodi, ut divinam Sacrificii integrandi legem infirmare valeat? Ceterum, si hoc in casu scandalum adest, adest et in altero, qui respicit ineptitudinem panis; curnam autem ibi Rubrica unius speciei consecrationem non permittit, et de scandalo silet? Responsio facilis: de ordine tantum, minime vero de integritate Sacrificii agitur.

7. Sane, in casu eneptitudinis panis, si hoc tantum consecraretur, gravius inverteretur ordo, esset id enim contra legem divinam, panis ante consecrationem vini praescribentem; proindeque nullum adest scandalum, quod ab hac adimplenda lege eximat. In casu vero ineptitudinis vini, si hoc tantum consecraretur, minus graviter ordo invertitur, est enim tantummodo contra legem Ecclesiae respective levem, quae utrarumque specierum existentiam super altare praecipit; consequenter id quod a Rubrica scandalum dicitur, murmur scilicet et mentis a divinis avocatio, ab hac Ecclesiae lege valet eximere. Atque ita casus solvitur inhaerendo Rubricis.

8. Obiicitur: Si pro integritate Sacrificii materiam solum ineptam renovare sufficit, Rubrica utrarumque specierum consecrationem praescribendo, novum Sacrificium praeciperet, inceptum vero imperfectum dimidiatumque relinqueret, quod nefas est.

Respondeo, esse a veritate alienum, primum Sacrificium imperfectum remanere ac dimidiatum. Prima enim consecratio cum duabus subsequentibus coniungitur, funditur, atque una eademque cum duabus posterioribus fit. Semper habetur duarum specierum consecratio et consumptio, ex quibus Sacrificium con-

stituitur. Equidem altera ex duabus bis consecratur; sed hoc inconveniens exuberantiae seu excessus, integritatem Sacrificii nequaquam vitiat, nec eiusmodi est ponderis, ut a legibus ordinis adimplendis valeat dispensare, quae eucharistici Sacrificii executionem exigunt.

9. Ex his omnibus patet responsio ad alterum quaesitum. Sacerdos, qui in casu unam tantum renovavit, consecravit, sumpsitque materiam quae ineptae respondet, tutissima et placidissima conscientia eleemosynam retinere potest, quod verum, integrum, perfectumque Sacrificium obtulit.

Haec quidem doctissimus Theologus noster, contra cuius argumenta plura nobis animadvertenda sunt. Itaque:

Ad 1. In panis et vini consecratione, et utriusque materiae sumptione, consistere integrum perfectumque sub omni respectu Sacrificium altaris, ad nos quod attinet, convenimus cum doctissimo Theologo. Ex quo tamen oppositum a suo consectarium inferimus, hoc est, in casu nostro Sacrificium non adesse ex unius materiae defectu: aut saltem, utrum revera adsit, satis esse dubium. Ratio est, quia materia panis in Sacrificio quod fuit inceptum, iam consumpta supponitur; quod autem consumptum est, amplius non existit. Cum ergo sola vini materia renovetur, ineptae respondens, sequitur per eam solummodo Sacrificium non posse fieri; ergo sicut prius inabsolutum remansit, ita subsequens, neque integrum neque perfectum neque verum est. Vel certe, sicut primum, ita et alterum Sacrificium, vera certitudine esse tale, sustineri non potest.

Ad 2. Probabilissimum dicitur, in ultima coena, panis consecratione a Christo absoluta, statim Apo-

stolos communicasse, ac postea peregisse Christum consecrationem vini, quod et iidem Apostoli sumpserunt. Sed contra est, ex Evangelistis hoc unum certo constare, prius panem consecratum fuisse a Christo, deinde vinum, nihilque aliud. Et nescimus qua de causa probabilius imo probabilissimum dicendum sit, vinum fuisse consecratum post panis consecrati sumptionem, quam potius immediate post eiusdem panis consecrationem: ut proinde post utramque materiam consecratam, manducandi bibendi actus acciderint; prius enim cibus et potus parantur, inde sumuntur. Verba autem Evangeliorum haud materialiter accipienda, secus plura sequerentur inconvenientia, quorum hoc esset maximum, prius Apostolos manducasse panem et vinum, quae postea Christus consecravit. Lege Matthaeum (*Cap, XXVI, 26, 27, 28*), et Marcum (*XIV, 22, 23, 24*). Iuxta S. Lucam vero, antea Christus consecrasset, bibissentque Apostoli non consecratum vinum, postea consecratum panem, demum consecratum fuisse vinum. Lege caput XXII, 17, 18, 19. Haud ergo nimis in littera insistendum, sed ex verbis ordo actorum inferendus, prout naturalis sensus dictat. Ceterum toto iure arguere licet, ita se gessisse Christum, ad hoc quod pertinet negotium, in ultima coena, sicut semper se gessit geritque Ecclesia; atqui Ecclesia, a prima Petri Missa ad praesens usque tempus, semper hunc servavit morem, ut ambae prius consecrarentur, deinde altera post alteram sumerentur species; ergo. Ratio minoris patet, Ecclesia enim in re tam gravi non potuit, quin morem Christo perfectissime gereret. Ceterum, quamvis hoc admittere renuas, oppositum tota securitate fateri nulla ratione poteris.

Ad 3. Miranda satis doctissimi nostri Theologi, quam infert, conclusio *certa* ex *non certis* praemissis. Esto enim, probabilissimum esse, coexistentiam utrarumque specierum non extitisse in ultima coena, hoc tantum ex eo sequeretur, coexistentiam panis et vini consecrati super altare, probabilissime non requiri ad Sacrificium. Sed Theologus noster nimia facilitate ex *probabilissimo certum* concludit, quod logicae leges non permittunt. Praeterea asseritur, huiusmodi coexistentiam non esse necessariam, ut separatio Corporis a Sanguine significetur, quippe quae in utriusque materiae consecratione significatur. Sed contra, si una materia tantam existit, consumpta est enim altera, ubinam duplicis materiae consecratio? Proindeque ubinam Corporis a Sanguine separationis significatio? Namque si Christi Corpus non existit, palam fit ab eodem Christi Corpore Sanguinem separari non posse; non enim potest aliquid separari ab eo, quod existentia destituitur.

Ad auctoritatem quod attinet divi Thomae, animadvertimus, verba illius ad ordinem quidem referri, sed talis ordo essentiam Sacrificii tangit, quippe qui tangit essentiam Sacramenti. Ergo debitus ordo servandus est, ut Sacrificium verum existat, prout est a Christo institutum (1).

---

(1) Principium quod ab omnibus theologis admittitur est, illud esse in casu supplendum, *quod est de necessitate Sacramenti.* Hoc supponit S. Thomas ad propositum quod attinet nostrum in articulo VI quaestionis LXXXIII, ad quartum, unde cl. Theologus desumpsit relata verba, *quod ideo dico* etc. Loquens enim de sacerdote qui, post consecrationis verba, perceperit quod aquam in calicem non immiserit, dicit: « Debet (*sacerdos*) nihilominus procedere, quia impositio aquae, ut supra dictum est (*q. 74, art. 7*), non est de necessitate Sacramenti ». Quod ergo in casu nostro

Ad 4. Non satis constare respondemus, superius expositis consideratis, coexistentiam panis et vini super altare in consecratione, ad legem solummodo Ecclesiae pertinere : ut consequenter nec certum dici valeat, utrum unius tantum materiae consecratio, altera iam destructa, Sacrificium constituat.

Ad 5. Sequentia animadvertimus. Rubrica praecipit, si Sacerdos post utrasque consumptas species adverterit ineptitudinem panis, utramque materiam esse ab eo renovandam, consecrandam, sumendamque duplici de causa, primo *ne Sacrificium remaneat imperfectum*, secundo *ut debitus servetur ordo* (Tit. III, n. 6). Theologus noster ait, panem novum requiri *ratione integritatis*, vinum vero *ratione ordinis* Sacrificii. Sed hoc opinionem constituit, non veritatem. Nil obstat quominus hoc sensu intelligi Rubrica possit, ut nempe utraque materia duplici de causa requiratur. Ita ut, si solum novus panis consecraretur, et imperfectum seu non integrum maneret Sacrificium, et debitus non servaretur ordo; ergo ambae renoventur. Eo maxime, quia in praesenti negotio semper est tenendum et agendum illud, quod habet minus de periculo, et pro-

---

ex divo Thoma supplendum est, unica de ratione supplendum quia de necessitate Sacramenti est. Atqui ex divo Thoma iterari debet consecratio panis et vini, si Celebrans post sumptionem Corporis adverterit vini materiam ineptam. Ergo iuxta Angelicum non solum consecratio panis, sed et consecratio vini est de necessitate Sacramenti, consequenter et Sacrificii, quod in utriusque materiae consecratione consistit. Hoc posito, sequitur praefata verba *quod ideo dico* etc. respicere quidem debitum ordinem consecrandi, sed hic ordo, ex doctoris sententia, de necessitate est Sacrificii, secus consecrationem non diceret iterandam. Namque, ut optimo iure concludit, ex Toletano Concilio, *perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur.*

fecto periculosum est quidquid ab integritatis et ordinis ratione videtur in Sacrificio recedere.

Ad 6. Ait cl. Theologus, Rubricam permississe nunquam unius tantum speciei consecrationem, si pro integritate Sacrificii consecratio utriusque requireretur. Quare? quia, prosequitur, scandalum, de quo Rubrica, nonnisi levis quaedam admiratio esse potest, haud vero scandalum severiori sensu: adeo ut integritati Sacrificii praevalere non possit. At respondemus, Rubricam de vero scandalo verba facere, et ratio non est, cur pro simplici admiratione sit accipiendum a Theologo, ut sententiam suam defendat; hoc enim in casu utraque materia esset renovanda, cum admiratio verum non constituat scandalum. Gratis autem asseritur, idem scandalum ad murmur tantum mentisque a divinis avocationem reduci; aliud enim satisque gravius esse potest, uti si haeretici, vel pravi christiani Missae assisterent, occasionemque sumerent sacros cultus ministros insultandi, res divinas irridendi, simplices a fide avertendi etc.

Quod si in casu defectus panis, post sumptionem Sanguinis cogniti, de unius materiae tantum renovatione Rubrica silet, nil nostra refert, non enim legem iudicare intendimus. Ceterum ante Clementem Pontificem VIII siluit de unius materiae consecratione altera quoque Rubrica, defectum respiciens vini post sumptionem Corporis (1). Ex eo ergo quod hanc opi-

(1) Opinio de una tantum renovanda materia in casu, ratione scandali, a Soto (ex incuria typographica *Ephemerides* ad pag. 184 cit. volumin. posuere *Scotus*) primam originem habuit, uti refert Benedictus VIV (*De Sacrificio Missae, pars 4, n. CXXIV*), qui et illius verba refert uti sequitur: « His tamen non obstantibus, licet ubi homo privatim coram uno vel duobus celebrat, consultius sit opinionem S. Thomae servare, tamen ubi in publico et praesertim

nandi rationem praefatus Pontifex Rubricae adiecit, nil potest erui contra sententiam quam defendimus, quae eidem Rubricae nullo pacto contradicit, sed apprime inhaeret.

Ad 7. Respondemus, gratis asseri legem coexistentiae utriusque materiae super altare, esse mere ecclesiasticam (*V. Resp. ad num. 1, 2, et 3*), ac relative levem, ut scandalo vitando praeferri non debeat, et ab utriusque materiae renovatione dispenset. Dum e contra asseritur, utriusque materiae renovationem ex inversione ordinis consecrationis satis cohonestari. Etenim nova consecratio, tam panis post sumptum Sanguinem, quam vini post sumptionem Corporis, quando valida etiam materia iterum consecratur, fert semper gravissimum inconveniens, quod non solum in defectu ordinis consistit, sed maxime in unius consecrationis inutilitate. Inconveniens autem istud nonnisi permitti posse videtur, nisi in casu pariter vel gravissimo, quo Sacrificii integritas, vel certe vel satis dubie deficiat. Hinc auctores multi, qui validum Sacrificium iudicant, si in utroque praedicto casu una tantum, inepta scilicet, renovetur materia, etiam in utroque casu unam tantum renovandam esse materiam docent, seu quae inepta comperta fuit: hi profecto magis sibi cohaerent, quam doctissimus Theologus noster; et sunt,

---

coram aliquo magnate celebraretur, ad evitandum scandalum et turbationem populi, FORTE NON ESSET ABSURDUM, ut Sacerdos secreto fingens lotionem sumere, vinum tunc infunderet, et consecraret et sumeret; nam scandalum excusaret, praesertim cum iam facta fuerint signa super Hostiam, licet non legitime super calicem ». Post hanc sententiam, praefata additio ad Rubricam facta fuit; sed satis consideratione digna est se exprimendi ratio, *forte non esset absurdum* etc. quae dubietatem loquentis et casus gravitatem sufficienter innuit.

nisi mentiatur Quartus (*pars III, Sect. II, Dub. II, Comment, ad Rubr. Missal.*), Scotus, Aversa, Navarrus, aliique plures. A qua tamen sententia, aperte Rubricis opposita, nos omnino recedimus.

Ad 8. Dicimus, responsionem ad obiectionem gravissimam, quam sibi cl. Theologus solvendam proponit, parum vel nihil facere satis. Et sane, quonam intelligi sensu potest, consecrationem unam sive panis sive vini, quae per se actum completum constituit, in unum coalescere cum altera earumdem specierum consecratione? Completus actus est prima, completus actus est altera consecratio, et alter ab altero essentialiter distinctus, sive in seipso spectetur, sive ad materiam, sive ad tempus quod pertinet: quomodo ergo et quo sensu funditur, coniungitur, unus idemque fit cum alio posteriori? Plane inintilligibile est. Insuper non duarum sed trium vere habetur specierum consecratio, quarum una citra controversiam prorsus est inutilis, uti diximus. Quae praeterea duas, ex quibus Sacrificium constituitur, non vitiat quidem, sed ipsamet vitiata manet, quippe quae tamquam non esset, et mutilum dat Sacrificium, seu inceptum et non absolutum. Ad quod cohonestandum, sicut plurium rituum et caeremoniarum omissio non sufficit, ita nec ipsa ordinis in sacrificando inversio sufficere potest; quippe quae minus malum in se est, quam Sacrificium mutilum. Manet, ut et veri scandali ratio admittenda sit pro una tantum materia supplenda, et utraque materia renovanda in utroque exposito casu, ut certum habeatur Sacrificium integrum iuxta Rubricas.

Ad 9. Consectarium, quod ex praemissis infert cl. Theologus, libere negamus: haud profecto quia falsitate laborans, sed quia cum omni certitudine et securitate praedicatur. Admittendum id enim tamquam

opinionem, et quidem satis probabilem, non diffitemur; at veluti veritatem ac si nullis difficultatibus esset obnoxium, ab eadem veritate alienum est.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex N. Prov. Ianuensis.* **De praelatione in occurrentia octavarum SS. B. M. V. Rosarii et S. Michaelis.** Hic Festum SS. Rosarii recolitur sub ritu dupl. 1. cl. cum octava, sicut festum S. Michaelis Arch. Patroni: illud prima Dominica Octobris, istud vero festum die 29 Septembris. Quaeritur: Occurrentibus diebus infra utramque octavam, de quanam octava agendum est?

Resp. Notum apud liturgicos est principium, dignitatem alicuius octavae e dignitate festi arguendam; illa ergo octava est comparative dignior, cuius dignius est festum eamdem habens octavam. At in casu dignius est Patroni festum, quam SS. Rosarii; ergo de infra octavam S. Michaelis erit agendum. Opponi quidem potest Deiparae dignitas, sed in contrarium sequentia animadvertenda veniunt. Si primarii festi dignitatem praevalere admittas, licet intrinsece inferiorem, dignitati alterius festi secundarii, quamvis intrinsecae, Patroni festum praevalere festo SS. Rosarii, citra controversiam tibi concedendum est. Festum enim Patroni est secundi ordinis, et nonnisi solemnioribus festis cedit, quae pertinent ad universalem Ecclesiam. At inter haec non recensetur profecto festum SS. Rosarii, qua tale, est enim solummodo

duplex 2 cl. Quaestio ergo exoriri pro iis posset, qui praelationem primarii festi inferioris dignitatis intrinsecae reiiciunt, comparative ad festum secundarium dignitate intrinsece superius, ex cuius genere est SS. almae Virginis Rosarium. At hi quoque ultro concedunt, festa tria localia, inter quae recensetur festum Patroni loci, aliis omnibus praevalere, solemnioribus universalis Ecclesiae exceptis, cuiuscumque sint dignitatis. Admittunt enim tria praefata festa esse praeceptiva ex Rubricis, alia nonnisi ex indulto; at nemo dubitat illa esse istis praeferenda. Dicunt praeterea illa festa, saltem ex privilegio, nulli alii particulari festo cedere, etsi superioris dignitatis intrinsecae, sicut nulli alii festo cedunt inferioris ordinis, quamvis maioris excellentiae, festa solemniora universalis Ecclesiae. Ergo utcumque negotium consideres, Festum S. Michaelis Patroni, praevalet festo SS. Rosarii: consequenter, si de infra octavam sit faciendum, de S. Michaele fiet, et SS. Rosarium commemorabitur.

II. *Ex eodem loco.* **De Missa votiva festi simplicis occurrentis dum fit de infra octavam communem.** Die V Octobris potest ne cantari Missa votiva S. Placidi simplicis occurrentis, cum fiat officium semiduplex?

Resp. Iuxta principia, quae nobis omnino certa videntur, Missa S. Placidi, in casu, non est votiva, sed festiva; quamvis enim officio diei, quod est de infra octavam, non respondeat, est nihilominus Missa de die festo, quod occurrit. At cum officium potiori ritui respondere debeat, propter hoc non fit de S. Placido simplici, sed de infra octavam, quod est semiduplex. Nihilominus, cum Missae votivae indubie recitari possint in semiduplicibus, non videmus quare Missa S. Placidi tamquam de festo occurrenti a fortiori cantari, imo et recitari non possit. Etsi enim

dandum esset, eam inter votivas recensendam, uti talis et cantari et recitari certo potest, more tamen festivo. Ex his sequitur, huiusmodi Missam S. Placidi, quae indubie cantari potest, ferre hymnum angelicum ob festum occurrens, imo et symbolum ratione octavae, nec non utriusque octavae commemorationes.

Nota 1. Festum SS. Rosarii nullo iure Missam de requie praesente cadavere excludit, quamvis dup. 1. cl. cum feriationem adnexam non habeat et ex indulto tantum fiat.

Nota 2. Si in festo S. Caloceri, eius Missa celebretur in aliqua cappella illi dicata, quocumque loco haec sita sit, symbolum non est dicendum, nisi praefatus Sanctus sit Patronus praecipuus loci, intra cuius terminos eadem cappella erecta fuerit. De Herdt admittit, posse etiam addi symbolum unica de ratione concursus extraordinarii (*Prax. Liturg. p. 1, n. 90, 9°*).

III. *E Ragusa in Dalmatia.* **De Collecta pro gratiar. actione.** Si Episcopus Collectam aliquam praescribat, puta ad petendam serenitatem, tenetur ne post obtentam gratiam, Collectam quoque pro gratiarum actione praescribere?

Resp. De onere quid dicamus nescimus; nulla enim credimus positiva lege eiusmodi obligationem esse Episcopo impositam. Nihilominus lex alia est, quae ex recto sensu, gratoque animo exurgit, ob quam omnino convenit, nisi necessitas excuset, ut, gratia impetrata, communi bonorum omnium largitori referantur gratiae, atque eiusmodi Collectam Episcopus praescribat. Haec Urbis consuetudo, quae constanter fideliterque servatur.

Pro altero dubio, hoc satis superque sit responsum: Collectae imperatae, seu quoad qualitatem, seu

quoad durationem, a voluntate Episcopi unice dependent; ergo interrogetur, et omnis quaestio habebit finem.

IV. *Ex eodem loco.* Canonici apud nos Mozetae usu fruuntur: tenenturne eam super cottam semper in choro deferre?

Resp. Affirmative. 1.° Quia insignia canonicalia haud individuis a Sancta Sede conceduntur, qua talibus, sed Communitati, neque intuitu personarum, sed Ecclesiarum. 2.° Ratio concessionis est Ecclesiarum honor; ut enim cl. Gardellinius animadvertit (*In decr. Baren. 20 Apr. 1822, ad 1*), plurimum insignia conferunt ad conciliandam Ecclesiae venerationem, et sacris functionibus decus et ornamentum. Hinc cl. De Herdt ait: " Canonici officiis divinis in habitu chorali assistere tenentur. Nefas est enim sine proprii ordinis insignibus choro interesse, vel sacris ibidem officiis operari (*Prax. Cap. Pars 1, cap. VII, § 14, n. 1*). " Videri ad rem poterit Pallottini, quem praefatus De Herdt citat (*Verb.* Canonici, § *VII, n. 15*). Hinc S. R. C. (*Salten d. d. 2 Maji 1971 ad 1*) sine habitu chorali interesse choro quacumque de causa, declarat abusum eliminandum. Equidem casus est de Canonicis sine superpelliceo; sed debita cum proportione applicari quoque eadem dispositio potest ad defectum Mozetae; nam et haec ad habitum choralem pertinet, quatenus ornamentum.

V. *Ex Austria.* **De Missa et officio exequiali pro pluribus defunctis eodem die concinendis.** Quando plures defuncti eodem die in eamdem Ecclesiam deferuntur, possunt ne cantari tot Missae et Officia, quot sunt defuncti?

Resp. Affirmative. Nescimus quid locum det dubitandi vel dare possit. Nam ex innumeris S. R. C. de-

cretis constat, quemlibet defunctum in die obitus seu depositionis, ad unam Missam exequialem cantatam ius habere. Quando plures ergo una die sint defuncti, plures Missae pluraque Officia celebranda sunt.

Adde quod Rituale saepius monet, imo praescribit: " Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur. Missa..... praesente corpore non omittatur ". Licet igitur daretur ratio omittendi Officium, non propterea Missa praetermittenda foret; et quotiescumque utrumque fieri nequit, Missa citra dubium praeferenda est. Rituale tamen has limitationes ponit: 1.° si hora congruens fuerit; 2.° nisi obstet magna diei solemnitas, ecc. 3.° dum tamen conventualis et Officia divina non impediantur.

VI. *Ex eodem loco.* **De viatico accipiendo in altari, ubi eo tempore celebratur**. Quomodo se gerere debet Sacerdos celebrans in altari ubi SS. Sacramentum in Tabernaculo asservatur, quando alius Sacerdos accipit viaticum? Et quomodo hoc casu populus se gerere debet?

Resp. Cum de casu fere extremae necessitatis agatur, et cum nihil reperire hac de re potuerimus seu in Rubricis, seu in Rituali, auctoresque omnes, quos consuluimus, hoc super negotio sileant, responderi posse censemus sequenti ratione: 1.° Celebrans oportet hoc in casu, ut se gerat prout ei rectus communisque sensus liturgicus dictat. Scilicet manibus iunctis ad cornu Evangelii aliquantum se retrahet, facie versus crucem et capite devote inclinatis, usque dum alius Sacerdos proficiscatur. 2.° Populus vel audit Sacrum in die festo, et tunc in Ecclesia permanere debet; vel audit Sacrum in die feriali, et tunc una pars comitari

SS. Sacramentum poterit. Sicque et Missae quae dicitur, et decori Sacramenti deferendi optime consulitur.

VII. *Ex eodem loco.* **De extrema unctione in casu necessitatis ministranda.** Quando extrema unctio administranda est aegrotis in Ecclesia, vel vehiculo positis, omittenda ne est aspersio aquae, et tres subsequentes orationes, nempe *Introeat, Oremus et deprecemur*, et *Exaudi nos?*

Resp. Vix intelligimus quomodo et quando hic casus dari possit, nisi Rev. Inquirens, de aliquo casu extremae necessitatis, ut in dubio addidimus, loqui velit; sed tunc omnis cessat quaestio et dubium. Nam ab ipso Rituali hoc in casu provisum est hisce verbis (*Titulo V, cap. 2, n. 6*): "Quae orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti „. Quod si tempus suppetat, omnino supplendae sunt orationes omissae; nam, ut docet S. Doctor Alphonsus, orationes in Rituali praescriptas pro administratione extremae unctionis, extra casum necessitatis omittere mortale est. Quapropter etiamsi infirmus in Ecclesia vel vehiculo hoc Sacramentum suscipiat, et quamquam Orationum verba quoad sensum adamussim non comprobentur, nihilominus ex superius allata ratione nullo pacto omittendae sunt. Nam sensus verborum non nimis urgendus est, et sicut tempore pestis, vel alterius contagiosi morbi, ut ait doctissimus De Herdt, hic sensus negligi potest, cum praedictae orationes, quando grave subsit periculum, recitari alibi possint, v. g. in Ecclesia; sic etiam hoc in casu, etsi sensus, ut diximus, perfecte non comprobetur, omitti nihilominus haud possunt (*Prax Liturg. pars 6. n. 207, I*).

Verba enim orationum, *domus, habitaculum* ecc. accipiuntur lato sensu pro quocumque loco seu receptaculo, in quo infirmus iacet. Quoad vero aquae asper-

sionem, cum ipsa sub gravi praecepto non cadat, aliquo casu eam omitti posse censemus; sed in casu vehiculi, de quo nobis sermo, si tempus suppetat, rationem non videmus, ob quam omitti debeat, quia, ut diximus, *domus, habitaculum,* ecc., latu sensu accipi impune possunt. Ad Ecclesiam quod spectat vero, salvo meliori iudicio, aspersionem credimus omittendam, cum fini, quem Ritualis Rubrica intendit, respondere ea non posse videatur.

VIII. *Ex Thera in Graecia.* **De quibusdam honoris signis in morte acatholicorum principum.** In morte cuiusdam Principissae, acatholici regis filiae, varia inter catholicos Praelatos dubia exorta sunt. Nam aliqui sonitum campanarum mandaverunt, et alii prohibuerunt; et quidam alii e contra haud solum campanarum sonitum permiserunt, sed et religiosas exequias pro Principissae anima peregerunt. Quid dicendum?

Resp. Quoad campanarum sonitum distinguendum est: vel campanae benedictae sunt vel non. Si primum, certum est campanae *per se* pulsari non posse ob finem profanum; nam ut bene ratiocinatur De Herdt (*in Parte V, vol. 3, n. 140-9°*), " rebus benedictis uti non licet nisi in ordine ad finem, ad quem sunt benedictae: qui finis in benedictione campanarum est tantum in ordine ad functiones spirituales et ecclesiasticas „. Diximus *per se,* nam " de consensu Episcopi campanae benedictae pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causae sanguinis, et praesertim si communitatis expensis constructae fuerint, quamtunvis tale ius non sibi reservasset *Decret. S. C. Ep. et Reg. 31 Ianuar. 1589*) „. Quapropter cum pulsatio campanarum in casu, nonnisi luctus et doloris esset signum, et nullo modo ad ecclesiasticam aliquam functionem ordinata esset; dicendum est campanas

per se haud pulsari posse; sed cum ipsi Episcopi campanas pulsare iniunxerunt, ex iure positivo rite id factum esse, censendum est. Si vero campanae benedictione minime gaudent, tunc ad usus profanos, ut *per se* patet, pulsari posse nil vetat.

Quoad religiosas exequias uno verbo respondemus: Exequiae, cum pro iis tantum institutae fuerint, qui Ecclesiae sunt filii, et iis tantum iuvare possint (Quid ad nos de iis, qui foris sunt?), patet dictae principissae fieri minime potuisse.

Sed operae pretium est hoc super gravissimo negotio partem Brevis Gregorii XVI fel. record. d. d. 9 Iul. 1842 ad Rupert. Feiss. Praesidem Monachorum de Scheyerndati referre:.... " Litteras accepimus quibus..... significas, carissimum in Christo filium nostrum Bavariae regem in restituendo vobis coenobio, eam apposuisse conditionem, ut monachi in sua Ecclesia funus celebrare teneantur pro rege...... itemque pro regina coniuge..... Addis autem, te quidem, dilecte fili, iam tum praesensisse difficultatem ex eo facile obventuram, quod serenissima regis uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cuiusdam prudentis, ut putabas, viri consilio induxisse animum, ut conditionem illam acciperes ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium Missae in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim. Verum cum nuper in morte acatholicae item mulieris serenissimae reginae viduae non leves circa eius funus toto regno dissensiones extiterint, etc. .... Nos igitur sanctissimae insistentes Ecclesiae regulis respondemus, intentionem illam offerendi ...... Sacrificium, seu alias preces .... haudquaquam satis esse ad cohonestandum, publici funeris causa, quod

pro acatholica persona nominatim postulatum est, et in eius obitus aut annua die celebratur: ...... Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni, quae in catholica ipsa doctrina innititur de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando .... „

IX. *Ex eodem loco.* **De aspersorio in Pontificalibus.** A quo aspersorium Episcopo pontificanti porrigendum est? A digniore ex Canonicis Episcopum comitantibus, an a digniore Ecclesiae in qua pontificalia peraguntur?

Resp. Principium est in sacra Liturgia receptum et ab innumeris S. R. C. decretis approbatum: ad digniorem Ecclesiae, in qua Pontificalia celebrantur, pertinere aspersorium Episcopo, in ingressu eiusdem Ecclesiae porrigere. Et quamquam aliqua decreta contrarium videantur statuere, particularia sunt, et pro specialibus rerum adiunctis et circumstantiis data. Inconcussum quapropter manet principium superius enunciatum.

X. *E Dioecesi Montis Politiani.* **De sacris functionibus in minoribus Ecclesiis Maiori in Hebdomada peragendis.** Liber cui titulus — *Memoriale Rituum* — Benedicti XIII iussu editus praescribit, minoribus in Ecclesiis etiam sacras functiones, quae ex Ecclesiae instituto ad recolendam memoriam Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. I. Christi in Maiori Hebdomada peragi debent, faciendas esse, sed tribus saltem cum clericis ministrantibus. Possunt ne loco clericorum adhiberi duo adolescentuli superpelliceo et nigri coloris veste induti, et tertius alba cappa indutus?

Praemittimus pro rei veritate et maiori rerum dicendarum perspicuitae, *Memoriale Rituum* haud quidem praescribere Maioris Hebdomadae functiones minoribus Ecclesiis, sed tantum indulgere, et quidem post

petitam quotannis veniam, ritusque describere adhibendos si illae celebrentur.

Resp. Affirmative: rite, ex clericorum stricte dictorum defectu, adhiberi valent tres vel quatuor adolescentuli superpelliceo et nigra veste induti; nam nomen *Clericus* non ita urgendum est, ut clericali militia initiatis aut in Minoribus constitutis solummodo conveniat, sed sensu latiori et valde amplo accipiendum est; eo sensu et latitudine, quam communis fert consuetudo, intelligendo scilicet pro clerico, quemvis Ecclesiae inservientem superpelliceo et talari veste indutum. Et hoc sensu absque dubio, nomen Clerici a *Memoriale Rituum* adhibitum, intelligi debet. Et sane *Memoriale Rituum* pro paroeciis praesertim ruralibus editum fuit. Sed quomodo, si hoc clerici nomine intelligeret stricte dictos, loqui de tribus vel quatuor clericis valeret, in locis, ubi ad summum unus, ut non dicam nullum, inveniri posset?

Quapropter rite, ut diximus, Maioris Hebdomadae functiones tribus cum adolescentibus, qui ratione conformitatis et convenientiae melius, imo et conformius communi usui, induti sint superpelliceo et veste nigri coloris, peragi queunt. Sed " Parocho tamen curae erit (ut verba moniti Editioni *Manualis Rituum* anni 1725 praemissi usurpemus), designatos clericos, quasi manuducens, praecedenter in actionibus peragendis instruere, ut in eisdem attente et expedite se gerant, neque oscitanter, quo se vertant nesciant ".

Et quod revera ita sit, audiatur cl. De Herdt, sic ratiocinationem nostram confirmans: " Rubricae Missalis, Caeremonialis, et *Memorialis* ministros quidem vocant acolythos et clericos, sed sicut ex communi usu laici in missa officioque solemni munere acolythorum fungi solent; ita eadem ratione ministri laici

haec officia clericorum supplere posse videntur. Quod si ita non esset, officium Hebdomadae Sanctae in plerisque ecclesiis parochialibus, ob defectum clericorum, cum magno fidelium detrimento, in his locis praetermittendum foret (*Pars V, n. 35*). „

XI. *E Monte Cassino.* **De precibus in fine Missae Ordinationis utrum dicendae.** In fine Missae Ordinationis suntne dicendae preces a SS. Dño. N. Leone Papa XIII praescriptae?

Resp. Negative. Dicta Missa, quamquam lecta, velut solemnis habenda est, et aequiparari Conventuali certo potest; imo et quandoque est ipsa Conventualis. Hinc in una Ordinis Capuccinorum (*Decr. istud adhuc est ineditum*) sequenti dubio: “ Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad collectas, sive quoad *preces in fine Missae ex mandato SS. D. N. Leonis Papae XIII recitandas*... „ S. R. C. respondit: “ affirmative „. Ergo in fine Missae Ordinationis, quae Conventuali aequiparatur, et saepe est vere Conventualis, quamquam lectae, dictae preces omittendae sunt.

XII. *Ex Augusta Praetoria.* **De decretis particularibus.** Decreta a claris. Alphonso Proto, in suo Commentario ad Caeremon. Episc. Ratisbon. 1875 et in altero ad Pontif. Rom. 1882, collecta, generalia ne omnia evaserunt, licet multa et pleraque ab initio particularia fuerint?

Resp. Negative. Nescimus quo pacto fieri possit, ut particulare evadat generale; nam ex natura sua et ex sua notione, generale sat magis est quam particulare. Et Proto, quamquam clarissimus, efficere profecto non valet, ut quod aliquibus tantum datum est, omnibus indiscriminatim datum censeri possit aut debeat, cum ad competens tribunal legiferum hoc

unice spectet. Itaque Commentaria omnia, quae vel facta sunt, vel fieri possunt ad codices quoscumque Liturgicos, legem exponunt quidem, sed in suo esse relinquunt: proinde ex expositione nulla legum mutatio oriri potest. Qualia ergo decreta sunt in Collectione authentica, talia, nec plus nec minus, remanent inserta in Commentario cl. Proti.

XII. *E civitate N.* **De Missa votiva de Transfiguratione Domini.** Quaeritur utrum Missa de Transfiguratione Domini, celebrari votiva queat?

Resp. Negative, cum de Mysteriis seu Domini seu Deiparae Missa votiva sit prohibita, iis exceptis, quae peculiariter indulgentur, inter quas praefata Missa non recensetur. Ratio optima est, quam affert cl. De Herdt, quod nempe ritus et veritas verborum servari nequeant (*pars 1, n. 36*). Quod ceterum ex pluribus decretis eiusmodi Missas aperte prohibentibus indubie constat. Hinc patet inutilitas responsi ad alterum quaesitum.

XIII. *Ex Ostuno.* **De modo deponendi cadaveris Episcopi in Ecclesia pro exequiis.** E Pontificali Romano haud perspicue constat e quanam parte situm esse debeat caput cadaveris Episcopi. Quaeritur ergo, an versus altare maius, an versus Ecclesiae ianuam?

Resp. Verum est, Pontificale in Officio solemni pro defuncto Episcopo proprio, ad rem nonnisi *caput loci* nominare, ubi sistere debent Celebrans, thuriferarius cum acolytho etc. et *pedes loci,* ubi manere debent Subdiaconus, acolythi etc. Ubi ergo *caput loci,* ubi *pedes,* an altare, an ianuam respicere debeant, vix constare videtur ex Pontificali. At non unicus est pro Episcopalibus functionibus liturgicis codex, Pontificale Romanum, est et Caeremoniale, quod et a Pontificali supponitur; immo est et Rituale, ad quod in casu

ipsum Caeremoniale remittit. Episcopus enim Sacerdos est, immo summus Sacerdos, utpote sacerdotii plenitudine insignitus. Collatis itaque Rubricis Pontificalis, Caeremonialis et Ritualis Romani, certo patet caput defuncti Episcopi, sicut cuiuscumque alterius Sacerdotis, debere esse situm versus altare, consequenter versus portam Ecclesiae pedes. Immo, re attente perpensa, arbitramur et ipsum Caeremoniale sicut et Pontificale perspicue idipsum innuere; pro *capite* enim *loci* partem Ecclesiae quae altare respicit, et pro *loci pedibus* nonnisi alteram Ecclesiae partem intelligi posse credimus, quae respicit ianuam. Iam nunc ubi ponendum caput defuncti Sacerdotis atque Episcopi nisi ad caput loci? Ubi eius pedes nisi ad pedes loci? Ita quidem rectus sensus dictat, ita Liturgici omnes explicant, ita Rituale aperte docet, ita communiter agitur: adeo ut Pontificale et Caeremoniale pro capite defuncti, caput loci habeant, pedes vero loci pro defuncti pedibus, ut naturale est; quia loci caput caputque defuncti, loci pedes pedesque defuncti quodammodo correlativa sunt.

XIV. *E Gallia.* **De insignibus canonicalibus a quo concedendis.** Episcopis ius ne inest Insignia canonicalia concedendi?

Resp. Pro instituto nostro ius tantum respicimus, a factis abstrahere compulsi: sive quia facta, ex privilegio possunt explicari, sive quia, utcumque res se habeat, factum non probat ius. Re sic perpensa, ad propositum dubium respondemus: Negative. Eiusmodi enim canonicalia Insignia, seu maiora seu minora, sine fine decretis prohibetur, ut concedant Episcopi Presbyteris, sive uti Collegio, sive etiam singulatim sumptis. Quinimo Decretum *Asculana et Çerinolien.* diserte statuit hanc potestatem privativo iure reservari Apo-

stolicae Sedi; et si eadem Insignia fuerint cuicumque a Reverendissimis Ordinariis collata; debent statim deponi (*6 Maii, 1872*) „. Quod Decretum aliaque plura antiquiora per aliud recentius ceteris iterum invocatur a S. R. C. mandatque servari (*Iacen. 4 Sept. 1875*).

XV. *Ex Missionibus exteris.* **De Titulo celebrando Ecclesiae cuiusdam cathedralis, cui vix clerus adscriptus est.** Extat hic dioecesis B. per Bullam Apostolicam erecta, quae nec habet, nec ad novum usque ordinem habebit Episcopum. Episcopus N. alterius dioecesis Ordinarius, tamquam illius administrator constitutus est, omniaque iura sive ordinaria, sive extraordinaria in illa dioecesi exercet, ac in sua. Dioecesis B. cathedralem possidet Ecclesiam, ligneam tamen et benedictam tantum, cui nullus adscriptus est clerus, et est Titulus S. Carolus Borromaeus. Episcopus N. in utramque dioecesim mittit mutatque pro prudentia Presbyteros, ac si non duae, sed una esset. Quaeritur: Tenetur ne Episcopus N. sicut et clerus in dioecesi B. degens, recolere S. Carolum uti titulum cathedralis Ecclesiae? Et si affirmative, sub quo ritu?

Resp. Arbitramur dubitari non posse, dioecesim B. quam Episcopus N. administrat, et alteram, cuius idem Episcopus est Ordinarius, haud unam esse, sed vero et severiori sensu duas, distinctasque dioeceses. Etenim citra quaestionem constat ex dubii expositione, dioecesim B. esse vere erectam per Apostolicam Bullam, consequenter ab aliis distinctam. Quod si impraesenti, imo et ad novum ordinem usque, Episcopum Ordinarium non habet, illi tamen non deest administrator, cum quo plures semper extiterunt et extant, ad tempus licet, dioeceses. Neque obstat cleri defectus, cui tenetur meliori qua potest ratione, supplere Epi-

scopus administrator. Ceterum haec omnia dioecesim non constituunt, quippe quae pro praesenti disciplina, regio essentialiter est, sub Episcopi iurisdictione constituta. Hoc autem satis ex dubii expositione evincitur, apprime in dioecesi B. comprobari.

Quo posito, facile est inferre, Titulum cathedralis Ecclesiae sine cultu liturgico, etiam in casu, manere non posse; nam sine fine decreta illum statuunt, exigunt, et declarant. Neque ullo modo obstare potest qualitas Ecclesiae, ex ligno tantum constructae et solum benedictae; sive quia in exteris regionibus necessitas excusat, sive quia nulla lex prohibet Titulum cathedralis Ecclesiae ligneae esse celebrandum, sive denique, quia Ecclesiae benedictio sufficit, ut eius Titulus liturgico cultu recolatur, quin requiratur consecratio.

Haec quidem certa nobis videntur; at per quosnam Titulus iste recoli cultu liturgico debebit? Hic opus, hic labor. Clerus enim alterius dioecesis in dioecesim B. mittitur et mutatur pro lubito ab administratore, ut eidem adscriptus satis difficulter probari queat: hoc autem supposito ad Titulum cathedralis Ecclesiae non tenetur, videtur imo nec illum celebrare posse. Quin imo ad alteram dioecesim procul dubio clerus idem pertinet, proindeque videtur ad alium Titulum celebrandum certe teneri. Episcopus N. dioecesim B. administrat; sed simplex dioecesis administratio plura non supponit iura in administratore, uti praeminentias illas et praerogativas, quibus fruuntur Episcopi in propria dioecesi (*Sarsinaten. 22 Aug. 1722*). Nonne his iuribus, quibus non gaudet, onera videntur respondere, quibus non subiacet? Quid itaque? Ancipites haeremus, et quod magis recto sensui nobis apparet consonum concludemus. 1. Episcopus N. licet admi-

nistrator, omnia iura ordinaria, ut in dubio exponitur, exercet, atque extraordinaria, ac in sua. Ergo nominaliter quidem dioecesis B. administrator est tantum, sed realiter velut Episcopus ordinarius, pro tempore saltem, considerandus est. Cum ergo ius et obligatio sint correlativa, eius iuribus respondebunt et onera, inter quae illud de quo agitur, seu celebratio Tituli cathedralis Ecclesiae dioecesis B. quae ad ipsum sub omni respectu pertinet. Idque eo magis, quod etsi utraque dioecesis supponeretur unita, duae nihilominus essent Ecclesiae cathedrales distinctae, et utriusque Titulus ab Episcopo recolendus foret (*Collen. 5 Iul. 1698 ad 6*).

Ad clerum quod attinet, animadvertimus, illum in dioecesi B. morari, munera, ut supponendum est, in Ecclesiis et cathedrali maxime obire, uti administrationem Sacramentorum, verbi Dei praedicationem, Missarum solemnia etc. verbo, officia quasi parochialia, tamquam vicarios ab Episcopo, licet pro tempore deputatos gerere. At id sufficit, ut eiusmodi clerus ad Titulum cathedralis Ecclesiae obligetur, sicut ex variis decretis erui potest, et ex auctoribus, uti A. Carpo, De Herdt et aliis.

Ad ritum quod spectat, nulla est difficultas: Episcopus et clerus deputatus ad inserviendum cathedrali Ecclesiae ritum servabunt duplicem 1. cl. cum octava: qui idem, post decretum NORTINGHAMEN. d. d. 17 Mart. 1859 in tota dioecesi pariter servabitur, Regularibus exceptis, qui ab octava dispensantur, non tamen ab eodem ritu. Ita salvo meliori iudicio.

Nota. Ad primi ex Dubiis solutionem, in ultimo, seu secundo *Ephemeridum* numero exhibitam, adde, ex animadversione unius ex Revmis Caeremoniarum Apostolicarum magistris nobis comiter facta, non solum

ex laudabili consuetudine Romae thus adhiberi altari Sacramenti in Vesperis Pontificalibus, sed etiam vi decretorum. Decreta enim hanc thurificationem prohibentia in Pontificalibus Vesperis, intelligenda sunt de Vesperis Episcopi in propria dioecesi, in quibus ritus thurificandi altare Sacramenti omittendus. In Urbe vero, ut plurimum, ratione Pontificis, Vesperae Pontificales ad faldistorium celebrantur, in quibus altare Sacramenti proinde iure thurificatur. Quod si quandoque Emi Purpurati eas celebrant, cum throno utantur aliisque solemnitatibus, quibus Episcopus in sua dioecesi, revera iuxta decreta thurificatio omittitur.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MARTIO MDCCCXCII

Ecclesia *B.* pro titulari habet Ss. Innocentes et Ecclesia *C.* insignem eorum Reliquiam servat. Quaeritur utrum alterutra de caussa adhiberi possit in eorumdem festo color rubeus in Missa, et Hymnus Angelicus recitari.

SOLUTIO.

N. B. Solutionem propositae quaestionis ad nos dederunt cl. Academici N. Bossi, A. Fourneret, et Felix Ravanat: qui ultimus in Liturgica nostra Academia Pro-Secretarii munere fungitur. Duo primi perfecte inter se conveniunt in sententia affirmativa pro prima parte, seu pro colore rubeo, et in negativa pro altera, seu pro Hymno angelico. Tertius vero negativam tuetur pro utraque parte sententiam: inde patet rem esse dubiam. Momenta quae affirmativae sententiae favent sunt, ex extrinseco, auctoritas Gavanti, alio-

rumque plurium post eum Liturgicorum, ab intrinseco vero consistunt in quibusdam congruentiis, ut mox videbitur. Cum autem et intrinseca et extrinseca, quae favent, referantur in solutione ultimi, quamvis ut refellantur; hinc opportunum iudicatum est, hanc prae aliis vulgare, cum cetero ad alteram quod spectat, tres omnes idem iisdemque momentis freti sentiant.

Dubium quod *Ephemerides* consociatorum studio proposuerunt, non est prorsus novum, sed tamen nullum decretum a S. R. Congregatione unquam emanatum fuit ad illud authentice solvendum.

Ut argumentum cum maiori claritate evolvamus, convenientius videtur illud dividere in duas partes, quarum in prima de casu Ecclesiae *B.*, in secunda vero de casu Ecclesiae *C.* tractabitur.

Sit igitur primo de casu quo Ecclesia aliqua pro titulari habet Ss. Innocentes. Hunc casum iam sibi solvendum proposuit cl. Gavantus in suo Commentario in Rubricas Breviarii, Sect. VI, Cap. VI, n. 7... et respondit, quod si Titulus Ecclesiae sit Innocentium, color rubeus potest adhiberi. Cl. Gavanto consonant Merati, Bauldry, (*pars IV, c. 2*), Halden (*pars II, tit. 12, n. 28*), Colti (*Dict. Ss. Rit.*), inter veteres, Falise (*Cérémonial Romain, 5e édit. p. 55*), De Herdt (*Praxis Caerem. pars V, n. 9*) inter recentiores (1).

Sed contra est Rubrica Missalis Romani.

Rubricae generales Missalis (*Tit. XVIII, De coloribus paramentorum*) aiunt: « Rubeo colore utitur... in festis Martyrum, excepto festo Ss. Innocentium quando non venerit in Dominica; si autem in Dominica venerit, utitur rubeo; in eius vero die octava semper utitur rubeo quocumque die occurrat. Violaceo colore utitur... in festo Ss. Innocentium quando non venerit in Dominica ». Et hoc quoad colorem. Nunc vero quoad recitationem Hymni Angelici, in Rubrica particulari, post introitum Missae Ss. Innocentium posita, sic legitur: « Non dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Ite, Missa est*, nisi hoc festum venerit in Dominica. » Quae Rubrica, generali consonat: « *Gloria in excelsis* dicitur, quandocumque in Matutino dictus est *Te Deum* » nam hymnus ille « di-

(1) His addendum, iuxta alias Academicorum solutiones, Guyetus qui Gavanti, quem tamen sequitur, rationem non approbat: Cavalerius, eadem ac Gavanti ratione motus; Bouvry, A Carpo, Lerosey, Maugère et alii fortasse, nil tamen afferentes novi.

(*Redactio*).

citur in omnibus festis, excepto festo Ss. Innocentium, nisi venerit in Dominica (*Rubr. Gen. Brev., Tit. XXXI*) ».

His Rubricis praemissis, sic arguo:

Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Atqui Rubricae non distinguunt inter casum in quo Innocentes sunt titularis Ecccesiae, et casum in quo titularis non sunt. Ergo nec nos hanc distinctionem facere debemus.

Fateor quod primo intuitu non parum me movet consensus tot Liturgistarum, qui contrariam sententiam amplectuntur, sententiam nempe cuius patronus est cl. Gavantus. Attamen omnes vel quasi omnes Auctores, quorum superius nomina referuntur, hanc sententiam propugnant sola auctoritate Gavanti innixi, unde auctoritas illorum ad auctoritatem Gavanti reducenda est. Gavanti auctoritas utique magna est, nam ille S. R. Congregationis consultor erat, et eius *Thesaurus* examini rigidiori trium Cardinalium subiectum fuit; sed tamen quantacumque sit eius auctoritas, interpretatio quam Rubricarum tradit, non est interpretatio *authentica* sed *doctrinalis*, et ab omnibus receptum est interpretationem huiusmodi tantum valere, quantum rationes vel argumenta quae ad eam tuendam proferuntur.

Hoc enunciato principio, iam praestat inspicere quibusnam argumentis Gavantus opinionem suam probet. Illum ipsum audiamus: « In festo Ss. Innocentium non dicitur *Te Deum*, quod laetitiam sonat, quia descenderunt in Limbum, ait Microl. cap. 36; sed non placet, quia Ioannes Baptista item descendit in Limbum, in cuius tamen Decollatione dicitur *Te Deum:* potius ob lacrymas matrum, ait Amalarius lib. I, cap. 41. In Dominica vero et in die octava dicitur, quia in Dominica laetitia resurrectionis Domini excellit super omnem lacrymam, et dies octava beatitudinem significat.... Si Titulus Ecclesiae (non altaris maioris) fuerit Innocentium, erit consequenter primae classis, et eo casu non negarem posse dici *Te Deum* in Officio, et concederem rubeum colorem cum suis consequentiis in Missa; quia si haec conceduntur ratione Dominicae, in qua non est dolendum, cur dolemus in festo Titularis Ecclesiae solemni? eo prorsus modo quo conceditur in Missa *Credo* S. Ioanni Baptistae, si in Dominica venerit, et quando celebratur in propria Ecclesia (*Thesaurus in Rubr. Brev., Sect. VI, cap. VI*) ».

Unicum ergo argumentum quod tradit Gavantus, illud est: adhiberi potest color rubeus, quia in festo Sancti titularis dolendum non est. Quod festum Sancti titularis gaudii caussa sit, li-

benter concedam. In festo titularis fideles gaudere debent; utique. Sed quomodo gaudere debent? eo modo quo vult Ecclesia, eo modo qui ex natura Festi defluit. Si ergo ex natura sua, vel potius ex indole quam nunc in Liturgia praesefert, festum Ss. Innocentium aliquid lugubre, aliquid moestum habet, cur debemus nos, ob specialem motivum devotionis erga istos Sanctos, ab hac indole prorsus praescindere? Ss. Innocentes sunt titulus Ecclesiae nostrae, ergo debemus illorum festum maxima cum solemnitate celebrare, sed omnino servare debemus ritum, quem pro hac festivitate Ecclesia praescripsit, et eius natura requirit; et sicut debemus magis de istorum puerorum triumpho gaudere, sic et debemus magis de illorum impia et crudeli strage dolere, et illorum matrum dolori nos associare. Adde quod si antiquitatis monumenta perscrutamur, videmus quod color violaceus proprie adhibitus est in illo Festo ad indicandam laetitiam quadam tristitia temperatam, ut inferius dicam.

Sed, inquit Gavantus, si Dominica venerit Festum Ss. Innocentium, rubeus color adhibetur, ergo a pari et in casu nostro. Sed paritas non existit, nam praeter quod in materia Rubricae, idest legis, versamur, qua in materia iam non quod convenienter praescribi potuisset, sed quod de facto praescriptum fuit, inspicere debemus, ratio quam affert Gavantus pro exceptione Dominicae, casui nostro nullo modo applicari potest. Ratio enim quam affert Gavantus, est gaudium Resurrectionis, cuius memoria, speciali modo die Dominica recolitur; tunc enim ad recolendum magnum illud mysterium Ecclesia aliquantisper recedit ab illo luctu, qui diei Innocentium convenit; tunc non amplius cantatur *Gloria in excelsis* propter solemnitatem festi Ss. Innocentium, sed propter magnam gloriam illius Dei qui a mortuis resurrexit, et cuius gloria ab angelis celebrata fuit et hominibus praenunciata.

Gavantus deinde sententiam suam confirmare conatur ex hoc, quod si festum S. Ioannis Baptistae sit titulus Ecclesiae, canitur *Credo* aeque ac si in Dominica venerit, sed hoc nihil mihi probare videtur, quia nimis probat. Etenim *Credo* praescribitur Rubrica etiam in casu quod sit aliqua reliquia insignis; sed Liturgistae communiter docent quod propter Reliquiam insignem non debet cantari *Gloria in excelsis* in festo Ss. Innocentium.

Et hoc de argumentorum Gavanti valore, nunc vero de eius opinione. Si illam intimius perscrutemur, videbimus illum non docere colorem rubeum cum suis consequentiis in casu proposito *ad-*

hibendum esse, sed solum *adhiberi posse*, immo nec dicit absolute: *adhiberi potest*, sed tantum: *non negarem adhiberi posse, et concederem adhiberi posse*. Ille videtur hanc opinionem tradere tamquam non improbabilem.

His dictis de argumentis sententiae quam defendo contrariis, antequam ad conclusionem veniam, aliquid breviter dicere iuvat de antiquitate illius ritus celebrandi Ss. Innocentium festum. Quidquid sit de remotioribus temporibus, in quibus, si Amalario fidem praestemus, nihil lugubre habuit hoc officium, certum est quod medio aevo magna aderat diversitas in variis Ecclesiis in hoc celebrando festo. Dum enim legitur in Ordinario Cassinensi (Cfr. *Martène*): « Ad Missam Diaconus et Subdiaconus in planetis nigris procedant, et nec *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Credo* dicatur, excepto si Dominica venerit », Uldaricus, abbas Cluniacensis (*lib. I, cap. 47*) scripsit: « In Natali Innocentium quod aliae Ecclesiae non cantent *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, hoc minime curatur a nobis ». Ecclesia Romana mediam tenebat viam inter gaudium absolutum absolutumque luctum; dum enim tempore Innocentii III, diebus Adventus et Quadragesimae nigro utebatur colore, in festo Ss. Innocentium violacea indumenta adhibebat. Et notandum est quod tunc bis in anno tantum colore violaceo utebatur, in Dominica scilicet *Laetare*, et in festo Ss. Innocentium. Sicut Officium Dominicae *Laetare* praesefert quamdam laetitiam ob futurum Paschae festum, moestitia Quadragesimae temperatam, sic festum Ss. Innocentium redolet laetitia, qua exultat sancta mater Ecelesia super natalem Ss. Puerorum, temperatam dolore matrum Bethlehem, quae plorabant super filios suos et consolari nolebant, quia amplius non erant.

Quando vero, idest saeculo XIII, in Ecclesia Romana usus invaluit paramenta violacea pro nigris adhibendi diebus Quadragesimae et Adventus, ut patet ex Durando (*Rationale*), tunc nulla amplius distinctio extitit inter colorem dierum supradictorum et colorem festi Ss. Innocentium, et deinde Rubricae Missalis hunc usum admiserunt et posteritati transmiserunt.

His omnibus praehabitis, status quaestionis ad hoc reducitur: Ex una parte est Rubrica, codex authenticus legum liturgicarum, quae docet *colorem violaceum adhiberi debere* cum suis consequentiis *in festo Ss. Innocentium, excepto casu* quo in Dominicam inciderit. — Ex altera parte est Gavantus qui dicit: « Concederem

colorem rubeum adhiberi posse, etiam in casu quo Ss. Innocentes sint titulus Ecclesiae.

Mihi vero concludendum videtur, quod in casu quo Ss. Innocentes sunt titulares Ecclesiae, color rubeus adhiberi non potest. sed color violaceus iuxta legem generalem Rubricae.

Et probo. — Rubricae Missalis et Breviarii dum excipiunt casum, quo festum Ss. Innocentium incidit in Dominicam, casum nostrum non excipiunt. Ex eo vero quod exceptionem admittunt pro Dominica, nobis non licet concludere alias exceptiones a pari introduci posse. Immo exceptio pro Dominica facta indicat, quod Rubricae nullam aliam admittunt exceptionem, et firmiorem facit regulam generalem, iuxta illud axioma interpretationis: « Exceptio firmat regulam pro casibus non exceptis ».

Confirmatur ex eo quod:

1.° Color violaceus antiquitus in Ecclesia Romana reservatus erat solis diebus, quorum unus erat Innocentium dies, et propterea maxima cum veneratione hic ritus servandus est, tamquam venerandae antiquitatis memoria.

2.° Eadem ratio congruentiae, quae pro colore violaceo militat quando Innocentes non sunt titularis Ecclesiae, militat et in casu quo Innocentium est titulus Ecclesiae.

3.° Auctores non desunt qui exceptionem a Gavanto introductam non referunt. Piscara Castaldus, auctor non infimae notae, haec habet: « In Officio omittitur Hymnus *Te Deum*, in Missa non dicitur *Gloria in excelsis*, neque *Alleluia* post Graduale, neque *Ite Missa est* in fine, Altaris ac Celebrantium paramenta sunt violacea. In propria Ecclesia celebrabitur, ut supra dictum est, de festo S. Ioannis *(idest)* cum commemoratione Nativitatis Domini ». Nihil de colore dicit, ergo iuxta illum color mutandus non est, nam aliter loquens de casu, quo festum Ss. Innocentium celebratur in propria Ecclesia, de huiusmodi mutatione locutus esset.

4.° Ut supra observatum fuit, nec Gavantus videtur omnino absoluto modo suam sententiam proponere.

Nunc accedamus ad secundam partem; ad casum nempe quo in Ecclesia asservetur Reliquia insignis Ss. Innocentium.

Sed resoluto priori casu, et secundum resolutum manet, nam omnia argumenta quae priori casui conveniunt, secundo applicari possunt, et pro eo valent.

Additur, quod quasi unanimiter Liturgistae, inter quos Cava–

lieri, Tetamo, Halden et Falise (1) docent illo in casu, non esse recedendum a communi modo celebrandi festum.

Attamen Bauldry quamvis et ipse eamdem sententiam propugnet, addit tamen rubrum colorem adhiberi posse in casu 1.° « si a maioribus ordinetur », vel 2.° « si sit aliqua laudabilis consuetudo cum concursu populi ». Quoad primam exceptionem animadvertendum puto quod: 1.° si a Summo Pontifice vel a Sacra Rituum Congregatione ordinetur, tunc nulla est difficultas; nam tunc est privilegium summi Principis, qui est supra ius commune, vel est aliqua *authentica* explicatio vel mutatio Rubricae. 2.° Si vero ab Episcopo ordinetur, hoc mandatum nullius valoris est, saltem theoretice; certum est enim quod Episcopi nec leges liturgicas ferre possunt, nec « iudices esse ad declaranda dubia super sacris ritibus exorta (*S. R. C., 11 Iun. 1605*) »; sed quam maxima obedientia illis praestanda est, si iam amplius non praecipiunt tamquam iudices ad dubium solvendum, sed tantum ad indicandum quo modo rectores Ecclesiae caute ac prudenter se gerere debent in aliqua consuetudine eliminanda. — Quoad secundam exceptionem a Bauldry propositam, dicendum est quod consuetudo etiam centenaria si repugnat rubricis, numquam laudabilis dici et sustineri potest sed est consideranda tamquam abusus et corruptela iuris, et prorsus eliminanda. Quod tamen si timeatur admiratio populi, fieri non debet nisi cum summa prudentia; nam, ut ait cl. De Herdt, « satius est quandoque aliquid tolerare, quam movere turbas, quae non sine magno Religionis detrimento, quando etiam ex bona caussa, excitantur ».

Romae, die 22 Ianuarii 1892. D. F. Ravanat.

Nota. Pro nunc iterum cogimur quaestionum solutiones abrumpere.

(*Redactio*).

---

(1) Halden hoc non affirmat, sed tamen huic sententiae multum favet: de illo ait Merati: « Laudatus Halden qui proponit hoc dubium, assertive resolvere non audet; verum subnectit quod sicut teste Gavanto titulus solius altaris Ss. Innocentium etiam maioris, non est ratio sufficiens ad difformandum se in modo dicendi Missam et Officium de hoc Festo, et a recedendo a ritu Ecclesiae universalis, ita etiam particularis Ecclesiae alicuius dictarum Reliquiarum cultus etiam solemnis et publicus sufficere non videtur ad difformandum se in modo celebrandi Missam huius Festi ab Ecclesia universali (*Merati, Thesaurus — Ad Rubr. Missalis, pars IV, tit. II, n. 19*). »

AD CL. PIGHI RESPONSIO

(*Contin. V. n. 2. pag. 128*)

Respondemus secundo, responsum evasivum vere quandoque dari a S. R. Congregatione; sed evasivum Rubricarum observantiam tangere absolute negamus. Responsio evasiva afficit petitionem, cui S. C. de causis sibi notis respondere non vult; at nunquam probari poterit, eam Rubricas afficere, quarum observantiae ex ipsa responsione semper Sacrum Tribunal favere manifeste ostenditur. Ita, ut unum afferamus exemplum, S. R. C. expetita, utrum Sacerdoti, sumpto post Sanguine, immorandum esset aliquantulum in adoratione Sacramenti, ut post sumptionem Corporis, respondit: " Serventur Rubricae (*Neapolitan. 24 Sept. 1842 ad 2*). „ En evasiva responsio, si ita vis eam appellare; sed evasivum petitionem tangit, cui respondere directe S. R. C. noluit; at Rubricas nihilominus certo non respicit, quas servandas esse iubet. Excipe casum, quo S. R. C. expetatur de actu non liturgico infra vel extra actum liturgicum.

Tertio respondemus, admissa quarumdam Rubricarum obligatione, plane sequitur et reliquas obligare, de quibus est quaestio. Hic enim agitur de Rubricis, quas cl. Pighi supponit directivas, ac proinde meri consilii, adeo ut nullam pariant obligationem. Iam vero omnes istae Rubricae, sive obligent, ut ipsi tenemus, sive tantum dirigant, ut censet auctor, eas eiusdem naturae fas est iudicare. At si supponeres, aliquas ex his a S. R. Congregatione declaratas fuisse dire-

ctivas, iam consequens esset plane legitimum, ut et reliquae directivae forent. Ubi enim eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. Ergo a pari, si aliquae ex illis praeceptivae declaratae fuerint, consequens est, ut et reliquae pariter praeceptivae sint, eadem enim ratio militat. Adde etiam, modum se exprimendi decretorum, eiusmodi esse, ut propter generalitatem omne ius tribuat extendendi responsum ad alias quoque eiusdem naturae Rubricas.

5. Sed non possumus, quin aliquid specialius animadvertamus super auctoritate extrinseca, qua tantopere cl. Pighi delectatur. In illa et nos placemus, si tamen innitatur intrinsecae: secus, auctores qua digni sunt veneratione prosequimur, sed eorum sententias negligimus: ex quo non tamen sequitur, iis nos irrogare iniuriam. Ita res se habuit in casu, quantum videmus. Plures, esto, sint contra sententiam nostram: id fassi iam sumus; at quid inde? Negotium iam alibi explicatum est; quid ergo inferre ex hoc possit, non intelligimus. Nam pluries simile factum accidit, accidetque fortasse, ut hanc vel alteram permulti profiterentur sententiam, quae tamen successu temporis paulatim ab omnibus propemodum derelicta fuit. Id autem in cunctis fere scientiis comprobatum fuisse, indubia facta ostendunt.

Ut Physicam praetermittamus, quis ignorat a quot nec parvae notae viris defensum fuisse *Traducianisnum* a quarto saeculo ad tertiumdecimum, quod tandem a divo Thoma damnatione dignum fuit iudicatum? Quis eiusmodi impraesenti doctrinae iam suffragatur? Quot eminentes pietate et doctrina viri doctrinam *Ontologismi*, plus minusve purum, a saeculo decimo septimo usque ad aetatem nostram amplexati sunt? Quem reperis impraesentiarum eiusdem adsertorem doctrinae,

maxime post quadraginta Rosminianas propositiones ab Ecclesia reprobatas? Initio volventis saeculi nonne plures insignes viri *Traditionalismum* plus minusve admisere, inter quos Laforet, De Bonald, Ventura etc. Si modo illud sequentes quaeris, num adhuc reperies? Nonne Cartesius, Storchenau, Mastrofinius, aliique plures, animam in una tantum humani corporis parte residere iudicarunt? Quis impraesenti si sanae sit mentis, Aquinatem non sequitur? Haec quidem ad Philosophiam quod pertinet dicta sint.

Vis ne ad Theologiam transire? Nonne in mentem statim opinio subit divi Thomae, aliorumque plurimorum, sustinentium in Deipara Immaculata originalem labem? Dices quidem id esse doctrinam tunc non definitam. Esto, sed fides rationi haud contradicit, ut qui illud asserebant, veritati etiam naturali contradicebant. Idem de Infallibilitate pontificia dicendum. Quotnam viri clarissimi, divo etiam Aquinati innixi, omnes et singulos Ordines tam maiores quam minores Sacramenta esse censebant? In ipso Vicariatu Romano haec doctrina communissima erat, ut *Praxis Secretariae Tribunalis Emi Card. Vicarii* eam doctrinam, haud ut discutibilem, sed tamquam certam doceat. Quid impraesentiarum, nisi oppositum communiter docetur, licet ut res incerta tradatur? Quotnam olim defendebant, Matrimonium quatenus contractum, esse inter christianos divisibile a Sacramento? Ministrum eiusdem Sacramenti esse, non contrahentes, sed Sacerdotem, quot gravioris notae sustinuerunt Theologi? Lege Cano, Bannes, Card. Toletum, Estium, Contensonium, Natalem Alexandrum, et alios plures: inter quos non desunt qui recensent divum Thomam, immo et Synodum Coloniensem (*V. Cani, Opera, Vol. prim. Vindication.* § VI). Quid autem impraesenti?

Idem de ipsa Morali Theologia dicas, et quidem a fortiori, cum de agibilibus tractet, magisque aliquomodo homines tangat, quam Dogmatica. Satis sit innuere amorem Dei praedominantem tamquam necessarium, quem Thomistae speciatim quamplures in attritione exigebant, et sine quo defendebant remissionem peccatorum in Sacramento Poenitentiae fideles non posse recipere. Hodie tamen opposita sententia est moraliter certa, et illa quae dictum praedominantem in Deum amorem requirit, *non est amplius probabilis*, ait S. Alphonsus (*Marc, Tract. De Poenit. Dissert. II, cap. I, art. I, n. 1677*). Nonne idem sentiendum pariter de opinione, quam plures olim, etiam divo Thomae innixi tenuerunt, Summum nempe Pontificem non posse a votis solemnibus Religionis, et peculiariter a voto castitatis dispensare? Ita aperte divus Thomas (*2-2, quaest. 88, art. XI, Resp. dicend.*), quem Thomistas plurimos fuisse secutos indubium est. At quid impraesenti? Audias Marc dicentem, olim hanc multorum fuisse sententiam, sed *communis hodie sententia docet, Religiosum solemniter professum posse, sive ex parte, sive ex integro, a suis obligationibus solvi*. Ita auctor citatus (*Institut. Alphons. Vol. 2, n. 2116*).

Iam nunc licet inquirere a cl. Pighi, quid iudicandum de illis, qui primi praefatis opinionibus adversati sunt? Quid de eodem cl. Ballerinio ipse diceret, qui suam videndi rationem perpetuo sequens in ultimo praeclarissimo, doctrina et eruditione referto, *Opere Theologico-Morali*, nulli parcit auctori, quicumque ille sit; et inexorabili generatim logica utens, cunctis opponitur, quos fortasse in aliquo eadem haud exacte utentes logica iudicat? Haec sint satis, ut omnino demonstratum credamus, cl. Pighi nullo iure conqueri quasi praeclarum diploma (bella potente) dedissemus

Lehmkuhl, Ballerini et De Herdt, aliisque in Ephemeridibus adlaborantibus, Stella et Zualdi (*pag. 33, n. 31*). Sufficiant pariter ut idem cl. Pighi iudicet, quam immerito deploret, nos dixisse a nemine probatam distinctionem inter Rubricas praeceptivas et directivas. Etenim probare non significat tantum asserere, sed argumenta ex aliquo legitimo fonte derivata afferre, quibus propria sentiendi ratio vera vel saltem probabilis ostendatur. Iam vero in numeris 25 et sequentibus ad 30 usque, plurium ab ipsomet referuntur auctorum sententiae, nec semper exacte (1), sed mere assertive, haud vero demonstrative. Inter hos auctor miratur, quod et Lehmkuhl recensuerimus, Ballerini, De Herdt, O'Kane. At ab auctore sincere petimus, utrum legerit ipse huiusmodi, ceterum omni existimatione dignissimos, auctores. Quod si legerit, fateatur ipse, nos tacebimus, an probaverint, an tan-

(1) Ex. gr. De Herdt dicit: In administratione (*sacramentorum*) particulares aliquae caeremoniae omitti possunt sine peccato (*Prax. Liturg. p. 6, n. 143*). Haec cl. Pighi fideliter refert; sed quare sequentia eiusdem De Herdt reticuit: « et de facto omittuntur IN CASU NECESSITATIS? » *Quod autem* NON LICET IN LEGE, LICITUM FACIT NECESSITAS, regula iuris 4[ta] praedicat.

Eadem valeat animadversio circa Baruffaldo, a quo praefata verba De Herdt accepit; ille enim prioribus verbis a cl. Pighi relatis, addit et reliqua, *et de facto omittuntur in casu necessitatis* (*Tit. II, n. 13*) Idem dicas de *Sacra Liturgia*, quam citat, ad usum Mechlinensis Seminarii alumnorum.

Denique animadvertendum, nullum ex auctoribus praesumendum, clarius posse explicari quam per seipsum; et contra eiusmodi explicationem, esse vanam quamcumque aliam a quocumque auctore procedat. Atqui Gavantus explicite et perspicue reiicit distinctionem inter Rubricas *in praeceptivas sub mortali et praeceptivas sub veniali, diversas a directivis;* ergo cuiuscumque alterius auctoris interpretatio vana est. Haec obiter sint dicta, quin alia plura dicamus.

tum asseruerint. Interea nobis iterum ius negari non poterit praedicandi: *Nullus ex recentibus scriptoribus hanc distinctionem in Rubricis probat.* Responsum expectabimus; sed et merito repetere interim non dubitamus, *eamdem distinctionem sub omni respectu obsoletam esse tenendam tamquam* MONUMENTUM ANTIQUITATIS. Negotium enim ab intrinseco, non ab extrinseco iudicavimus et iudicamus. Inferas, momenta allata in septimo argumento (*pag. 44*) nihil omnino valere; quia probabilitate destitutam diximus distinctionem inter praeceptivas Rubricas et directivas, non extrinseca sed intrinseca. Auctor vere in auctoribus citandis tempus terit, qui eam admittunt: quid ad nos? Num aliquando id negavimus, vel in dubium posuimus? At tanti sententiae valent, quanti momenta quibus innituntur.

Hic in praesenti sistimus, licet inviti; nam cl. auctor *Liturgiae Sacramentorum*, ut Censuram Ephemeridum retunderet, opportunum censuit in argumenta irruere, quibus Ephemerides demonstrarunt (*ann. 1887-1888*), omnes Rubricas esse praeceptivas. Hinc fere omnia, quae directe contra Censuram dicit cl. Pighi, ad alium adhuc numerum ulterius remittere coacti sumus.

Confidimus, cl. Pighi in nostris hisce animadversionibus occasionem non inventurum se conquerendi, quod dure sit habitus, uti pro Censura Liturgica conquestus est. Namque, uti eidem fatendum erit, quidquid nobis eius loquendi modus suppeditare potuit indignationis argumentum, seposuimus, unice in veritatem intenti; nec vim vi repellere, seu nunc seu in posterum, intendimus.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 12, an. 1891, pag. 677*).

CAPUT III.

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS IN BAPTISMO INFANTIUM.

§. 1.

DE PATRINIS.

Suppono, Baptismum esse posse *privatum* et *solemne,* eius administratione inspecta. Illud dicitur, in quo nullus ritus, nullaque caeremonia, si esentialia excipias, adhibetur: istud vero est quod confertur cum omnibus ritibus et caeremoniis, in Rituali Romano praescriptis.

Quaeres 1. Quid sint Patrini et quaenam eorum officia in baptismate?

Resp. 1. Patrinus, quasi pater est et spiritali generationi inservit, quae per baptisma recipitur. Haec enim generationi carnali quodammodo assimilatur, ait divus Thomas (*Pars 3*, *quaest. 67*, *art. 7*); et sicut parvulus nuper natus indiget nutrice et pedagogo, ita in regeneratione baptismi requiritur qui fungatur vice nutricis et pedagogi.

Resp. 2. Eius proinde, qui *susceptor* appellatur, *fideiussor*, *sponsor*, *compater* etc., officia sunt: infantes in templo praesentare baptizandos, in sacro fonte suscipere, pro ipsis respondere, vel si adulti sint bap-

tizandi, responsa suggerere, eorum curam habere, si opus sit, atque eos in fide et moribus instruere.

Quaeres 2. Utrum patrinorum usus in primitiva Ecclesia extiterit?

Resp. affirmative, cum de iis Augustinus pluries loquatur, sicuti Tertullianus (*Lib. de bapt. cap. 18*), Basilius (*Epist. 128*); atque ipse Dionisius, quem Chardonius refert in sacramentorum historia, explicite docet, optimum fuisse visum Apostolis nostrisque maioribus Susceptores pro baptismate instituere.

Quaeres 3. Quot et quales esse Patrini debeant?

Resp. 1. Iuxta Rituale Romanum (*Tit. II, cap. 1, n. 23*) aut unus esse debet, sive vir sive mulier, aut unus et una sunt adhibendi, quod ceterum ex Tridentino (*Sess. 24, de. Ref. cap. 2*) praescribitur. Vetitum est autem ut duo assumantur viri, aut duae feminae, aut plusquam duo, aut baptizandi pater vel mater. Unus nihilominus patrimus in antiquitate fuit, et duorum consuetudo nonnisi saeculo XII invecta est (*Maringola, Lib. XI, cap. III, n. VII*).

Resp. 2. Patrini aetate puberes saltem esse debent, Sacramento Confirmationis consignati, non excommunicati, interdicti, et ex criminibus infames: ut sanae oportet sint mentis et in fide sufficienter instructi, ut alios instruere valeant. Praeterea nec Monachi vel Moniales, aut quivis alius Regularis, Patrini esse debent (*Rituale Rom. loc. cit. n. 24, 25, 26*).

Quaeres 4. Utrum Patrini in quocumque baptismate sint adhibendi?

Resp. Negative, sed tantum in solemni; ad ritum enim Patrinorum usus pertinet, ritus autem et caeremoniae, ut superius dictum est, in privato baptismo omittuntur: consequenter illorum usus in libertate est. Ita communiter.

§. 2.

DE INTERROGATIONIBUS, INSUFFLATIONIBUS, UNCTIONIBUS, IMMISSIONE SALIS ET IMPOSITIONE NOMINIS.

Quaeres 1. Quotuplicis generis interrogationes baptizando fiant, et quibus de causis?

Resp. Interrogationes, quas ad baptizandum dirigit minister, triplicis sunt generis, iuxta triplex obiectum: finem proximum, finem ultimum, actum credendi et agendi. Baptisma enim fidem primo confert, hinc quid baptizandus petat, primo minister inquirit, cui respondetur: fidem. Cumque fides salutem praestet, haec alteram petitionem constituit, cui proinde respondetur: vitam aeternam. Cum nihilominus fides sine operibus mortua sit, hinc de praeceptis servandis admonitio, quam Rituale habet. Denique tertiae petitionis obiectum actus sunt abrenuntiandi Satanae, operibus pompisque eius, et credendi in Deum Patrem, Filiumque eius Salvatorem nostrum, atque in Ecclesiam catholicam, et in alia, quae ab ipsa docemur, maxime remissionem peccatorum, quae in baptismate obtinetur, et vitam aeternam, quae nonnisi per Baptisma confertur.

Quaeres 2. Quare insufflationes in baptizando fiat?

Resp. Ter in faciem infantis baptizandi insufflare Rituale praecipit, tanquam spretus signum et potestatis in daemonem, quem proinde minister de infantis anima egredi iubet, et Spiritui Sancto locum dare. Eadem de causa pluries Diabolum exorcizat baptizans, iubetque a famulo Dei recedere maledictum.

Quaeres 3. Num ritus insufflandi in faciem infantis antiquus sit in Ecclesia?

Resp. Affirmative id enim unanimiter referunt Patris latinae graecaeque Ecclesiae, peculiariter Augustinus pro latina *(lib. 1, De Symb. ad Cathecum. cap. 5)* et pro graeca S. Cyrillus Hierosolimae Antistes. (*In Cateches. mystagog.*). Quod autem de insufflationibus dicitur, idem et de exorcismis intelligas.

Quaeres 4. Quid unctiones significent, quae super baptizatum fiunt?

Resp. Bis sacer minister baptizandum inungit, in modum crucis primo nempe in pectore et inter scapulas, secundo in summitate capitis: ut per Sancti Spiritus donum habeat in corde sapientiam, in humeris certandi virtutem, in fronte libertatem filiorum Dei, ne Evangelium erubescat et crucem.

Quaeres 5. Quaenam unctionum in baptismo antiquitas?

Resp. Ex divi Augustini testimonio (*in psalm. 44*), et divi Ambrosii (*Lib. 1, de Sacram. cap. II, n. 4*) aliorumque Patrum abunde constat, has unctiones semper adhibitas in Christi Ecclesia fuisse. Quinimo ex antiquo Sacramentario Gallicano accipimus, etiam nares et aures fuisse inunctas.

Quaeres 6. Quid sibi velit immissio salis in os infantis?

Resp. Praescribit lex Ritualis (*Tit. II, cap. 2, n. 7*), ut modicum salis immittat baptizans in os infantis, dicens: *Accipe sal sapientiae: propitiatio sit tibi in vitam aeternam.* Ritus itaque iste sapientiam significat, quae per baptisma recipitur, ut fide, spe et caritate abundans Dei servus, fidelis permaneat usque ad coronam vitae percipiendam (1).

---

(1) Salis comestio accipiebatur antiquitus in servandae fidelitatis signum: hinc Iudaei in Epistola ad Artaxerxem data, ut fi-

Quaeres 7. Quid circa nominis in antiquitate impositionem animadvertendum in baptismate?

Resp. 1. Antiquitus baptizandorum nomina, aliquot ante Pascha diebus in appositis tabulis Ecclesiae inscribebantur, sive baptizandi a christianis progeniti essent sive ab ethnicis: illi enim aut nomen, quo antea vocabantur retinebant, aut novum assumebant in baptismo, isti vero, gentili nomine abiecto, novum assumebant semper. Ita cl. Martene ex plurimis Sanctorum actis et historiis *(Lib. 1, cap. 1, art. X, n. III)*. 2. Haud semper minister baptizans nomen imponebat, sed quandoque parentes, nonnunquam Susceptores. 3. Communiora, quae magis arridebant nomina primis christianis, Petri et Pauli erant aut Ioannis, ita testante Dionysio Alexandrino (*Apud Euseb. Lib. 7, hist. Eccles. cap. 25.*)

Quaeres 8. Quid circa nominis impositionem ferat disciplina praesens.

Resp. 1. Minister a Patre vel Patrinis ante baptisma petit, quomodo vocare infantem velint, et eiusmodi nomen ab initio imponit, sicque baptizandum primo vocat, itemque in collatione baptismi, et cum eum dimittit in pace. 2. Nomen imponendum haud ex obscaenis esse debet, fabulosis, aut ridiculis, sed ex nominibus Sanctorum, ut vitae exemplum ab his habeat et patrocinium (*Rit. Rom. Tit. 2, cap. 1, n. 54*). 3. Plura ex recepta consuetudine nomina possunt imponi, quorum uno vel alio liberum est appellare infantem. 4. Sanctorum nomina imponenda Rituale

---

deles ipsi se ostenderent, fidentes dixere: « Nos autem memores salis quod in palatio comedimus... idcirco misimus etc. (*Esdr. L. I, cap. IV, v. 14*) ».

praescribit, quatenus tamen id fieri possit; hinc si parentes vel patrini nomen aliquod absolute postularent contra Rituale, prudenter se gerat Parochus, in tam infelici enim hypothesi minus malum esset contra hanc legem facere, quam gravioribus incommodis obviam ire.

BIBLIOGRAPHIA

Opus excellens Lezioni di Sacra Liturgia etc. *pel Sacerdote Raffaele Patroni*, cuius intexerunt plures *Ephemerides* laudes, non possumus quin et commendationibus nostris, ad primum pro nunc e duobus quod attinet Voluminibus, prosequamur.

Velut in duas dispescitur partes, quarum prima de Computatione Ecclesiastica fuse et perbelle tractat: altera de Officio divino. Plurimam illa utilitatem Ecclesiae viris praestat, cum de singulis agat, quae Breviario Romano praemittuntur, et ad Pascha inveniendum relationem dicunt. Hanc primam partem septem auctor lectionibus absolvit, quae eruditione, respectiva scientia, et mira perspicuitate praelucent. Maiori quoque ista utilitati esse valet Ecclesiasticis, in illius incumbentibus studium, utpote quae de omnibus pertractat, Liturgiam in genere spectantibus, de Horarum omnium Canonicarum antiquitate, excellentia, ritu: de communi, de proprio, de tempore, ac de festis. Singula accurate exponit, Breviarii Rubricas ac decreta (cum opus est) S. R. C. commentans atque ad particulares casus applicans, et quidem iuxta reformatio-

nem a Leone Papa XIII ultimo praescriptam. Haec altera pars Voluminis 35 lectiones complectitur, nec minori quam praecedentes auctor arte et scientia pertractat. Utinam cl. auctor haud tam praepropere fuisset e vivis sublatus. Interim Excellentissimo Sulmonae Episcopo, illius optimo fratri, cuius opera iure censemus Opus praesens iterum in lucem perfectiori ratione editum, libenti animo gratulamur.

Quin nihilominus iam a nobis merito praedicata infirmare intendamus, necessarium credimus nonnulla animadvertere, quae minus forte exacte fuere exposita, quaeque emendata Operis praestantiam utilitatemque uberiori luce perfundent.

1. Scribitur, verum Ecclesiae Titulum, severius loquendo, nonnisi mysterium divinum esse posse, vel Personam divinam *(pag. 131.)* — Id quidem nonnulli docent; at minus congrue. Plures enim Ecclesiae nullum pro titulo mysterium habent; num ergo omni titulo, stricto sensu, destituuntur? Ecclesiae, S. Petri Romae, S. Caroli Mediolani, S. Petronii Bononiae etc. num titulo carent? Quid nimis videtur nobis non sustinendum. Veritas est, titulum dare nomen Ecclesiae, quod vel mysterium esse potest vel Angelus vel Sanctus.

2. Decreta S. R. Congregationis, saepe citata reperivimus, sola indicata inscriptione mensis et anni. Id grave iis affert incommodum, qui eadem requirere optant. Ex. gr. ad pag. 175, n. 124, lin. ult. citatur decretum 11 Sept. 1847, ut probetur, officia Instrum. Passionis impedita, non posse transferri sine speciali indulto. Iam nunc sub eadem inscripta die, viginti, ni fallimur, decreta leguntur, ut satis incommodum sit citatum reperire decretum sine titulo originis, sine

etiam dubii numero, atque ulla alia indicatione, quod in casu esset Decr. decimum sextum.

3. Ritus, gradus et ordo pro uno eodemque sumuntur (*p. 122*); et sub fine paginae praecedentis ritus definitur: Modus varius *quo aliquod officium recitatur et in sua positione influit.* Animadverti potest, aliud esse *ritum*, aliud eiusdem ritus *gradum* et *ordinem.* In duplici enim minori et maiori idem habetur ritus, sed diversus gradus; et in pluribus iisdem duplicibus minoribus diversi quoque possunt dari ordines, ut ex. gr. duplex diei octavae, duplex doctoris Ecclesiae, duplex minus aliorum Sanctorum, qui in diversis ponuntur ordinibus, quatenus alius alii praevalet.

Aliquid autem novi cernimus in definitione ritus; quid enim significat verbum *positio?* Nonne Liturgia, sua possidet vocabula propria, et ut ita dicam, tecnica, quibus utendum est? Satis opportune ibi scribendum pro *positione* foret: *occurrentia.*

4. Dies, dicitur ad pag. 126 (*in nota sub fine*), infra octavam Epiphaniae, et dies octava Corp. Christi cedunt Dedicationi et Titulari Ecclesiae propriae; sed dubitatur utrum cedant etiam cuicumque alii festo duplici primae classis. — Quaestio haec habere locum poterat ante Rubricarum reformationem, sed postquam Titulo IX de Commem. num. 1° additum fuit: *Idem dicendum de aliis festis dup. primae classis etc.*, finis impositus est controversiae. Quod enim de Titulo praedicatur et de Dedicatione, idem etiam in quibuscumque casibus, ex Rubrica praedicandum est de quibuscumque aliis duplicibus primae classis, ubi enim eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. Eadem animadversio ad pag. 150 pro die octava Corpor. Chr.

5. Decreta praeceptiva dicuntur (*pag. 82, n. 7*), quae formula gaudent, *servari mandavit — servandam vel eliminandam consuetudinem,* aut quid aliud simile. Sed alia plura sunt, quorum indubia iudicatur ab omnibus obligatio, quae tamen praefata aut simili destituuntur formula, ut aequa eorumdem repartitio, alia sit dicenda (*V. Ephem. num. 2. pag. 127 et 128*).

6. Exactam haud credimus esse ideam, quae assignatur de Tempore in sensu liturgico (*pag. 115*). Proprium enim de Tempore nonnisi ex solis per anni tempus a Pascha dependentibus mysteriis Domini recurrentibus constituitur, non ideo omnia festa Domini ad Tempus pertinent, etsi feriis vel Dominicis sint affixa, uti ex. gr. Instrumenta Passionis Domini, SS. Iesu Nomen, multoque minus festa Deiparae aut Sanctorum: licet commodi gratia inter festa de Tempore inscribantur in Breviario. Ad rem videre est Guyetus, quo nemo de Tempore melius agit (*Lib. I, cap. I, quaest. 19*).

7. Nimia nobis videtur certitudo, qua verba fiunt de distinctione inter primaria et secundaria festa, ut illa, etsi dignitate inferiora, praeferri istis debeant etsi dignitate potioribus (*pag. 129 et 159*). Nemo enim nescit quot, maxime impraesentiarum, difficultatibus eiusmodi distinctio obnoxia fuerit: ut saltem nonnisi tamquam opinio in libris tradi possit, peculiariter cum decreta diversis interpretationibus subiaceant.

8. Die octava alicuius festi cum alio occurrente festo dup. maioris ritus, quod transferri non possit, asseritur cum Cavalerio, hoc esse illi iure praeferendum (*pag. 162-63 in nota*). — Excusandus certe Cavalerius ob tempus, quo vixit; sed post illum ius liturgicum eo super negotio ita declaratum est, ut nunc

oppositum sit omnino indubium (*Decr. Compostellana 9 Apr. 1808 ad 4*).

9. Octava festi, haud cum certitudine dicitur cum Cavalerio posse transferri, si translatio sit perpetua (*pag. 170*). — At si de Titularibus agitur, nunc post Decretum *Tornacen. 1 Sept. 1866*, omnino certum est, festum reponendum esse cum octava.

Paulo post (*pag. 171*) ut probetur, festa certis feriis aut Dominicis affixa, non posse transferri, sive accidentaliter, sive perpetuo sint impedita, citantur duo decreta, quae pro translatione quidem faciunt, non vero pro repositione; quamvis verum sit, eiusmodi festorum quamcumque translationem esse vetitam sine speciali indulto.

10. Quae de translatis referuntur (*pag. 178*) in diem Commem. Omn. Fidel. Defunctorum, quamdam possent afferre deceptionem in legentibus, quia ex novo iure liturgico duplex 1. cl. ea die occurrens efficit, ut Comm. Defunct. transferatur in sequentem diem, quamvis festum celebrandum feriatione careat (*Utinen. 22 Aug. 1890*).

11. Plura recensentur festa, in quibus commemoratio Simplicis per accidens est omittenda (*pag. 184 in nota*). — Brevius et clarius dici potuisset: *omittitur in omnibus duplicibus primae classis*, uti ex Rubrica patet reformata (*Tit. IX, n. 4*).

12. Ad ordinem quod attinet commemorationum, ponitur duplex instar simpl. redactus ante Dominicam, (*pag. 187, n. 137*) et recte iuxta Rubricam. At cum ibi eadem Rubrica exponatur, fortasse opportunius animadverti poterat casus de Dominica maiori, cuius commemoratio indubie alteram duplicis praecedit.

13. Haud omni certitudine qua traduntur gaudent ea, quae discutiuntur circa tempus inchoandi officii

Dedicationis Ecclesiae (*pag. 204, n. 144*). Notandum imprimis, unum esse tantum decretum in *Mechlinien.* non duo, quo statuitur incipiendum Dedicationis officium a secundis Vesperis; esse tamen duo dubia, quae adamussim referuntur. Sed error certus est, quod deinde asseritur, idem nempe confirmatum fuisse ex decreto in *Gratianopolitana* (*23 Mai. 1335 ad 1*); hoc enim statuit officium Consecrationis post peractam eamdem Consecrationem inchoandum, consequenter ab Hora Tertia, ut iure Gardellinius docet in nota ad praefatum decretum. Huic ergo standum, quod cum sit recentius, antiquius ius mutat.

14. Hymnus *Te Deum* communius S. Ambrosio et Augustino tributus dicitur, incerti tamen auctoris. — Cum recentius admota manus sit ad Opus hoc Liturgicum, ut ad unguem castigaretur, feliciter frui revisores poterant notitiis quoque recentioribus, quas innuunt *Ephemer. Liturg.* (*1890, pag. 496 in nota*), et latius suppeditat Ephemeris Belgica, cui titulus: *Revue Bénédictine* (*num. 4 Apr. 1890*) circa praefati hymni auctorem.

Haec quidem dicta sint unice, ut Opus, quod merita laude censemus dignum, in alia quae fieri potest editione, ultimam, pro hac saltem parte, perfectionem attingat.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 3, pag. 187*).

§. 3.

DE MANUS IMPOSITIONE, FIDEI PROFESSIONE, DE SALIVA ET ABRENUNTIATIONIBUS.

Quaeres 1. Quid significet manus impositio super infantem, et quaenam eius antiquitas?

Resp. Satis notum est consuevisse Christum manum suam super aegros imponere (*Matth. 9, 18: Marc. 5, 23: Luc. 13, 13*), nec non super pueros (*Matth. 19, 13*), ut bene eis esset. Hinc et Apostolos idem fecisse ad magistri imitationem traditur. Hinc ab ipso Ecclesiae initio, testante Augustino, ritus inductus est in conferendo baptismate, manum super infantem imponendi, ad illuminationem a Domino obtinendam intellectus, et purificationem ac sanctificationem spiritus, ut dignius salutares Sacramenti effectus abunde subiectum consequatur.

Quaeres 2. Quid de antiquitate professionis fidei ex parte subiecti?

Resp. Manu super caput infantis a Ministro imposita, ac respectiva oratione dicta, infans quasi stola mediante in templum introducitur, ibique fidei professionem per Ministrum et susceptores agit: de qua iterum infans interrogatur. Hanc semper ante susceptionem baptismatis habuisse locum passim vetusti

Sacramentorum codices et Sancti Patres, uti Cyprianus, Ambrosius, Augustinus et alii, mentionem faciunt (*V. Maringolas, antiquitat. Christian. Vol. II, cap. IV, n. IX*). Nec mirum, cum subiectum oporteat credere quod recepturum est, eiusque mysteria. Cumque eiusmodi professionis incapax per se sit infans, Minister ipse cum susceptoribus supplet.

Quaeres 3. Quid aurium et narium tactus cum saliva significet, et quaenam eius antiquitas?

Resp. 1. Plures huiusce ritus significationes afferunt Alcuinus, Theodulphus Aurelianensis, Ugo Victorinus, Durandus, aliique. Illa videtur esse praecipua, quam et docet Rabanus Maurus significatio, ut nempe spiritus aperiantur aures ad Dei audienda mandata, et suavitatis sensus acquiratur ad illa fideliter exequenda.

Resp. 2. Antiquissimus esse huiusmodi ritum ex testimonio Patrum infertur, inter quos Ambrosius (*Lib. I De his, qui Myster. initiantur, cap. 1*), Petrus Chrysologus (*Serm. LII*), Augustinus (*De Sacram. Lib. III, cap. II*) et alii. Exemplum accepit Ecclesia ab ipso Christo, qui mittens digitos suos in auriculas lingua et auribus capti, et sputo linguam eius tangens, sanavit eum, omnipotens illud *Eppheta* proferens, quo et Ecclesia utitur (*Marc. 7, 33 et 34*).

Quaeres 4. Quare abrenuntiationes fiant in Baptismo, et quaenam earum antiquitas?

Resp. Dei servitio mox se mancipaturus exigit Ecclesia, ut Satanae eiusque operibus abrenuntiet baptizandus, idque trina solemniori ratione. Quod omnino fas est, ut Christi militiae adscriptus apprime sciat sub illius se militare vexillo, aliudque Satanae abiecisse, sub cuius antea iugo servivit. Tertullianus (*Lib. De coron. milit. cap. III*) peculiariter, cum eoque Basilius,

Ambrosius, Cyrillus Ierosolymitanus, Hieronymus, Beda, aliique de his abrenuntiationibus testantur in eorum Operibus, et traditionis Apostolicae eas esse apprime ex his demonstratur.

Ab initio Ecclesiae coram multis testibus fieri abrenuntiationum actus consuevit. Imo tam in Latina quam in Graeca Ecclesia, versa ad Occidentem facie adulti abrenuntiabant, inde ad Orientem vertebantur, ut testatur Hieronymus (*Comment. in Proph.* Amos, *cap. 4*). Consueverunt quoque Graeci in abrenuntiationum verbis proferendis, manus extendere et elevare, ac si quid proiicerent, ut spretum in Satanam significarent.

§. 4.

DE IPSO ACTU BAPTISMATIS ET RITIBUS SUBSEQUENTIBUS.

Quaeres 1. Quinam Baptismatis actus peculiaris ritus?

Resp. Exquisita denuo a Ministro voluntate suscipientis, ad actum baptizandi, violacea in albam mutata stola, proceditur, qui per nota verba expletur: *N. Ego te Baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, dum aqua trina vice per modum crucis infunditur ex praesenti disciplina, super caput infantis.

Quaeres 2. Quare mutetur in baptismate stola?

Resp. Violaceus color luctus est signum, infans enim usque dum non recipit baptismum, adhuc natura filius est irae. At Minister gratiae et sanctitatis donum daturus, colorem luctus in laetitiae mutat; filius enim irae, filius fit amoris per Baptisma: albus autem color innocentiam et laetitiam significat.

Quaeres 3. Utrum una bicolor stola adhiberi etiam possit in Baptismate?

Resp. Affirmative, aequivalet namque, dummodo Rubrica servetur de altero et altero, suo tempore, colore adhibendo. Hinc S. R. C. in una *Tarnovien.* ritualem Rubricam legitime interpretans, declarat stolam ex una violacei, ex altera parte albi coloris, iuxta opportunitatem, ex respectiva parte invertendam, licite adhiberi posse in Baptismate (*26 Mart. 1859 ad VII*). Ne tamen inferas idem licitum esse indumentum, si mixti coloris esset ex violaceo et albo, quod nimis est diversum, et ritui opponitur.

Quaeres 4. Quare tribus vicibus, et in modum crucis, aqua effundenda?

Resp. Ut materia proxima Baptismi, seu aquae applicatio verbis quae pronuntiantur, seu formae respondeat. Hinc ad nomen *Patris* prima, ad *Filii* secunda, ad *Spiritus Sancti* tertia ablutio perficitur. In nomine autem Patris, Filii et Spiritus Sancti Baptisma confertur, quia per potentiam, sapientiam et bonitatem totius Trinitatis peccatis morimur et Christo vivimus. In modum autem crucis fit trina ablutio, ut virtus significetur crucis, per quam salvati et liberati sumus.

Quaeres 5. Quid linteolum candidum sibi velit, quod baptizato imponitur?

Resp. Antiquitus, recenter baptizati albam induebant vestem, quam nonnisi post dies octo, seu in Dominica, nunc in Albis adhuc appellata, deponebant. Huic caeremoniae respondet in praesenti disciplina linteolum candidum, quo baptizatus induitur: quo et recuperata vitae innocentia significatur, et resurrectionis gloria figuratur, ad quam ius per Baptisma acquiritur?

Quaeres 6. Quare baptizato accensa traditur candela?

Resp. Cereus ardens baptizato vel Patrino traditur a Ministro, ut significetur, illum caritate esse oportere accensum, quam bona opera ostendunt, et nutriunt: ut dignus inveniatur qui caelesti sponso occurrat, aeternamque vitam cum illo habeat. Hinc demum in pace et cum Domino dimittitur.

CAPUT IV.

DE BAPTISMO ADULTORUM AC DE SUPPLENDIS CAEREMONIIS.

§. 1.

DE REQUISITIS IN ADULTIS ANTE BAPTISMA.

Quaeres 1. Unde accidat ut in praesenti et adulti baptizentur?

Resp. Quandoque accidit, ut ex Hebraeis, vel ex alia infidelium gente cooptari quis velit Ecclesiae catholicae; hinc et necessitas adultos baptizandi, pro quibus nonnulla, utpote rationis usu fruentibus, sapienter ab Ecclesia statuta fuere.

In Urbe extat adhuc, a neophitis dicta, domus instituta, pro iis, qui ad Baptisma recipiendum parabantur.

Quaeres 2. Quid pro adultis baptizandis Rituale statuat?

Resp. 1. Per aliquod tempus, iuxta apostolicam regulam baptizandus adultus in fide Christi, et bonis moribus erudiri debet. 2. In aliquibus pietatis ope-

ribus se exercere. 3. Eius firma exploranda est voluntas, utrum vere ad catholicam Ecclesiam velit pertinere : ut ita sciens, volens et instructus baptizari possit. Quod intelligendum, nisi necessitas vel periculum mortis urgeat, quo in casu, actis quae fieri possunt, statim adultus erit baptizandus. 4. Ad poenitentiam peccatorum excitetur (*Rit. Rom. Tit. II, cap. 3, n. 1, 2 et 10*).

Quaeres 3. Quis Baptismi adultorum Minister ordinarius?

Resp. Monet Rituale Romanum, ut Episcopus ipse, si fieri possit, adulto Baptisma conferat, secus ipse Parochus stata caeremonia (*Loc. cit. n. 3*). Nil autem magis conveniens, quam ut adultus per ritus et caeremonias solemniori ratione peractas, ampliorem Sacramenti aestimationem acquirat, eique altius tanta gratia menti et cordi inhaereat.

Quaeres 4. Quid circa tempus huius administrandi Baptismi observandum?

Resp. Apostolorum consuetudinem imitari convenit, ac primorum Ecclesiae saeculorum, docet Rituale (*Ib. n. 4*). Proinde, si circa Paschae aut Pentecostes tempora catechumeni baptizari postulent, differre convenit, ut in his solemnioribus Sabbatis, si nihil obstet, Sacramentum conferatur (*Loc. cit. n. 5*): quod apprime servatur in Lateranensi Basilica. Si nihilominus catechumeni aegre dilationem ferrent, et satis fuerint instructi, expectandum non erit (*n. 6*).

Quaeres 5. Utrum de loco et diei hora aliquid statutum sit pro Baptismo adultorum?

Resp. Affirmative: locus enim esse debet Ecclesia, ratione solemnitatis praestantioris, quam pro Baptismo infantium. Patrinus enim assistere quidem debet, sed ipse catechumenus pro se respondere tenetur Ministro, nisi vera necessitas excuset, ut suum consensum expli-

cet: haec autem nonnisi in Ecclesia fieri convenienter possunt (*Loc. cit. n. 7*). Hora autem matutina esse debet, seu ante meridiem, non autem post prandium aut noctu, nisi rationabili de causa aliter fieri expediat. Hinc tam Ministrum quam baptizandum ieiunos esse convenit (*Loc. cit. n. 8 et 9*).

§. 2.

DE PECULIARIBUS CAEREMONIIS PRO BAPTISMO ADULTORUM.

Quaeres 1. Utrum inter Baptisma adultorum et infantium quaedam sapienter discrimina sint statuta?

Resp. Affirmative, plures enim ex ritibus et caeremoniis, quae infanti non conveniunt, optime conveniunt adulto: idem de quibusdam interrogationibus sentias, quibus ipsemet respondere potest, haud infans. Praeterea decuit, ut sapiens mater Ecclesia fideliter custodiret, quae primaeva Apostolorum vel apostolicorum virorum disciplina instituit, cui generatim ritus et caeremoniae pro adultorum Baptismo apprime consonant.

Quaeres 2. Quid ergo ante omnia peculiariter agendum Ministro?

Resp. 1. Praeter superpelliceum et stolam, induere convenienter poterit etiam pluviale violaceum, si sit Parochus: si vero Episcopus, etiam amictum super rochetum, nec non albam, et cingulum, stolam, pluviale, et mitram. 2. Pluribus inde comitantibus clericis, ad gradus altaris accedet, et divinum auxilium implorabit ut tantum Sacramentum digne ministret: post quod statutos recitabit in Rituali psalmos (*Tit. II, cap. 4, n. 1*

et 2). 3. Ad Ecclesiae ianuam se conferet intus, ibique consistet, dum catechumenus foris manebit.

Quaeres 3. Quaenam sint peculiaria discrimina Baptismi adultorum?

Resp. 1. Minister inquirit a catechumeno, quo appelletur nomine: quo in decursu functionis pluries a Ministro vocatur, ut novus omnibus christianus innotescat. 2. Bis profitetur adultus fidem, ad ianuam templi et cum baptismate abluturus est. 3. Post insufflationes, bis halet minister in faciem adulti, orans ut spiritum bonum et Dei benedictionem accipiat. 4. Ad infidelitatem vel sectam, ad quam pertinebat, horrescendam excitatur, et mysteria fidei ei exponuntur, insuper plura signa crucis super adultum fiunt in corpore et quinque sensibus speciatim, cum quibus eum deliquisse supponitur; totum demum benedicitur corpus, amplum super ipsum efformans minister signum crucis, ut illius menti semper inhaereat. 5. Post sal benedictum tantum, introducitur adultus in Ecclesiam, post trinam orationem, postquam a Susceptore et Ministro ter cruce fuerit signatus, post ter recitatam orationem dominicam, post ter super ipsum actos exorcismos, ut daemon, qui adulto dominatur adhuc, expellatur. 6. Ingressus templum Dei, humi stratus Deum adorat, eique, Satanae servitute reiecta, dedicatur. 7. Surgit denique, orationem dominicam iterum cum ministro recitat, qui super caput eius imponit manum.

Quaeres 4. Utrum adultus baptizatus confirmari statim et communicare possit?

Resp. Affirmative, id quoque innuente Rituali; et vetustiori disciplinae respondet, iuxta quam frequenter confirmatio et communio dabatur statim renatis fonte Baptismatis. Hinc Rituale: Si adsit Episcopus... ab eo

Neophiti Sacramento confirmationis initiantur. Si hora congruens fuerit, celebratur Missa, cui Neophiti intersunt, et SS. Eucharistiam devote suscipiunt (*Tit. II, cap. 4, n. 56*). „

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

DE ECCLESIIS, IUS HABENTIBUS AD ASSERVANDAM EUCHARISTIAM.

Ecclesiae cuidam parochiali fatiscenti altera sufficitur grandior et elegantior. Cum interim expleta sit Ecclesia, nondum tamen attigua pro Caio Rectore animarum domus, quae prope antiquam adhuc existentem Ecclesiam manet, Parochus pro fidelium commoditate Sacramentum asservat in utraque Ecclesia. Cum autem successu temporis Rector alterius paroeciae obiisset, Episcopus eius curam eidem Caio pariter commisit. Qui iudicans fideles ius habere ad Sacramentum intra propriae paroeciae confinia custodiendi, idem Sacramentum in hac quoque altera sibi commissa Ecclesia continuo servat. Haec autem Episcopus resciens, Caium arcessit, et de ratione interrogat, ob quam Eucharistiam in tribus servet Ecclesiis. Caius vero respondet, merito id agere, seu ex commoditate illius administrandae, seu quia fideles non convenit ut sine Sacramento in parochiali Ecclesia asservato relinquantur. Ceterum addit, se, quantum fieri potest,

omnibus diebus festis in duabus parochialibus Ecclesiis celebrare, in alia autem non parochiali etiam aliquando in hebdomada Missam facere. Episcopus acquiescit, suo interim caeremoniarum magistro curam demandans, ut tria sequentia quaesita resolvat:

1. *Utrum, et quibus mediis antiquitus servata fuerit Eucharistia seu in latina, seu in graeca Ecclesia?*

2. *Quaenam in praesenti Ecclesiae ius et obligationem habeant Eucharistiam servandi, et ad quid Rector Ecclesiae teneatur, ut rite asservetur?*

3. *Quid de agendi ratione Caii iudicandum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Friderici Angeletti ex alumnis Pontif. Seminarii Pii, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 21 Ian. 1891: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Romanis.

1. Inquirit prima quaesiti pars, utrum consueverit primaeva Ecclesia, seu latina seu graeca, Eucharistiam asservare.

Eucharistiam a primis Ecclesiae saeculis fuisse loco suo servatam indubia res est. Morinum quidem (*Lib. VIII, De poenitentia, cap. XIV*) refert Catalanus (*Comment. ad Pontif. Rom. Tom. II, Tit. XVIII, n. VII*) asseruisse, doctissimum licet scriptorem, consuetudinem asservandi Eucharistiam pro fidelium communione, a Fratribus Mendicantibus fuisse inductam. Immo addit, ipsum Emum Bona, hac in re, hallucinatum fuisse, idipsum docens (*loc. cit.*). At bona cum Catalani venia, haud Emus Bona, sed Catalanus ipse-

met deceptus est, Emo sapientissimoque viro attribuens, quod revera non dixit. En itaque illius textualia verba: " Recte vero observat Morinus *lib. 8, de poenit. cap. 14,* servatum antiquitus in Ecclesia Corpus Christi propter infirmorum communionem, addens hodiernam consuetudinem plures particulas reservandi ad fideles in ipsa Ecclesia etiam extra Sacrificium communicandos, a Mendicantibus primum introductam „. Iuxta ergo Emum Bona, quod Mendicantes invexere non tangit custodiendae Eucharistiae morem, sed solum fideles extra Missam communicandi. Quod inficiandum non est, cum in primaeva Ecclesia semper communio populi intra Missam fieret.

Imo ex ipsis verbi Bona satis patet, neque Morinum quod Catalanus ait sustinuisse. Quidquid vero sit, ineluctabilia argumenta non desunt, quae in Ecclesiis Eucharistiam semper fuisse asservatam demonstrant. Id enim testatur Durantus (*lib. I, De Ritib. Eccl. cathol. cap. XVI*), fragmentum referens Epistolae II, S. Clementis ad Iacobum fratrem Domini, in quo dicitur, Reliquias fragmentorum Corporis Domini custodiendas esse. Liber Constitutionum VIII (*cap. XX*), agens de communione Eucharistiae, docet pariter, Christi Corporis Reliquias post communionem esse a Diaconis in pastophoria deferendas. Divus Hieronymus de sacrario loquitur, in quo iacet Corpus Christi (*In Ezechiel. cap. XX*). Idipsum tradit Paulinus in vita S. Ambrosii, ac satis quoque constat ex Irenaeo in Epistola ad Victorem (*Apud Euseb. lib. 5, cap. 24*). Haec quidem testimonia pro latina sufficiant, sed nonnulla fas est et pro graeca innuere. Atque imprimis explorata firmitas est, qua graeca Ecclesia ritus suos servat: ex qua facile statim argui iam posset antiquissima Eucharistiae conservandae consuetudo, quippe

quae et impraesentiarum viget (1). Sed et testimonia eiusdem consuetudinis positiva non desunt. Nam Humbertus Cardinalis, Constantinopolim legatus missus (*an. 1054*), refert Eucharistiam in Ecclesia asservatam distribui consuevisse peregrinis a longinquo loca sancta visitantibus (*Apud Canisium in Thesauro Monumentorum*). Chrysostomus refert de militibus, qui tumultum concitarunt in Constantinopolitana Ecclesia, locaque viderunt, in quibus Sancta asservabantur (*Epist. ad Innocentium*). In vita S. Basilii, quae Amphilochio tribuitur, verba de peculiaribus vasis fiunt, in quibus asservabatur Eucharistia, et quam sublatam a Severo haeretico clerici et monachi Antiocheni conquesti sunt (*Apud Bona Rer. Liturg. Lib. II, cap. XVII et Sala adnotat. 5*). Ceterum morientibus fuisse semper in utraque Ecclesia Eucharistiam delatam nemo dubitat, ut consequenter et eam extra Sacrificii tempus fuisse servatam nec inficiari possit,

Altera pars quaesiti postulat de loco asservationis Eucharistiae in primis Ecclesiae saeculis. Fatendum quidem, haud omnes Ecclesias eamdem servasse consuetudinem ad locum quod attinet, in quo Eucharistiam recondebant. Certum est Romae antiquissimum extitisse usum illius conservandae, nunc in columbis, nunc in calicibus aureis vel argenteis, quae sub altaris fornice appendebantur (*Anastas. in vita Gregorii*

---

(1) Romae quoque apud Collegium Graeco-Rutenum extat Ecclesia ritus graeci, divo Athanasio dicata, in qua perpetuo almum Eucharistiae Sacramentum asservatur. Animadvertimus tamen, obiter quidem, vix tamquam adorationis obiectum in ea considerari posse: secus qua de causa ullo sine lumine relinqueretur, difficile intellectu esset. Aliam novimus in agro Tusculano prope Romam Ecclesiam: eiusdem fere ritus, in qua et asservatur Sacramentum et luminis honore ornatur.

Pap. III). In aliis apponebantur in armario erecto in medio altaris ab basim crucis, uti ex tertio Canone II Concilii Turonensis perspicue evincitur. Liturgia Gallicana saeculi VI, verba facit de turribus, in quibus Corpus Domini recondebatur. Mabillonius in calce ad Sacramentarium Gallicanum (*pag. 394, n. XLIV*) notat poenam severioris ieiunii, qua multabatur, qui ex negligentia sacras species in turri repositas corrumpi sineret. Eiusmodi autem vasa super altari locabantur Sacrificii tempore.

Praeterea Eucharistiam fuisse quoque delatam a fidelibus in proprias domos ibique servatam, innumerabiles deponunt testes, uti Tertullianus (*Lib. 2, ad uxor. cap. 5, et alibi*), Cyprianus (*Lib. de spectaculis*), Gregorius Nazianzenus (*Orat. in funere Gorgoniae soror. suae*), Basilius (*Epist. ad Caesariam*), aliique plures. Hinc Baronius (an. 57) affirmat, *semper in Ecclesia servandi sacram Eucharistiam, sive in loco sacro, sive in privatis domibus... viguisse.* Ratio autem privata in domo Eucharistiae asservationis persecutio fuit, hac autem habente finem, finem et consuetudo habuit. Non tamen iudicandum, remotis persecutionibus, usum in domibus Eucharistiae servandae statim cessavisse, cum sensim id acciderit, uti de consuetudinibus, quae invaluerunt, evenire solet. Hinc per plura saecula eiusmodi usus perseverasse tenendum est. Ferrarius dicit a fidelibus per quinque fere saecula fuisse Eucharistiam domibus servatam (*Ad verb.* Eucharistiam, *art. 1, n. 44*). Id tamen haud de omnibus christianorum domibus intelligendum, sed de aliquibus tantum, ut usus paulatim ac sensim sine sensu, ut dici solet, omnino exoleverit. Hinc Concilium Caesaraugustanum II (*Can. III*) tandem proclamavit: " Si quis

Eucharistiae gratiam acceptam, in Ecclesia non consumpserit, anathema sit. „

Progressu vero temporum, turribus et columbis ciboria, seu tabernacula subrogata fuerunt, quae vel lignea fortasse fuerunt, vel etiam ex alia materia, haud profecto cum nostris, quae in praesenti disciplina vigent, confundenda. Haec autem vix ad XIII saeculum ascendunt, fortasse tantum ad XV, et aliis antiquioribus ac variae formae suffecta fuerunt. Videri ad rem poterit dissertatio in *Ephemeridibus Liturgicis* (*num. 1, 1892, pag. 17, et seq.*), eruditione referta, quae hoc de negotio abunde pertractat.

Basnagius haereticus contra dicta et probata in utraque petionis parte acrem se ostendit, omnia vel falsa vel supposita iudicans. Adeo ut nullo servatam modo admittat Eucharistiam in Ecclesiis; et turres atque columbas pro reservatione Eucharistiae ad breve tempus, concedat, pro solis scilicet recenter baptizatis communicandis. At praeterquamquod vix meretur fidem qui a fide Christi defecit, eum undequaque et invicte triumphat doctissimus Sala in suis adnotationibus ad Emum Bona (*Lib. II, cap. XVII*). Hinc ad nos quod attinet, concludimus, et ab ipsis Ecclesiae incunabulis Eucharistiam fuisse in Ecclesiis semper, saepe et in domibus, in primis saeculis, asservatam: eamque in appositis vasis reconditam, quae turres, columbae, armoriola, tabernacula, ciboria etc. nuncupata fuere. Hinc disticon Venantii Fortunati, quod in Libro 3, carmine 25, ad Felicem misit, Bituricensem Episcopum:

Quam bene iuncta decent, sacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit, atque fides.

2. Quaeritur altero loco, quibus competat Ecclesiis ius et onus servandi Eucharistiam, et ad quid Ecclesiae Rector, ut rite eam asservet, teneatur.

Inspiciendus primo finis est, quem Ecclesia catholica intendit in Eucharistiae servandae praecepto, quod imponit. Itaque indubium est duplicem esse huiusmodi asservationis finem, Eucharistiae nempe cultum, et fidelium utilitatem ac necessitatem. Ad primum autem quod spectat, facile intellectu est, illum obtineri non posse in omnibus Ecclesiis, quarum plures vel nullum habent sibi addictum clerum, si unum Cappellanum excipias, vel a populo vix frequentantur, vel ita sunt pauperes, ut nullis subiacere expensis valeant. Ex quibus sequitur, aut nullum aut satis limitatum exhiberi posse cultum in pluribus Ecclesiis Sacrosanctae Eucharistiae, si in iis servaretur. Sapiens ergo ac peramans Christi Sponsa Ecclesia toto iure decernit, ut omnibus indiscriminatim templis non competat facultas Sacramentum asservandi, ne debitus tanto Sacramento cultus desit. Ad alterum quod pertinet, indubium est, Eucharistiam servari in templis pro necessitate et utilitate fidelium: ut nempe vel sani in ipsis templis communicent, vel infirmi pro devotione aut viatico in domibus recipiant, vel etiam ut in sacro tabernaculo asservatum adorent, aut etiam quando solemniter exponitur. Iam vero, manifestum est, fideles ut plurimum in propria paroecia Sacramenta recipere, proinde et Eucharistiam; imo Parochos quidem, haud vero alios, nisi ex necessitate, teneri ad Sacramenta ministranda, et quandoque nec posse quin iura Parochorum laedant. Ex quo sequitur, etiam, fidelium necessitate et utilitate inspecta, nonnullas, haud vero omnes oportere Ecclesias, Eucharistiam servare.

Ut duplex ergo huiusmodi finis sapienter et ordinate obtineatur statutum est, quae servare possint et debeant Ecclesiae, quae non, Sacramentum Eucharistiae. Hinc primo Cathedrales Ecclesiae illud asservare debent, reputantur enim primae dioeceseos paroeciae, ut iure de Herdt animadvertit (*Pars 6, Ritual. n. 179*). Secundo Ecclesiae omnes parochiales, tertio Regularium utriusque sexus Ecclesiae, denique in illis, si eiusmodi non sint, quibus immemorabilis Eucharistiae asservandae vel favet consuetudo, vel aliquod privilegium suffragatur: hae autem possunt quidem, sed haud necessario debent. Ita ut cum Cavalerio certum admitti principium possit, illis Ecclesiis ius inesse et onus asservandi Eucharistiam, quae subditos habent: reliquis vero ius tantum inesse potest ex consuetudine aut privilegio (*Tom. IV, cap. VI, decr. I, n. 1*). Hinc idem Cavalerius decretum referens S. Episc. Congregationis (*13 Oct. 1620*), *Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cuiuscumque Ecclesiae, in qua custodiri debet, potest, aut solet*, animadvertit: " Debet designat parochiales, aliasque Ecclesias, quae subditum habent populum: potest, quae speciale Apostolicae sedis indultum assecutae sunt: et denique solet, quae immemorabili vel centenaria consuetudine gaudent (*Loc. cit. decr. VIII*). " Asservatio vero ex onere, haud ad tempus, sed perpetua est intelligenda, ita ut diu noctuque Sacramentum non desit, ita S. Episc. Congregatione praescribente (*28 Ian. 1603*).

Lex autem ista eiusmodi est, ut nulla ex aliis Ecclesiis, ex privata potestate hoc ius sibi arrogare possit, sed ad Sedem Apostolicam recurrendum pro indulto. Quod adeo est verum, ut ipsi Episcopi Sacramenti asservandi facultatem in Ecclesiis sibi su-

biectis concedere non valeant, nisi tantum per aliquod tempus, impedimento aliquo occurrente in parochiali Ecclesia, ut ait De Herdt (*loc. sup. cit. n. 179*). Haec constant, seu ex decretis pluribus S. Congregationis Concilii, seu etiam ex S. Congregationis Rituum, uti *Nucerinae Paganorum* (*12 Sept. 1626*), *Calaritana* (*14 Iun. 1646*), *et Urbis et Orbis ad 26* (*12 Mart. 1704*) *etc.*

Idem autem quaesitum quoque postulat, ad quid Rector Ecclesiae teneatur, ut Sacramentum rite asservetur.

Ritualem Romanum quae a Parocho servari debent circa Eucharistiae reverentiam scite docet. Itaque particularum sufficiens numerus, quae saepe erunt renovandae (1) semper conservabitur in pyxide, ut seu fideles in Ecclesia, seu in domibus infirmi accipere communionem valeant. Pyxis autem suo operculo bene clauso, albo velo cooperta custodiatur in tabernaculo. Utrumque vero vas ex tali ac requisita sint materia, ut decori Sacramenti respondeat, et praeter Sacramentum nil aliud contineat. Plures denique lampades, vel una saltem ante altare diu noctuque colluceant (*Rituale Rom. Tit. IV, cap. I, n. 5, 6, 7*).

Sed quaestio hic exoritur, utrum ad quotidianam Missam teneatur Parochus in Ecclesia, quae Sacra-

---

(1) Sacras species frequenter renovandi gravis obligatio est, ait cl. De Herdt, cum renovatio circa rem gravem versetur, honorem scilicet et reverentiam SS. Sacramento debitam (*Pars 6, n. 279*). FREQUENTER esse renovandas ait Rituale Romanum *tit. IV, cap. 1. n. 7*). SEMEL SALTEM IN HEBDOMADA, ait Caeremoniale Episcoporum (*Lib. 1, cap. 6, n. 2*). QUOLIBET OCTAVO DIE FIERI DEBET, ait S. R. C. in *Conchen* (3 Sept. 1662). Idem Gavantus aliique auctores plures docent, ut omne periculum caveatur corruptionis specierum.

mentum asservat. Equidem si innumerabiles mulierum consideres Communitates, in quibus Missa fieri quotidie omnino impossibile foret: si plures, seu in Italia seu exteras, ex Sacerdotum penuria paroecias vacantes, aliasque Ecclesias etiam ex indulto Sacramentum asservantes, negativa responsio danda esse videretur. Imo, si et recentius Decretum perpendas in *Compostellana* ad 1, idem concludendum esset. Refert enim in quibusdam Ecclesiis filialibus seu Oratoriis alicuius paroeciae, in quibus asservatur Sacramentum, Missam nonnisi in Dominicis diebus fieri, vel quando viaticum esset administrandum: ceterum illarum ianuae clausae ut plurimum erant; et quaeritur *utrum Sacramentum ita servandum permitti possit?* Responsum est autem: " Negative, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus, SSmam Eucharistiam visitare cupientibus (*15 Nov. 1890*). „

Nihilominus casus relati quamdam praeseferunt necessitatem, vi cuius quotidiana Missa dici non potest. Sed ab his casibus abstrahere oportet, et negotium in seipso perpendere. Itaque ante omnia dicendum, Sacramentum, quod in Ecclesia asservatur, cultum sibi convenientem exigere: maximum autem cultum actus in Missa consistere. Quod quidem congruentiam quotidianae Missae satis demonstrat. At si decretum in *Firmana* consideretur, et ratio respondendi S. R. Congregationis, cui si ipsius Sacri Tribunalis agendi modus accedat, consectarium videtur exurgere, quod Missam in Ecclesia ubi asservatur Sacramentum, ex praecepto requirit. Decretum itaque casum refert de Cappellano cuiusdam ruralis Ecclesiae, in qua erat Sacramentum, et cuius Cappellanus saepius in hebdomada ad aliam Ecclesiam pergebat, ut suis obligationibus faceret satis. Porro S. R. C. quaesita fuit, utrum eiusmodi Cappel-

lanus teneretur ad residentiam, ut Missae Sacrum quotidie faceret? Iam vero respondit: " Teneri ad residentiam, et quotidianam Missae celebrationem, vel per se vel per alium Sacerdotem (*16 Mart. 1833*). „

Modus autem agendi, ut certiores hic fimus, Sacri Tribunalis Rituum est, ut quando expetatur illi facultas Sacramentum asservandi in aliqua Ecclesia, hanc apponat conditionem, ut Missa quotidie in illa celebretur. Addendum, saepius Ecclesiarum Rectores dispensationem postulare a S. R. Congregatione, eo quod a quotidianae Missae celebratione sunt impediti. Consequenter, debito, uti diximus, cultu eidem Sacramento, et praxi Sacri Tribunalis, saltem impraesenti, perpensis, haec videtur tenenda sententia, ut in Ecclesia, in qua asservatur Sacramentum, quotidie, *per se* saltem, sit celebrandum.

3. Caii nunc agendi rationem examinantes, dicimus, haud iure eum potuisse in tribus Ecclesiis asservare Sacramentum, merito nihilominus in duabus. De hoc non dubitandum, namque utraque Ecclesia erat parochialis, ius proinde habens et onus ut Sacramentum servaret. Sed et alterum certum pariter dicendum; etenim, qua de causa, iuribus parochialibus in nova Ecclesia translatis, adhuc in antiqua et quidem fatiscente Eucharistiam custodivit? Paroecia amplius illa non erat, ius consequenter ad conservandum Sacramentum amisit; ergo in ea asservari nequibat. Ratio commoditatis Parochi consideranda non est, ad hoc enim quod pertinet negotium, haud privatum commodum, sed lex inspicienda: plura secus orirentur consectaria, quae admitti certe nec possunt, nec debent. Sed neque fidelium commodum obstare potest, qui propriam tenentur vel possunt adire paroeciam, ut devotioni, vel etiam praeceptis sibi impositis ab

Ecclesia satisfaciant. Ceterum cultus Sacrosanctae Eucharistiae in casu non potest, quin aliquid deperdat. Denique Episcopus a Caio erat antea omnino audiendus, ut de casus gravitate ipse iudicaret, non autem proprio marte, et commodi ergo libertatem sibi arrogare id agendi quod certa lex vetat.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. Cap. XII — vide N. 10, pag. 591*).

86. Processiones. Reliquiae Sanctorum deferri possunt etiam in processionibus, non autem sub baldachino, sub quo deferuntur tantum Reliquiae et Instrumenta Passionis D. N. I. C. (*S. R. C. 27 Mai 1826, N. 4620*); neque deferri possunt in processione Ss. Sacramenti (*S. R. C. 17 Iunii 1684, N. 3059 ad 1*). Celebrans vero cum ministris, deferens Reliquias, detecto capite incedere debet (*S. R. C. 2 Septemb. 1690, N. 3230 ad 1*).

Si autem agatur de Reliquiis Beatorum, meminisse iuvat eas deferri non posse, nisi de ipsis indultum officii habeatur (*Alex. VIII, decr. 27 Septemb. 1659, N. 2002 II*). Ceterum in hisce processionibus observandum est Rituale Romanum.

De modis et ritibus, quibus Ss. Reliquiae excoluntur, sedulo inquirat Visitator, et si quid contra leges invenerit, doceat, praescribat et Episcopo in casu referat, ut omnia iuxta decreta fiant.

CAPUT XIII.

De Visitatione Sedium Poenitentialium.

87. Iuxta quod n. 79 innuimus, Visitator deposita stola rubra, violaceam induit, et pergit ad visitandas sedes poenitentiales, quae in ecclesia inveniuntur.

Forma huiusmodi Sedium, sic traditur a D. Carolo (*l. c. c. 23*) " . . . ex tabulis sectilibus vel nuceis vel alterius cuiusvis generis (*confessionale*) totum sit; septum scilicet iis, et a latere utroque et a tergo, et a parte superiori eisdem intectum; a parte anteriori apertum omnino, neque ullo modo occludatur. „

" Habeat tamen ostium, cum sera clavique, ut cum confessarius in eo non est claudatur, ne ibi cum irreverentia ministerii quid agatur, laici, vagique et sordidi homines sedeant, otioseve dormitent. „

" Basis huius confessionalis, ubi Sacerdotis confessarii et poenitentis pedes innixi haerent, ab ecclesiae pavimento alta extet unciis ad summum octo (*Centimetr. 14*); late cubitis duobus (*Cent. 83*); longe cubitis circiter quatuor (*Cent. 166*) pateat. „

" Sedes confessarii in eo sit; quae a basi alta sit cubito et unciis circiter tribus (*Cent. 47*) lata a dextera ad sinistram partem cubito item et dimidio (*Cent. 63*), a fronte ad tergum uno tantum cubito (*Cent. 42*). „

" Totius huius confessionalis structurae altitudo a basi usque ad summum ducta, cubitis quatuor (*Cent. 83*) constet. In parte tabulae intermediae inter confessarium et poenitentem assula item collocetur, in qua ipse confessarius brachio nixus haerere possit; eaque instar repaguli sit, ita ut et deprimi et rursus pro libito extolli queat. „

“ A parte exteriori, poenitentis scabellum ab ima parte latum unciis quatuordecim (*Cent. 25*) basi innixum, et tabulae intermediae haerens, accliviterque ab imo ad summum ascendens altum a basi extet cubito et unciis viginti (*Cent. 77*). Cuius summitatis tabellae leniter acclivis sit, in qua poenitens manibus supplicibus niti possit, dum in confessione genibus flexis est; eademque lata unciis duodecim (*Cent. 21*), longa cubito uno et dimidio (*Cent. 63*). In ima parte hoc scabellum gradum annexum, super quo poenitens genua flectat; quod supra basim emineat unciis octo (*Cent. 14*), late pateat unciis sexdecim (*Cent. 28*), ea longitudine, qua scabellum. „

“ Fenestella in medio tabulae, quae inter confessarium et poenitentem interiecta est, fiat; cuius pars ima emineat supra sedem confessarii cubitum et unciis octo (*Cent. 56*); quae unciis sexdecim (*Cent. 28*) alta, duodecim (*Cent. 21*) vero lata sit. Haec vero fenestella divisa sit in spatia paria tria, relictis in ipsa duabus columellis, seu parvis fulcimentis eiusdem tabulae. Cui fenestellae a parte poenitentis affigatur lamina ferrea plena foraminum, quae singula instar ciceris minuta parvaque sint. Fenestella praeterea, a parte confessarii, configatur tela tenuis. „

“ A parte poenitentis, quae exterior est, loco supra fenestellam, Crucifixi imago apponatur. „

“ Tabulae inter confessarium et poenitentem, affigatur ab illius anteriori parte alia tabula, quae transverse pateat cubitum unum (*Cent. 42*), ita ut pars paulo maior ad poenitentem versus, altera ad confessarium versus spectet. „

Circa tamen huiusmodi confessionalis formam notandum venit quod mensurae hic a. d. Carolo traditae in praecepto non sunt, coetera autem, in plerisque

Synodalibus constitutionibus, imperata legimus, et quovis loco ex consuetudine saltem esse vidimus accepta.

Quoniam vero S. Carolus confessionale describit in quo Sacerdos confessiones audit ab una tantum parte sedis ipsius, dum de fenestella loquitur, tacet de eius ostiolo. Cum autem ut plurimum Sedes poenitentiales in ecclesiis ita conficiantur, ut Sacerdos audire possit confessiones tam dextrorsum quam sinistrorsum, tunc praecipitur ut fenestella a parte confessarii instructa sit ostiolo, quod bene clausum prohibet, quominus unus poenitens a sinistris, audiat poenitentem a destris, et viceversa.

Hoc ostiolum ita conficiatur, ut dum reseratum manet, vultum confessarii contegat.

Quoad autem tentorium, ante confessarium, alicubi scimus esse praescriptum, alicubi vero solummodo toleratum, pluribus vero in dioecesibus, omnino prohibitum.

Sit pro omnibus Synodus Papiensis prima, a venerabili hodierno Episcopo Riboldi promulgata quae (*pag. 87*) praecipit: " Neque tentorio, ut Confessarii facies a circumstantibus non conspicietur, utendum est; cum huic rei satis commode prospiciatur, si anterius ostiolum ita altum sit, ut ad faciem confessarii sedentis tegendam pertingat. "

Nos autem addimus loco velarii bene supplere ostiolum fenestellae, quod ita late pateat oportet, ut totum vultum confessarii cooperiat.

Itaque circa tentorium in confessionalibus Visitator se teneat ad statuta et consuetudines probatas suae dioecesis.

De ornamentis ligneis, vel etiam ex alia materia, quibus decorari possunt sedes confessionales hic non

loquimur, standum enim est locorum usibus, et maioribus vel minoribus ecclesiarum sumptibus; alicubi tamen, quomodo praescripserat Card. Orsini ex lege synodali, praecipitur ut crux emineat in summitate cuiusque sedis poenitentialis.

88. Situs, quo in ecclesiis collocandae sunt huiusmodi sedes, docente Rituali Romano (*Tit. 3, c. 1, n. 8*) *patens* esse debet, *conspicuus* et *aptus*. Item Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, a Crispino citata, die 21 Iunii 1620 decrevit, quod confessionalia tam in ecclesiis saecularibus quam regularibus, in loco patenti, aperto et in populi conspectu essent, non autem in angulis et cappellis.

Cum sedes, de quibus agimus, inservire debeant praesertim pro mulieribus, nefas est quoque illas collocare in choro, aut in presbyterio, bene autem in navibus ecclesiae adhaerentes parieti, aut columnae, prout magis commoditas fert et decentia. Sedes vero pro viris bene disponi possunt in sacrario, aut in choro, sive etiam in parvulis cubiculis ad id paratis, pro locorum consuetudine.

89. Casus reservati. In parte interiori sedium, affixus esse debet edictus Episcopalis de casibus reservatis, nec non censurae de quibus in Bulla Pii Pp. IX *Apostolicae Sedis*. Alicubi praescribitur quoque imago aliqua sacra (diversa ab illa quae inservire debet pro poenitentibus), et formula absolutionis.

90. Stola, superpelliceum. Etsi Rituale Romanum (*l. c. n. 9*) dicat: *Superpelliceo et stola violacei coloris utatur prout tempus, vel locorum feret consuetudo;* nihilominus S. R. C. (*Ambianen. 31 Augusti 1867* ad III.) declaravit convenire ut adhibeatur stola, et alio decreto (*Societ. SS. Sacramenti 7 Iulii 1877 ad IV.*) etiam superpelliceo utendum esse mandavit. Quod sane valde confert ut

populus, qua par est devotione et aestimatione Sacramentum poenitentiae suscipiat. Ceterum, ut bene hic notat clar. Barbier de Montault (*loco cit. pag. 114*), id omnino dignum et iustum est, stola enim requiritur in administratione Sacramentorum. Quod idem dicendum putamus quoque de superpelliceo, non solum quia hodie praescribitur a citato S. R. C. decreto, sed etiam quia superpelliceum in Sacramentis semper requiritur.

Videat ergo Visitator et inquirat, si haec omnia, quae de Sedibus confessionalibus tradidimus, actu deducta sint, quot habeantur huiusmodi sedes, utrum sint sufficientes pro necessitate populi, an quae a Rituali praecipiuntur, circa Sacramentum Poenitentiae executioni demandentur, praesertim circa horam audiendi mulieres; ante enim ortum et post occasum solis audiri nequeunt, nisi occasione Missionis, et tunc luminibus accensis, uti recenter permissum esse audivimus, assentiente tamen Episcopo loci.

(Continuabitur). P. S. Florentii, *Vicarius Foraneus.*

CASUS LITURGICUS

Donatus Parochus ecclesiae, quae est rite consecrata ad honorem S. Euphemiae V. et M. in civitate X, magna exardens devotione erga S. Vincentium, huius imaginem in ara maiori collocat, amota tabula S. Euphemiae Titularis, quam in altari secundario ponit. Parochiani nonnulli huiusmodi immutationem male ferunt, adeuntque Episcopum enixe rogantes, ut res in pristinum restituantur. Episcopus Parochum vocat, qui id fecisse respondit hisce fretus rationibus: 1.° Quia tabula S. Euphemiae Titularis, cum valde prae-

tiosa sit ut caput artis pictoriae, in ara maiori parum visibilis erat. 2.° Quia tabula ipsa revera arae maiori non incumbebat, sed in abside collocata super stallum chori, et ab ara ipsa fere sex metris distabat. 3.° Quia apud suam ecclesiam paucis abhinc annis Puellae Charitatis S. Vincentii domum habent, piasque functiones in ecclesia peragunt, et festum Fundatoris solemniter celebrant.

Has rationes Episcopus Florentio viro liturgico significat, ab eoque requirit, quid sit agendum in casu.

SOLUTIO.

Florentio, cum a Rmo Ordinario de agendo in casu consulatur, certe licebit, imo procul dubio oportebit, modeste quidem, sed prudenti libertate, omnem veritatem patefacere, quamquam ipsa parum arrideat, imo et fortasse aegre ab aliquibus feratur.

Quaeritur igitur: utrum quaestus Parochianorum digni sint, ut ab Episcopo audiantur, eisque satisfiat: utrum rationes a Donato allatae tanti sint ponderis ut saltem Episcopo permittant passive hoc in negotio se habere, resque omnes, uti nunc sunt approbare; vel an potius rationes eiusmodi sint, ut Ipse mandare debeat, ut omnia in pristinum restituantur: tandem practice et in casu, quid agendum.

Imprimis ponendum est quid liturgicae leges circa altarium imagines praescribant.

Imagines in altaribus collocatae repraesentare debent Sanctum, in cuius honorem altaria erecta sunt. At distinguendum est inter altare fixum, et portatile: Altare fixum, neminem latet, illud est, cuius ara lapidea stipitibus seu columnis pariter lapideis immobiliter adhaeret, et speciali formula, in Pontificali descripta, *sub invocatione Sancti, a quo nomen accipit seu cui dicatum est*, consecratur. Et ob hoc Sancti illius, haud solum in Litaniis, quae consecrationi praemittuntur, nomen invocatur, haud solum in chirographo reliquiarum in sepulcrulo incluso, Sancti nomen memoratur, sed et pluries illud nominatur in precibus consecrationis hoc modo: « Sanctificetur hoc altare in honorem Dei Omnipotentis, et ad nomen et memoriam Sancti N. N. »

Altare portatile e contra, in simplici lapide consecrato consistit, qui absque nexu mensae altaris inseritur, et ob suam mobilitatem « *ara viatoria* » etiam dicitur. Sed formula consecrationis istorum sacrorum lapidum a formula, quae in altarium fixorum con-

secratione adhibetur, toto caelo differt, et nomen Sancti in ipsa non memoratur, sed tantum dicitur: « Sanctificetur haec tabula in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

Ex dictis sequitur: altare fixum Deo dicatum esse, in honorem seu in nomen Sancti, a quo nomen accipit; cum e contra *lapis sacer* seu sacra tabula Deo tantum dicata est, absque ulla Sancti invocatione. Seu, aliis verbis, altare fixum proprium habet Titularem, ita ut super illud nonnisi ipsius Titularis imago collocari debeat, dum e contrario *lapis sacer* nullum Titularem habet, et ideo inseri potest cuicumque altari quamlibet habenti imaginem.

His praemissis, patet responsum, num, scilicet, licitum sit imaginem alicuius Sancti ab uno removere, et in alio altari collocare. Etenim vel de fixo altari agitur, et tunc S. R. Congregatio, cuidam Alexandri VII Constitutioni inhaerens, Decreto *Congñis Missionis* diei 27 Augusti 1836, mandavit, imaginem Titularis amoveri ab altari non posse, absque speciali Apostolico indulto. Et in casu Apostolici indulti, parvam tabulam depictam Titularis, ad pedes novae tabulae ponendam esse. Vel de portatili altari agitur, et tunc ad tabulam altaris amovendam Episcopale indultum satis est.

Atqui in casu, altare S. Euphemiae certe eidem Sanctae consecratum fuit; nam cum et ipsa Ecclesia, ut dicitur in casu, consecrata similiter sit, omnibus compertum est, Episcopum ex praecepto etiam teneri saltem altare maius consecrare, quod cum consecratum sit una cum Ecclesia, naturaliter ipsi Titulari dedicatum est.

Quapropter, liquido patet Donatum nullo pacto imaginem S. Euphemiae a suo altari amovere potuisse, ad imaginem S. Vincentii ibi collocandam, sine Apostolico speciali indulto: adeo ut si Episcopale indultum tantum adfuisset, sufficere non potuisset.

At maiora premunt, si enim Sedes Apostolica aliquando mutationem indulsit imaginis Sancti Titularis alicuius altaris fixi, hoc numquam fuit altare maius. Visitator Congregationis Missionis provinciae Neapolitanae, cultui restituens ecclesiam S. Nicolai, suae Congregationi tunc concessam, inter alia haec a Sede Apostolica quaesivit... 3. *Quoniam in huius ecclesiae ara principe, nulla extat icon, ut ibidem collocari valeat illla B. Mariae V. titulo Conceptionis.* Et S. R. C. (27 *Augusti 1836*), respondit: .... ad 3 *negative, et apponatur imago S. Nicolai Titularis.* Cum autem idem Visitator instans exposuisset quod: *S. Nicolaus in dicta Ecclesia*

veneratur et colitur in apposita aedicula, ac propterea supplicasset, ut in ipso maiori altari apponi possit imago Conceptionis Deiparae, eadem S. R. C. (*die 11 Martii 1837*), respondit: *Relinquatur imago S. Nicolai in aedicula propria*, SED IN ARA MAIORI PONATUR ICON ILLIUS SANCTI IN CUIUS HONOREM EST CONSECRATA. Si ergo tanto vigore S. R. C. voluit, ut in ara principe imago Titularis ecclesiae collocaretur, etiamsi prius nulla icon extitisset; et quamvis ageretur de imagine Deiparae collocanda in ipsa ara principe, quanto maiori rigore ageret ipsa in casu nostro, in quo Titularis ecclesiae iam suam imaginem in ara maiori habebat?

Praeterea non tantum hae leges luculentissimae, sed et ipse popularis sensus christianus, mutationem imaginis in casu, omnino reprobandam docet. Parochiani enim male tolerant, quod in eorum ecclesia, super cuius ara principe rite icon S. Euphemiae Titularis habebatur, hodie in secundario altari collocata sit, id reputantes quasi cultus diminutionem erga Titularem eumdem.

Neque dicatur, in nonnullis ecclesiis antiquioribus, super altari maiori imaginem haberi diversam a Titulari Ecclesiae, nam talis anomalia toleratur tantum, neque in exemplum proferenda est pro casu nostro.

Quae cum ita sint, nullius roboris existimandae sunt rationes a Donato Parocho prolatae in sui excusationem. Non prima, quia si tabula S. Euphemiae reapse sit caput artis pictoriae, et parum visibilis in ara maiori, bene poterit eam Parochus amovere, ut aliam tabulam grandiorem et evidentiorem ibidem collocet, eo tamen pacto ut haec imaginem referat Titularis. Non secunda, quia licet in casu Tabula Titularis maiori altari non incumberet, sed in abside chori collocata, uti fere in omnibus ecclesiis quae chorum habent post aram principem, hoc non impedit quod tabula eiusdem arae principis iure consideretur. Quicumque enim in ecclesiam ingreditur, licet imago in abside chori sit collocata, eam reputat Tabulam esse maioris altaris, cum quo absis fit unum et idem, moraliter saltem. Non tandem valet tertia ratio; quia, si Puellae Charitatis domum habent in casu apud S. Euphemiae ecclesiam, in qua pias peragunt functiones, et festum Fundatoris solemniter celebrant, bene poterunt in altari secundario aliquam tabulam S. Vincentii collocare, permittente Episcopi loci; imo, in die festo eiusdem S. Fundatoris, eius imaginem supra altare princeps imponere, ea tamen lege, ut solemnitate eius peracta, imago suo loco reponatur. Hoc esset omnino consentaneum legibus liturgicis, et

consuetudinibus acceptis, et sensui populi christiani non contrarium.

Florentius ergo Episcopo suo inquirenti respondebit: 1.° Quaerelas parochianorum S. Euphemiae in iure fundamentum habere ideoque excipiendas esse. 2.° Non ultra tolerandam esse tam enormem legum infractionem a parocho Donato peractam, cum quodam populi scandalo. 3.° Episcopo tandem suadebit, ut Parocho praecipiat res in pristinum restituere; et statim ac festum prima vice occurrat S. Euphemiae Titularis, huius imaginem ea die in ara principe collocet, non amplius removendam.

Quoad autem imaginem S. Vincentii Florentius Episcopo respondebit, illam optime in ara minori collocari posse, ex ipsius Episcopi indulto, dummodo ara non sit *fixa*.

P. A. P.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Utino.* **De tempore solemnis Missae in nocte Nativitatis celebrandae.** Solemnis Missa in Nocte Nativitatis Christi celebranda, potest ne ita ante mediam noctem habere initium, ut consecratio statim post mediam noctem comprobetur, sicuti in pluribus hic accidit Ecclesiis?

Resp. Adeo exploratum est, ex generali lege, Missam in casu nonnisi post mediam noctem posse celebrari, ut arbitremur, in hoc demostrando tempus non esse frustra terendum. Etenim, vel Bullam S. Pii V consulas, quam ipse admodum Rev. inquirens citat, vel Missalis et Breviarii Rubricas, vel auctores omnes ab antiquioribus ad recentiores, neminem reperis, qui id non doceat tamquam certum et omnino in praxi sequendum. Forte unus cl. De Herdt, Gardellinio in-

nixus, quid in contrarium videtur asserere, dicens: " Haec dispositio Rubricarum quoad designationem temporis, quo Missae solemnes sunt celebrandae, tantum *directiva* est, quatenus pro circumstantiarum diversitate, locum relinquit alicui moderationi **ab Apostolica Sede obtinendae** (*Pars 5, n. 4. 1.°*). „ Id autem a cl. Gardellinio accepit in nota ad Dub. 1. Decreti in *Tiburtina* 4603, 40 Mart. 1824. At primo animadvertimus, vix posse intelligi quomodo directiva Rubrica dicenda sit, pro cuius dispensatione Apostolicae Sedis potestas requiritur. Secundo, hoc quoque dato, non tamen concesso, directivum non respiceret tempus primae Missae post mediam noctem ex praecepto ab omnibus admisso celebrandae, hoc sensu ut ante hoc tempus eam dicendi sit potestas; sed alio prorsus, ut scilicet tardius ea cantari possit, uti ex contextu eruitur. Unde certo certius cum ceteris, tam Gardellinius quam De Herdt, plane conveniunt.

At casus noster respicit Utinensem Ecclesiam, aliasque plures eiusdem dioecesis, quae Veneto Patriarchatui subiiciuntur: de quibus aliquid particulariter advertendum nobis est. Itaque notandum primo cum Gavanto, dari praefatae legi contrariam posse consuetudinem, ait enim: " Quod si celebraturus sit ante mediam noctem ex privilegio vel **legitima consuetudine** *etc.* (*Pars IV, Tit. III, n. 5*). „ Ferrarius autem peculiariter loquitur de hac consuetudine, in Ecclesia S. Marci Venetiarum vigenti dicens: " Qui ex privilegio vel consuetudine celebrant ante mediam noctem, ut patet de Primicerio S. Marci Venetiarum etc. (*Ad verb.* Missae Sacrific. *art. V, n. 46*). „ Hanc dari consuetudinem legitimam posse etiam docet Diana, cuius verba citatus Ferraris refert (*ib. n. 56*), addens, *in ordinario patriarchali, quod anno quolibet Ve-*

netiis evulgatur, die 24 Dec. haec legi: " **Celebrantes ante mediam noctem** sint ieiuni a media nocte antecedenti etc. „ Eamdem legitimam consuetudinem in Veneta S. Marci Ecclesia, sicuti in Pontificia Cappella. refert etiam Macri (*Verb.* Missa Nativ. Dom.), qui et eam excusat, dicens utrumque locum imitari quodammodo voluisse mediam noctem Bethlehemiticam, quod computatione ostendit. Idem quoque legitur in Piscara Castaldo, qui imo docet, Ecclesiam S. Marci Venetiis, *in ipsis crepusculis Vigiliae* (Nativitatis Domini) officia incipere, sicut ex Ordine Romano olim in Ecclesia S. Petri consuevisse legimus (*Prax. caerem. Lib. III, Sect. II, cap. 1, n. 3.*) Quod si in praesenti ita celebratur Missa ante mediam noctem, ut consecratio ipsi mediae nocti propemodum respondeat, id fortasse accidit progressu temporis, quando lex de hac Missa nonnisi post mediam noctem canenda firmiorem accepit sanctionem. Id autem evenire certo potuit postquam S. Pius V per Constitutionem **Sanctissimus**, *in virtute sanctae Obedientiae*, et poena perpetuae Suspensionis a divinis imposita, iniunxit: " Ne deinceps Missas vespertino tempore, huiusmodi licentiarum et facultatum, aut alio quovis praetextu, celebrare vel celebrari facere praesumant. „

Ex his facile patet, consuetudinem communi legi oppositam, quae Venetiis forte etiamnum (1) servatur, esse satis antiquam, nisi S. Marci Ecclesia vero privilegio donata dicenda sit. Patet insuper, quomodo exemplum Ecclesiae S. Marci influere potuerit in alias

(1) Ita in incertum loquimur, quia in Calendario Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum legitur (*die 24 Dec.*): « In Nativ. Dom., nisi aliter ex disp. Ap. disponatur, POST MEDIAM NOCTEM... celebratur prima Conventualis Missa etc. »

Patriarchatus Ecclesias: ut quod in illa vel ex privilegio (nullum enim legimus auctorem contra eiusmodi S. Marci Missam obloquentem), vel ex legitima consuetudine fiebat, aliae imitatae fuerint. Ea propter auctoribus citatis aliisque nos gerentes morem, praefatam consuetudinem non audemus improbare. Adeo ut, si in praesenti viget, sana ratio dictet, eam ad minus non esse immutandam, nisi postquam competens auctoritas suam explicite voluntatem patefecerit: quam tamen auctoritatem, nisi certo res constet, omnino consulendam credimus. Ita salvo meliori iudicio.

II. *Ex eodem loco.* **De paramentis ex materia vetita in Ecclesiis PP. Capulatorum, ubi sunt permissa.** Nuper, seu anno 1885 Ordo PP. Capulatorum ad quaesitum: *Utrum Capuccini teneantur ad observantiam decretorum, praecipue 18 Dec. 1877, et 28 Iul. 1881, circa materiam paramentorum,* respondit S. R. Congregatio: " Affirmative. „ Indultus est nihilominus usus paramentorum ex prohibita materia iam confectorum, *donec consumentur.* Iam quaeritur, utrum Sacerdotes exteri in illorum confluentes Ecclesias iisdem paramentis uti possint?

Resp. Affirmative respondendum credimus. Ratio est, quia eiusmodi paramenta in Ecclesiis PP. Capulatorum permissa sunt, licet ad tempus. At praesumi non potest, eadem Sacerdotibus exteris in illorum Ecclesiis esse vetita, qui secus amplius ibi celebrare nequirent. Hoc autem in casu indultum, quod per se favorabile esse debet, satis pro dictis Patribus grave odiosumque fieret. Cum ergo ea paramenta licita sint in praefatis Ecclesiis pro PP. Capulatis, etiam pro aliis Sacerdotibus ibi celebrantibus licita fiunt. Ceterum nullus Sacerdotum de qualitate paramentorum

tenetur inquirere cum in aliena Ecclesia celebraturus est. Denique communiter admittitur, eiusmodi paramenta, in aliis quoque Ecclesiis adhiberi posse, si sint vetito saltem antiquiora. Iis ergo utatur Sacerdos in casu, quae illi offeruntur, atque in Domino celebret.

III. *Ex Iaca Regali in Sicilia.* **De oratione** *Sacrosanctae* **post non absolutas Horas Canonicas.** Qui recitavit Completorium in choro, aliquam nihilominus Horam, puta Primam vel Tertiam dicere adhuc debet, potest ne *Sacrosanctae* in choro omittere, ut post omnes Horas recitet, sicque veniam obtineat defectuum, quos forte admisit in totius officii decursu?

Resp. Admodum Rev. inquirens supponit fortasse, et quorumdam opinio est, nonnisi semel sortiri effectum suum orationem *Sacrosanctae:* ut proinde ad remissionem acquirendam defectuum in totius officii recitatione admissorum, nonnisi semel et in fine omnium Horarum esset recitanda. Quidquid sit de hac sententia, satis probabilius arbitramur, eam toties posse recitari, quoties aliqua ex Horis Canonicis absolvitur. Aliud ex concessionis formula argui non potest, quae prout in Breviariis prostat sic sonat: " Orationem sequentem devote post officium recitantibus Leo Papa X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit. „ Ergo semel quidem, sed quoties post aliquam Horam ea oratio dicitur, defectuum remissio in eiusdem Horae recitatione patratorum obtineri potest. Imo non desunt qui sustinent, esse ad effectum toties recitandam, quoties aliqua officii pars absoluta fuerit. At quae magis videtur tenenda opinio est, liberum esse, saltem in recitatione privata, vel post singulas partes, vel post totum officium eam dicere, et semper effectum haberi posse. Ita Cavalierius (*Tom. 2,*

Cap. XL, decr. 338, n. VIII) quem sequitur De Herdt (*pars 4, n. 374*), Maugere (*Le Brev. Rom. commenté, 4 par. Cap. 4, art. II*), qui et alios plures citat, uti Minderer, Amort, Theodorum, Gobat, Maurel. Qui ultimus addit, Summum Pontificem hoc sensu negotium explicasse.

Diximus tamen *in recitatione privata*, quia in chorali, quando communiter dicitur, ab omnibus est recitanda, ut nulla posset ratione probari illius agendi ratio, qui a Communitate in hac recitatione differret, etsi alia ex Horis adhuc ab eo dicenda foret post Completorium. Ceterum cum ratio istius agendi rationis nulla sit, iam patet ad propositum dubium responsio. Chorali Communitati se conformet, orationem *Sacrosanctae* recitans: postea alias Horas, quas omittere iusta de causa potuit, recitet, iterumque dicat *Sacrosanctae*, si ei cordi quidem sit culparum, quas ex fragilitate contraxit, percipere remissionem.

IV. *E Ragusa in Dalmatia.* **De stolae delatione in Benedictione a Concionatore petenda.** Concionator benedictionem ab Episcopo antea petens, stola ne indutus esse potest, vel super brachium eam deferre debet, ut communiter fit?

Resp. Notabimus ante omnia, Caeremoniale Episcoporum de stola in casu verba non facere, licet de habitu loquatur, scilicet de cappa supra rochetum, vel de alio proprio habitu canonicali (*Lib. 1, cap. XXII, n. 2*). Supponit autem, ut perspicue educitur ex contextu, neque alio intelligi sensu potest, Concionantem benedictionem ab Episcopo petere habitu proprio indutum. Ex quo sequeretur, etiam stolam illi esse deferendam, si ex laudabili consuetudine mos invectus fuerit cum stola concionandi. At oppositum omnino tenemus; aliud enim est habitus canonicalis, de quo

Caeremonialis lex, aliud vero stola, de qua lex silet. Ille enim est habitus ecclesiasticus, quo convenit omnino, ut Concionator accedens ad Episcopum pro benedictione petenda indutus appareat; ista vero dignitatis et officii signum est, quo munitus verbi Dei annuntiandi munus obit. At satis indecorum credimus, ut eiusmodi signum induat Concionator, antequam per benedictionem Episcopi facultatem quodammodo concionandi recipiat. Namque, uti notum est, hic est finis, ob quem benedictio a superiore petitur, sicut in Epistola legenda, in Evangelio, vel in lectionibus, ita etiam pro concione. Omnino ergo probandam et sequendam credimus laudabiliter sapienterque inductam consuetudinem, vi cuius Concionator non induit, sed super brachium tenet stolam dum benedictionem petit. Qua postea accepta, tamquam facultate officii sui gerendi habita, stolam induit, et ad concionandum procedit in nomine Domini.

Nota. De luctu signis, quae Sacerdotes more patrio quandoque deferunt in funere Parentum vel amicorum vix respondemus, non enim ad rem pertinere videntur. Hoc unum dicemus, rem plane indifferentem esse luctum huiusmodi per aliqua ex more in habitu signa mostrare, dummodo ecclesiastico decori conveniant. Ceterum non decet, ut Sacerdotes iis qui nimis mundo inserviunt, ad hoc quod pertinet negotium morem gerant. Alicubi morem inductum perspeximus oculis nostris, quo Sacerdotes, nonnisi pluribus post diebus ab alicuius morte e domo exibant, et a Missa ipsa proinde abstinebant: quod sane tolerabile non apparet. Itaque honestis moribus, si qui sint, patriis, uti et Sacerdotes indubie poterunt; sed coetus nostri honori consulamus semper, et ne simus sicut ceteri qui spem non habent.

V. *Ex eodem loco.* **De chirothecis Episcopi in prima conferenda Tonsura.** Si Episcopus omnes collaturus sit Ordines cum Tonsura, in hac conferenda ut commodius capillos recidat, potest ne se chirothecis exuere?

Resp. Equidem sine chirothecis Tonsuram conferri posse ab Episcopo indubium est. At cum omnes Ordines conferre debet, maxime si Ordinatio generalis sit, ex praescripto Pontificalis omnibus pontificalibus ornamentis esse debet indutus, inter quae et chirothecae sunt. Qua ergo de causa eas dimitteret? Ut commodius capillos recidat. Sed praeterquamquod vix chirothecae in levissima hac capillorum recisione incommodum afferunt, sequentia notamus. Rubrica Pontificalis eas in casu praescribit induendas, consequenter iis indutus capillos Episcopus recidet. Insuper suis hoc ornamentum Pontificis mysticis gaudet significationibus, peculiariter humilitatis et fidei: illam exprimunt chirothecae per aureum circulum, quem desuper habent, istum quia inconsutiles, ut Durandus ait (*V. Catalanum Comment. ad Pontif. Rom. Tom. I, cap. XVI, n. V.*). His autem praecipue fulgeat oportet Episcopus dum Pontificaliter agit. Denique sicut in simplici collatione Tonsurae chirothecae non requiruntur, ita eae omnino convenire videntur in solemniori, qualis profecto est, si simul cum maiorum Ordinum collatione conferatur.

VI. *Ex Austria.* **De manipulo in Communione fidelium post Missam.** Si statim post Missam Celebrans distribuat communionem fidelibus, debetne manipulum deponere?

Resp. Nulla lex id iubet liturgica, nullus, quantum scimus, auctorum id docuit, recto sensui quoque opponitur: ut Celebrans proinde nullo ex paramentis pro celebranda Missa deposito, distribuat fidelibus Communionem.

VII. *Ex eodem loco.* **De tempore adhibendae stolae.** Quando stola adhibenda est?

Resp. Eiusmodi est petitio proposita, ut vix per prolixiorem dissertationem ei fieri posset satis. Quae leges liturgicae statuunt perpendentes, sequenti arbitramur certo ex iis inferri posse consectaria: 1. Stola in omni Sacramentorum et Sacramentalium confectione et administratione semper adhibenda est. 2. Stola in sacris functionibus adhiberi, vel ex usu vel ex privilegio potest, quoties Sacerdos, vi muneris quo fungitur, manifestare quodammodo debet dignitatem, potestatem, auctoritatem suam. Prima norma omnino secura est, quippe quae a S. R. C. determinata, Rubricisque plane conformis. Secunda vero satis est indeterminata, cum de consuetudine vel indulto agatur; hinc pro praxi limitatio, quae in pluribus casibus a decretis ponitur, attendenda est. Aliud securius asserere vix possibile credimus, nisi ad particulares casus descendatur: quod agere hic pro instituto nostro vetamur, ne in longius nimis abeamus.

VIII. *Ex eodem loco.* **De precibus exequialibus in domo defuncti.** Si delatio defuncti fiat e domo ad coemeterium, quin eatur in Ecclesiam, quaenam in domo adulti, quaenam in domo infantis, defunctorum dicendae preces?

Resp. Animadvertimus imprimis, defunctos haud in Ecclesiam, sed statim e domo ad coemeterium deferre, *per se* contra Rituale esse. Diximus tamen *per se,* dari enim casus necessitatis forte possunt, qui id permittant. Tunc autem distinguendum est: aut cadaver defertur in Cappellam coemeterii, aut non. In prima hypothesi, quae in Ecclesia preces recitandae forent, optime in Cappella coemeterii recitari possunt et debent, quae Ecclesiae vices agit. Consequenter

hac in hypothesi preces in domo recitandae, sunt illae tantum, quas Rituale praescribit Tit. VI, cap. 3, n. 2. In altera vero hypothesi, certe in ipso coemeterio aula mortuaria habebitur, ad cadavera recipienda, antequam sepulturae tradantur, destinata. In ea ergo fieri quae, si in Ecclesia deferretur cadaver, preces fierent, optime possunt, quin necessarium sit eas recitare in domo defuncti, in quo pariter nonnisi quae in Rituali, nuper citato loco, praescribuntur, dicendae sunt.

Quae autem de defuncto in genere diximus, seu domi, seu in Cappella, seu in aula mortuaria considerato, aeque ad adultos ac infantes applicanda sunt, ita ut Rituale servari in utroque casu possit, et meliori qua potest fieri ratione debeat.

IX. *Ex eadem Austria* **De orationibus post Missam lectam lingua vulgari**. Tres *Ave*, *Salve Regina*, et ℣. *Ora pro nobis*, dici ne possunt vulgari lingua? Et hoc in casu potest ne indulgentia, qua sunt ditatae, lucrifieri?

Resp. 1. Affirmative, salvo meliori indicio. Nam preces huiusmodi licet post actum antonomastice liturgicum sint praescriptae, actum nihilominus liturgicum non constituunt, cum in nullo ex codicibus liturgicis inscriptae inveniantur. Vel certe ad minus, quamvis preces praefatae seorsim sumptae tamquam liturgicae considerari possint, nihilo tamen minus eae omnes actum illum componentes, qui a Sacerdote simul et populo post Missam peragitur, extraliturgicus est. Nulla autem lex vetat, quominus praedictae orationes idiomate vernaculo recitentur. Imo in pluribus id in usu est nationibus, uti ex. gr. in Gallia, in Germanica regione et alibi: in quarum prima ipsimet Rosarium B. M. V. pluries et solemniter, in chorali functione, gallica lingua recitavimus. Nil ergo pariter in casu

impedire videtur, quominus eadem angelica salutatio, et antiphona cum respectivo versu in vulgarem possint linguam verti, cum eadem sit ratio naturae extraliturgicae.

Resp 2. Indulgentia vero, quae 300 dierum est, utrum lucrifieri possit, dubitari non potest, saltem si generale inspiciatur principium. Ratio est, quia S. I. Congregatio in suis decretis authenticis et hoc inseruit, quo declarat, licere vertere in aliam linguam preces cum indulgentiis, quin eaedem indulgentiae amittantur (*30 Sept. 1852, n. 361*). Ita quidem, sed salvo meliori indicio diximus; quia fortasse pro italis regionibus plurimis, huiusmodi versio vix sine scandalo aut admiratione fieri posset, cum populus in responsionibus latinis apprime sit instructus. Ultimo notamus, preces istas post Missam lectam praescriptas, nec posse nec debere recitari post cantatam: ut consequenter nec indulgentia lucrifieret in casu, esset enim actus contra voluntatem legislatoris, cui praesumendum non est, adnectere eumdem legislatorem indulgentiam voluisse.

X. *E Carnuto in Gallia.* **De dedicatione Cathedralis Ecclesiae, ubi fit omnium Ecclesiarum.** In Calendario Ecclesiae B. notatum legitur speciale festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ritu dup. 1. cl. cum octava pro Clero illi adscripto, et assignatum est diei 17 Octobris. Clerus iste debetne agere quoque festum Dedicationis omnium Ecclesiarum Galliae sub eodem ritu?

Resp. In toto territorio reipublicae Gallicae ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802, et declaratione Emi Card. Legati 21 Iun. 1804, anniversarium omnium Ecclesiarum consecratarum celebrandum est in Dominica, quae diem octavam Omnium Sanctorum subsequitur, dicimus cum De Herdt, quem

literaliter retulimus (*Pars. 3, n. 114*). Quo ergo iure Ecclesia B. notatum habeat in suo Calendario festum suae Dedicationis die 17 Octobris non intelligimus; quia Dominica octavam Omnium Sanctorum subsequens, est mobile, dies vero 17 Octobris est festum fixum. Praeterea, idem prosequitur citatus auctor, nullum aliud anniversarium Dedicationis, sive Cathedralis, sive alicuius Ecclesiae particularis, celebrari potest, eo quod cuiusvis particularis Ecclesiae Dedicatio intelligatur comprehensa et celebrata in festo anniversarii Consecrationis omnium Ecclesiarum (*loc. cit.*). Quo ergo iure Ecclesia B. Dedicationis suae anniversarium celebret, atque inquiratur, utrum etiam omnium aliarum Ecclesiarum Dedicatio celebrari debeat, similiter non intelligimus. Velit ergo, oramus, nos docere adm. Rev. inquirens quomodo res se habeant in illa Ecclesia B. secus respondere non possumus.

Eadem responsio ad PP. Carmelitas quod attinet pro tribus quaesitis.

Nota. Pro assignandis novis officiis, quorum dies in Calendario universali assignati sunt impediti, teneatur generalis regula, quam hucusque S. R. C. exhibuit, ad novum saltem ordinem usque: nempe nova officia in primam diem liberam reponantur.

XI. *E Ferentino in Hernicis.* **De lectionibus S. Leonardi a Portu Mauritio.** Quaenam sint lectiones III Nocturni in officio S. Leonardi a Portu Mauritio, *Designavit*, an *Sint lumbi vestri praecincti?*

Resp. Lectiones in casu, haud illae sunt, quae prius recitabantur, seu *Sint lumbi vestri* etc. sed *Designavit*, prout in editione recentiori typica legitur, in aliisque recentius a S. R. Congregatione approbatis, quae typicae sunt plane conformes.

XII. *Ex eodem loco.* **De Commemorationibus in Missa votiva SS. Cordis Iesu.** In Missa votiva SS. Cordis recentius a Summo Pontifice indulta in primis sextis feriis mensium nulla ne debet fieri commemoratio?

Resp. Nulla fieri commemoratio debet; eiusmodi enim Missa ad instar est votivarum solemnium, iuxta decretum *Montis Politiani* d. d. 20 Maii 1890 ad Dub. I.

XIII. *Ex eodem loco.* **De officio defunctorum in choro statuta recurrente feria iuxta Rubricas dicendo.**

Quaeritur: Utrum Canonicorum Collegium, quod nonnisi in Dominicis et festis praeceptivis choro assistere tenetur, debeat recitare Vesperas Defunctorum in Dominicis, si feria II insequenti chorum non habet, proindeque nec nocturnum recitare debet?

Resp. Negative, salvo meliori iudicio. Ratio est, quia primae Vesperae non solum vivorum, sed et defunctorum, ad Matutinum ordinantur. Cum autem in nostra Liturgia inusitatum plane sit Vesperas fieri de eo, de quo Matutinum recitari non debet, idem in casu principium applicandum credimus. Non enim congruit, ut officium per Horam primam relative minorem initium habeat, cum potior sit omittenda. Cl. Gavantus (*Lect. IX, cap. II, n. 14*) hanc quaestionem sibi proponit: utrum occurrente Vigilia Nativitatis Domini in feria 2 hebdomadae 4 Adventus, ea die recitandum sit hoc officium? Et auctoritate Breviarii MS. 1550 aperte id negat, *quia*, inquit, *non debent dici Vesperae, nisi dicatur etiam Nocturnum cum Laudibus*. Hinc arbitramur, Vesperas in casu esse omittendas, et applicari posse principium: accessorium sequitur naturam principalis.

XIV. *E Gallia.* **De stolae colore in benedictionibus.** Cuiusnam coloris debeat esse stola in benedictionibus adhibenda, quando Rubricae particulares Ritualis circa

hoc negotium tacent, v. g. in benedictione novae crucis, novae imaginis etc.?

Resp. En Ritualis norma circa benedictiones extra Missam: Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur (*De Bened. Reg. Gen. Tit. VIII, Cap. 1*) „. Quae norma non nimis materialiter nobis videtur accipienda. Et putamus to *saltem*, quod Ritualis Rubrica adhibet, afficere etiam paramentorum colorem; adeo ut sensus sit, *saltem diei colorem adhibendum*, si alterius coloris, qui proprior sit benedictionis, facile non suppetant indumenta. Huic amplae explicationi nonnulli favent auctores. Cl. Herdt ait, *generaliter utendum esse colore officii currentis* (*Pars. 1, De Col. Param. Tit. XVIII, n. 152*). Baruffaldi, loquens de Imaginum Christi, B. V. et Sanctorum benedictionibus, haec habet: " Quo colore autem debeant esse paramenta, nempe pluviale, sive stola adhibenda a benedicente in tali functione, nemo est qui doceat. Ego puto, quod ista paramenta esse debeant coloris convenientis Ordini hierarchico illius Sancti seu illius imaginis depictae: nempe si Martyr, rubea: si Confessor, aut Virgo, alba: et huiusmodi ad praescriptum in Rubricis de colore paramentorum etc. (*Tit. LXX, n, 13*) „. Insuper Pontif. Rom. in Benedict. Imaginis B. M. V. colorem album expresse ordinat.

Ex qua Pontificalis dispositione et ex cl. Baruffaldi verbis, nobis liceat hanc instituere normam: Quando particulares Ritualis Rubricae, circa stolae colorem in benedictionibus adhibendae, silent, tunc stola, vel colori diei respondeat, vel pro natura rei benedicendae, rubea sit vel alba etc. Quod si res benedicenda huiusmodi sit naturae, ut nullum ex se

specialem exigat colorem, albus adhibendus cum alius ab albo color nimis a natura functionis discordet.

XV. *Ex eodem loco.* **De nona Lectione in Matutino.** In Ecclesiis, in quibus S. Martinus Ep. Turon. est Patronus, die octava (18 Nov.), de qua fieri debet officium, ad Matutinum tres lectiones secundi Nocturni festi occurrentis Dedicat. Basilic. SS. Petri et Pauli, in unum coalescere ne debent ad constituendam nonam lectionem?

Resp. Affirmative. Primo ex Rubricis Breviario praemissis, quae docent, historicas lectiones simplicis, pro nona festi lectione dicendas, in unum coalescere debere. Secundo ex responsione S. R. C. Congregationis sequenti dubio: " Quando substituenda est Homilia Dominicae, Vigiliae, etc., aut lectio simplicis nonae lectioni Festi, quod habet novem lectiones, an quandoque praecipitur, aut convenit nonam lectionem Festi iungi octavae, puta cum nona lectio continet laudem propriam Sancti vel Sanctorum, de quibus fit Officium, ut in Officio S. Ioseph etc.? S. Congregatio respondit: Debere iungi, si sint historicae, secus convenientius posse (*die 23 Maii 1835*) ". Si ergo S. R. Congregationi tanti cordi sunt historicae lectiones, ut velit et praecipiat ipsas adiungendas esse etiam octavae lectioni, a fortiori dicendum est, arguendo tamen non asserendo, ipsam velle, ut lectiones praedictae, Dedicationis nempe Basilicarum SS. Petri et Pauli, utpote vere historicae in unum coalescant. Ita salvo meliori indicio.

XVI. *E Panormo.* **De ritu quoad Missam observando a Regularibus Ecclesias regentibus.** Hoc in territorio, praeter paroeciam, sunt aliae Ecclesiae, quae a Regularibus Presbyteris dispersis reguntur: possunt ne isti Missam celebrare iuxta ritum suorum Ordinum, praesertim si Ecclesia succursalis sit?

Resp. Affirmative. Quaestionem propositae relationem dicentem pertractavit Academia Liturgica Romana *(an. 1888, die 2 Maii)*, conclusitque, Regulares Ritu diverso a Romano utentes, proprium, ut alium sequantur ritum, non posse relinquere. Hic satis sit referre Decretum *Americae*, d. d. 27 Sept. 1873, statuens, Sacerdotem etiam extra claustra degentem, posse et debere iuxta ritum sui Ordinis Missam celebrare, et Missale eiusdem Ordinis adhibere (*Vid. Ephemer. an. III, pag. 584-594*).

XVII. *Ex eodem loco.* **De Missae celebratione in altari SS. Sacramenti.** In altari Ecclesiae, ubi SS. Sacramentum asservatur, necesse ne est Missam peragere quotidie?

Resp. Negative, nam nulla lege praescriptum est; imo iuxta plures nedum in altari SS. Sacramenti necessum non est quotidie celebrare, sed nec et in ipsa Ecclesia. At quamquam et nos olim hanc sustinuimus thesim, nunc tamen post animadversiones in nostra Romana Academia Liturgica habitas, et S. R. C. Decreto diei 16 Martii 1833 innixi, sententiam secundae parti dictae thesis contrariam iam defendimus. Quapropter cum S. R. Congregatione dicimus, rectorem Ecclesiae, ubi SS. Sacramentum semper asservatur, teneri ad quotidianam missae celebrationem. (*Vid. pag. 11*).

Nota. Ad tertium quod attinet dubium, affirmative pariter respondemus, cum dicta consuetudo dissona a Rubricis non sit.

XVIII. *E Neapoli.* **De remotione aquae benedictae a vasis prope ecclesiarum fores.** Rectores quidam huius urbis Ecclesiarum, *quadraginta horarum* occasione, aquam lustralem a vasis prope fores Ecclesiarum removere faciunt, hac potissimum ducti ratione, idem

feria V in Coena Domini ab Ecclesia praescribi. Quid dicendum?

Resp. Haud verum est, remotionem aquae lustralis a vasis prope Ecclesiarum fores ab Ecclesia praescribi. Nam certum est, nulla positiva lege, nullo Rubricae praecepto, sed e praxi tantum, aquam benedictam a vasis prope Ecclesiarum fores ultimo Maioris Hebdomadae triduo, removeri. Hinc S. R. C. hoc super negotio interrogata respondit: " Retinenda consuetudo illam (aquam) amovendi: „ in ultimo scilicet maioris Hebdomadae triduo (*Dec. in una Mars. 12 Nov. 1831, ad 60*).

Quapropter nescimus quo iure Rectores isti aquae lustralis remotionem quadraginta horarum occasione proprio marte iubeant, cum et Ecclesia et Decreta et Rubricae sileant, et praxim universalem ex adverso habeant. Accedit quod et ratio, quae pro aquae benedictae remotione in triduo Maioris Hebdomadae militat, conformitas, nempe, aliqua mysteriis, quae Ecclesia his diebus in fidelium mentes revocat, nullo modo pro remotione aquae, quadraginta horarum occasione, militare potest. Arroges etiam, Ecclesiam permittere, imo approbare aquae remotionem in Maioris Hebdomadae triduo ad significandam quoque totalem illam ac perfectam renovationem ab Apostolo magnopere fidelibus commendatam, et in Christi resurrectione ac in Sacramentorum Sacramentaliumque materiae renovatione, quae his diebus perspicitur, figuratam. Quae omnia in SS. Sacramenti publica expositione non comprobantur. Quapropter censemus, quod sicut S. Congregatio usum removendi aquam lustralem in triduo Maioris Hebdomadae non reprobandum censuit, cum fidelibus peculiarem ritum mysteriis, quae celebrantur, consonum offerat; ita procul dubio usum illam

removendi, quadraginta horarum tempore, reprobandum censeret, utpote nullam habentem sive conformitatem sive consonantiam mysterio, quod ea tempestate recolitur.

XIX. *E Laude Pompeia.* **De annuntiatione festorum in Martyrologio.**

Quaeritur 1. Dominicae Maiores suntne omnes annuntiandae in Martyrologio? 2. Si qui sunt Sancti peculiaris Ecclesiae, quorum extat elogium apud Martyrologium aliquod Monasticum, potestne huiusmodi elogium legi ab iis, qui Martyrolog. Rom. legere tenentur? 3. Elogium quorumdam Sanctorum, qui nullo gaudent cultu neque in Dioecesi neque extra legi ne potest? 4. Beati quorum Officium non dicitur neque commemorantur, possuntne annuntiari in Martyrologio?

Resp. 1. Liturgici omnes uno ore affirmant Dominicas, si Septuagesimae et Palmarum excipias, annuntiandas non esse. En ratio, quam Cl. Cavalieri affert: " Quia etsi festi nomine veniant, stricte tamen festa non sunt (*Tom. II, c. 37, dec. II, n. 8*) „: et cl. A Carpo etiam adiungit, " *ut liquet ex usu ipsius Martyrologii* „.

Resp. 2. Haec Rubrica Martyrologii habet " Festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur: quod etiam servandum erit et in festis mobilibus, ut infra dicetur, *et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum* in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi praecipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur officium; si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, etc. „. An vero de ipsis et legi possit elogium in Monastico Martyrologio inscriptum,

audiatur A Carpo: " Sancti porro (aut Beati), quorum in Martyrologio mentio desit, ratione Officii, quod de illis peragendum est, debent sane paucis verbis commemorari; sic tamen ut proprio cuiusque nomini necnon qualitati Martyris, Ep. Conf. etc. et loco obitus, nihil praeterea adiungatur, nisi forte praesto sit elogium a S. Sede adprobatum (*Adnotat. in Calend. Perp. n. 13. III, ex Guyeto lib. 2, c. 15*) ". Quapropter incongruum non videtur, elogium Sanctorum, de quibus in casu, in Monastico Martyrologio extans, utpote ab Ecclesia adprobatum, etiam ab iis qui Romano Martyrologio utuntur legi posse.

Denique ad 3.um et ad 4.um quod attinet dubium, negative ad utrumque, ex Rubrica Martyrologii superius relata, respondemus: cum de Sanctis, imo de Beatis agatur, de quibus non est et fieri non consuevit mentio in Martyrologio, neque Officium celebretur, neque eorum memoria in casu celebris habeatur.

AD CL. PIGHI RESPONSIO

(*Contin. V. n. 3. pag. 181*)

6. Ad auctoritatem progredimur Ritualis Romani, quam maximam esse diximus, sive ritus, caeremoniae ac Rubricae in eo contenta inspiciantur, sive doctrina perpendatur, quam tradit, omnia enim a Summis Pontificibus promanant. Optime diximus Rituale, et probavimus, vi Bullae Apostolicae Sedi impositum; ideo enim

redactum summa cura fuit, ut uniformitas servaretur in Sacramentorum et Sacramentalium administratione. Consequenter eiusmodi codicis auctoritas et voluntatem iubendi comprehendit, et doctrinam, sapientiam, consilium in Sede Apostolica non excludit, lex cum sit ordinatio rationis. Hinc obligationem intulimus easdem caeremonias eosdemque ritus servandi, nec non Rubricarum leges, quae illa praescribunt. Quae nihilominus obligatio an omnes et singulas afficiat Ecclesias particulares an non, pertractare noluimus. Ex quibus intulimus, directivas Rubricas nònnisi vanum esse commentum.

Iam nunc, reliquis praetermissis, quae ad rem non pertinent, cl. Pighi dicit, nulli Ecclesiae esse Rituale Romanum impositum; cum Pontifex Paulus V haud illud servari iubeat sed proponat, ait enim HORTAMUR, non PRAECIPIMUS. Responsionem legat cl. auctor in Volumine *Ephemeridum* II, pag. 274-276, et 366-368, eadem enim nos repetere satis piget. Ad comparationem, quam inter Bullas aliis codicibus praemissas, et illam quae praemittitur Rituali, cl. auctor instituit, iure respondemus, diversam se exprimendi rationem, maiori nempe vi vel minori, ex diversa potuisse liturgicarum functionum derivare natura. Admitti nihilominus debet, sicut alii codices in praecepto sunt, et Rituale Romanum in praecepto esse.

Ait cl. Pighi, obligationem Ritualis non ex Bulla Pauli V derivare, sed ex usu: ut prius non obliget, sed acceptatum et adhibitum pariat obligationem: quod et auctoritate cl. De Herdt confirmat. Equidem id nobis concedere parum vel nihil interesset, dummodo eius obligatio admittatur. Ad animadverti potest, unde cl. Pighi affirmatio constat ? Et quod magis est, ante acceptationem Episcopi illud acceptare, ait

cl. auctor, non tenebantur vi praecepti Apostolicae Sedis, sed acceptatum, vi eiusdem Sedis Apostolicae in obligatione est. Sed iterum quaerimus; undenam eiusmodi constet assertum? Adde, cl. De Herdt docere, illud esse praeceptivum in novis exurgentibus Ecclesiis, ubi nullum Rituale in usu adhuc esse potest: unde autem haec obligatio?

Quidquid sit, quaestio nostra haec est, pro Rituali Romano, haud chartam intelligi solum, neque chartam crassam, neque typos, neque atramentum, sed ea quae in ipso sunt, nempe ritus, caeremoniae, preces, Rubriaeque omnes in illo contentae. Ergo quae ad Rituale Romanum obligantur Ecclesiae, obligantur ad ea omnia, quae in ipso continentur. Dicta hic confirmare iuvet cum cl. Marc (*Institution. Morales, Tom. II, n. 1422*), consequenter cum divo Alphonso, qui docet, Rituale Romanum ius facere quoad ea, quae ibi praescribuntur, idque ex Bulla Pauli V, constare tenet (*Lib. VI, Tract. III, cap. II, n. 285, Dub. 4*). Sequenti itaque ratione praefatus Marc divo Institutori suo inhaerens, respondet petitioni: " An sit de praecepto uti Rituali Romano in administratione Sacramentorum et Sacramentalium. *Resp. Affirm.* nisi forte alii ritus alicubi concessi fuerint.

Constat ex Bulla Pauli V *Apostolicae Sedi* die 16 Iunii 1614, in qua legitur, Rituale Romanum continere *ritus... qui observari debent* ab omnibus curam animarum exercentibus. Idipsum declaravit (die 7 Aprilis 1832, et 23 Maii 1835) S. Rituum C. dicens: *Illi soli libri adhibendi* (*sunt*), et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes... nec aliae adhibeantur (formulae), dummodo non constet ab hac S. Congregatione fuisse approbatas. Nec licet Episcopis praescripta Ritualis Romani ad libitum mutare;

et si forte Episcopus mutationes statuisset, hoc non est pro Sacerdotibus sufficiens dispensatio (*S. R. C. 10 Ian. 1852*). Diximus *nisi alii ritus alicubi concessi fuerint*; nam S. Sedes pro diversis dioecesibus Ritualia a Rituali Romano in pluribus rebus discrepantia approbavit. Praeterea consuetudines *iuxta* vel *praeter* legem retineri possunt, ut patet ex ipso Rituali Romano, et ex pluribus S. Rituum C. declarationibus. Consuetudines vero contra Rubricas et decisiones S. Rituum Congregationis eliminari debent. Attamen si abusus sint generales et inveterati, (Episcopus) in istis corrigendis procedat cum omni patientia, et doctrina, et, iuxta datam sibi opportunitatem, ita illos eliminare satagat, ut nullum inde fideles scandalum patiantur (S. R. C. 9 Maii 1857 ad Episc. Limburg.). „ Hucusque dicta cl. Pighi serio perpendat, et quam exposuimus auctoritatem Ritualis Romani, et ipse fatebitur, quin ad divagationes et confusiones recurrat.

7. Ad normas transeamus. Primam, nempe formam loquendi Rubricae aut imperativam aut indicativam, nos diximus falsam, quia plurimae ex omnibus codicibus Rubricae indicativa loquendi forma exprimuntur, cum tamen ab omnibus praeceptivae iudicentur, et ab eodem cl. Pighi. Qui ceterum concedit, partium studio seponens, hanc normam esse ex pluribus rationibus vitiosam, imperfectam, atque eiusmodi, ut facile inducere in errorem possit (*pag. 52, n. 48*). Conqueritur nihilominus eam nos appellasse falsam et ineptam, quod eamdem alii plures auctores assignent. Ad hoc ultimum quid respondendum sit nescimus: rem in se ipsa perpendimus. Cum itaque cl. auctor talem, qualem superius diximus, licet non falsam et ineptam, agnoscat, eum consilio iuvamus, ut potius relinquat. Namque satis est notum, regulam quae securitate non

gaudet, ut finem suum attingat, eo ipso talem esse desinere.

Reponit quidem cl. auctor eam posse benignius intelligi, nempe ac si diceret: *Ubi adhibeat verbum formae indicativae, Rubrica poterit esse directiva, nisi eam esse praeceptivam constet ex normis sequentibus.* At iterum observare cogimur, si Rubrica formae indicativae esse directiva potest, potest et esse praeceptiva. Si autem, ut dignoscatur eius vel praeceptiva vel directiva vis, ad alias normas sit recurrendum, ad minus eam inutilem esse patet. Praeterea, norma ista an pro solis Ritualis legibus valet, an pro legibus cuiuscumque liturgici codicis? Primum, ni fallimur, reiiciet auctor: altero posito, quid reponi poterit ad difficultatem, quae derivat ex plurimis omnium liturgicorum librorum legibus, quae indicativae formae sunt, et nihilominus praeceptivae (1)?

Altera norma est materia Rubricae: si ad essentiam, aut integritatem, aut reverentiam pertineat Sa-

---

(1) Nobis proposuimus in alto mansuetudinis gradu consistere, eaque proinde missa facere, quae illius gignere defectum possent. Sed eam praetermittere nequimus responsionem, qua difficultati occurrit cl. Pighi, a nobis obiectae. Quaesivimus ab eo: prima norma posita, Rubricae sub forma futuri expressae, praeceptivae ne sunt, an directivae? Reponit auctor ad grammaticam appellando, quae docet tempus futurum ad modum indicativum pertinere. At ad eamdem et nobis, modeste quidem, appellare liceat grammaticam, quin tamen eam consulamus, nimis enim tempus pretio valet. Recordamur itaque nos adolescentiam nostram, qua grammaticae regulis studebamus; et certiores sumus, tunc percepisse in illis, futurum tempus ad indicativum modum pertinens, saepe saepius imperativum modum constituere. Id confidimus, velle admittere cl. auctorem, secus vel ipsum divinum amoris praeceptum non agnosceret, quod absit a nobis, ut tantummodo suspicemur. Sed haec veluti non dicta sint. Fatendum tamen, ex hoc quoque capite ulterius demonstrari defectum, imperfectionem, et nullam traditae normae securitatem: ad cl. Pighi sincerum animum appellamus.

cramenti, praeceptiva erit Rubrica: si ad nihil horum, directiva. Contra hanc normam opposuimus, obiectum legis excogitari non posse in casu, nisi aut essentiam, aut integritatem, aut reverentiam Sacramentorum vel Sacramentalium respiciat. Assertum nostrum cl. auctor *falsum* dicit *et gratuitum* (*pag. 53, n. 49*). Negationem autem probat, quaedam afferendo exempla actuum, quos Rubricae praescribunt, qui ad nihil illorum pertinent, quae superius dicta sunt. Pro responsione sufficiat iterum lectori percurrere, quae alibi animadvertimus (*Ephemer. Liturg., n. 2, p. 123 in Nota*). Et hic silemus ad auctoritatem quod attinet, negotium enim in se consideramus; addimus nihilominus, defectum ex nostra sentiendi ratione, haud in principio consistere, sed potius in applicatione (1).

Tertiam normam Decreta S. R. Congregationis constituunt: circa quam satis nos benevolos fuisse ipse cl. Pighi fatetur. At animadvertimus, nihil cum illa cl. auctorem proficere, quod S. R. Congregatio de Rubricis directivis nunquam verba fecit, et ad rem expetita, semper Rubricas docuit aut iussit esse servandas. Insistit nihilominus auctor primo, haud illis obstantibus quae observavimus, normam istam non esse inutilem, ea enim posita, si quis Rubricam aliquam dixerit directivam, ex declaratione Sacri tribunalis

(1) Cum Summam divi Thomae, ulla sine iactura temporis consulere potuerimus, candide fateamur oportet, S. Doctorem in citato a cl. Pighi loco nihil ad rem dicere, tractat enim de iis, quae aguntur in exorcismo, utrum aliquid efficiant. En textualia eius verba: « Dicendum quod eorum quae aguntur ante baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit: puta inunctio, quae fit in vertice, quae operatur conservationem gratiae baptismalis: aliquid autem est quod nihil efficit, sed tantum significat, sicut quod datur ei vestis candida ad significandum novitatem vitae (*Pars III, q. LXXI, a. III, ad Quartum*). » At quid inde?

convinci de errore poterit. Optima responsio: id et nos admittimus; at iure ex aliis ab auctore admissis timendum nobis erat, ne alio plane sensu eiusmodi sumeretur norma, ut nempe directivae illae Rubricae essent, quas tales S. C. declaraverat, praeceptivae, quas praeceptivas dixerat, quod a veritate alienum foret. Iustum autem fuisse timorem nostrum, ipse cl. Pighi ulterius confirmat subdens, Sacrum Tribunal vere, aliis licet terminis, declarasse nonnullas Rubricas esse directivas. De quibus exempla aliqua citat, quae alibi retulit; et nos iterum ad eorumdem expositionem exemplorum pariter lectores nostros remittimus, ut oppositum concludamus (*V. Ephemerid. n. 1, pag. 62, et 63: n. 2, pag. 123 et 24*). Praestat insuper animadvertere, cl. auctorem docere, Decreta S. R. Congregationis, nisi clausulam ferant rigorosi mandati, ut alibi vidimus et contradiximus, nullam inducere obligationem, sunt enim directiva tantum. Praeterea nec vocibus, *serventur Rubricae, servandum Rituale* etc., quibus Decreta passim utuntur, vim obligandi assignat. Iam vero, uti demonstravimus, sine fine Decreta sunt, quae praefata clausula destituuntur. Ergo, supposito, nonnullas Rubricas ab aliquibus falso reputari directivas, in aprico est, eos non posse de errore convinci vi Decretorum, quippe quae et directiva forent. Videat ergo cl. auctor, principiis admissis quae profitetur, in quot salebras impingat.

Ultima norma in probatorum communi auctorum sensu consistit, super qua diximus, *a*) alias a liturgicis leges certo obligare: ut ab auctoribus an praeceptivae sint an directivae tantum, quaestio non fiat; in re enim morali, quod nihil obligat, non est lex. Quaestio ergo ista de praeceptivo et directivo, non alias leges, sed afficit tantum Rubricas: hoc et non aliud di-

ximus, quamvis cl. auctor aliter rem explicet. *b*) Probatos insuper auctores appellavimus, ad quos Decreta remittunt, qui de Rubricis iudicant ad normam ipsorum Decretorum, et non contra: quinam autem hi sint, alii iudicent. *c*) Scripsit cl. auctor in Liturgia Sacramentorum (*pag. 10, n. 7*) ut sequitur: " Postrema norma in re liturgica, non minus quam in morali, desumitur a communi sententia probatorum auctorum, qui circa alicuius Rubricae naturam conveniant. Hanc normam, ipsa S. R. Congregatio frequenter indicat, quum ad proposita dubia respondeat consulendos esse probatos auctores. „ Iam quaerimus: Nonne agitur de norma pro Rubricis directivis discernendis a praeceptivis? Nonne dantur auctores, qui aliquas Rubricas praeceptivas dicunt, aliquas directivas? Quid in casu significare potest, *auctores circa alicuius Rubricae naturam convenire,* nisi eos convenire in aliqua dicenda Rubrica vel praeceptiva vel directiva? Ut quid ergo remitteret in sensu cl. Pighi S. R. Congregatio inquirentes ad probatos auctores, nisi ut cognoscant, ex ipsis quae praeceptivae, quae directivae sunt Rubricae? Atque hoc sensu verba auctoris sumpsimus, totoque iure. Responsio autem decreti 13 Iul. 1883, pro obiecto moralem habet, qualis est officii satisfactio; ergo iure merito S. R. Congregatio remittit inquirentes *ad probatos auctores;* sed hoc haud profecto contra nos, bene vero contra cl. auctorem facit. Stant ergo adhuc in suo robore, quae contra normas praefatas exposuimus: hoc est, finem, quem sibi cl. Pighi proposuit, eas non posse attingere.

Pro coronide liceat inquirere: Nonne octo, aut decem ad summum Rubricas directivas admittit cl. Pighi, ex omnibus quae in Rituali Romano prostant, sive ad Sacramentorum sive ad Sacramentalium ad-

ministrationem spectent? Quatuor ergo normae pro octo Rubricis, quas ipsemet directivas indicat?

Ex omnibus discussis alii iudicent, an cl. Pighi an Ephemeridibus Liturgicis doctrinae veritas faveat.

DE RATIONE EXEQUENDI CANTUM LITURGICUM

(Contin. V. n. 12, anni 1891, pag. 702).

XIII.

EIUSDEM ARGUMENTI CONTINUATIO.

1. Quas recensuimus editiones liturgici Cantus, quibus et aliae plurimae sunt addendae, in totius Orbis Ecclesiis usitatae, ab Ordinariis locorum approbatas esse, quorum auctoritate fuerunt typis mandatae, vix rationabile, pluribus inspectis, oriri potest dubium. Hinc necessario sequitur, licite ac laudabiliter easdem editiones in usu hucusque fuisse et esse adhuc in singulis Ecclesiis, pro quibus factae sunt. Sicut enim suas iure optimo habuerunt Ecclesiae Italae, ita eodem ferme iure, et Galliarum, Germanicae, Hispanicae, aliaeque catholicae nationes Ecclesiae. Quod si inter superius enumeratas certa discrimina intercedunt, iure supponendum eadem vel alia, plus minusve discrimina in aliis reperiri, perfecta enim uniformitas, ad hoc quod spectat negotium, utpote difficillima, ex-

cogitari nequit (1): quamvis accidentalia, haud substantiam, discrimina respiciant.

2. At, si iniuria temporum vel aliis quibuscumque de causis, nonnullae, aut multae, aut etiam omnes consumptae usu eiusmodi editiones, vel detritae fuerint, putandum ne, vetari Ecclesias, vel ab iis reficiendis vel ab edendis iterum in cantantium utilitatem et commodum? Sanae profecto mentis id cogitabit nemo, si a iusta prohibente lege abstrahas; quae enim licitum res habuere et laudabile principium, et per quamplura saecula licite pariter ac laudabiliter fuerunt adhibitae, ambigendum non est, earum toto posse iure continuari usum. Ex quo iam facile inferes, unamquamque Ecclesiam sua respectiva editione, quam hucusque adhibuit, uti adhuc posse.

3. Studio dictum est superius, *si a iusta prohibente lege abstrahas;* si enim vel locorum Ordinarii pro respectivis Ecclesiis, eorum iurisdictioni subiectis, vel pro universis Summus Pontifex, aliquid statuerit in contrarium, profecto obtemperandum legi foret. Non enim inficiandum, Episcopos in suis, Pontificem in Ecclesiis omnibus, toto iure posse pro sapientia sua iubere legem, ut altera prae altera adoptetur liturgici Cantus editio. Cum enim Cantus liturgicus ad solemniores maxime ecclesiasticas functiones pertineat, illis cura est demandata, ut quod ad maiorem domo-

(1) Paleographia musicalis cl. D. Pothier nonnullas offert modulationes, quas undequaque collegit, uti e Bibliotheca Nationali Romana, ex Oratorio Salesiano Taurinensi, ex Abatia Cavensi, e Bibliotheca Nationali Parisiensi, e Bibliotheca Academiae Realis Matritensis ecc. ecc. Attentio nostra peculiariter in Graduale *Iustus ut palma florebit*, etc. defixa fuit, cuius modulatio enunciatam veritatem maxime comprobat, seu originalibus neumatibus inspectis, seu iisdem in hodierna signa redactis.

rum Dei decorem spectat, decernant, et si opus fuerit, imperent. Hoc itaque impraesenti perpendendum, num aliqua prodierit lex, aliquam prae reliquis editionem praescribens, et specialiter a Summis Pontificibus, per cuius impositionem ceterae, quasi dicam, mansissent vetitae.

4. Negotium praecipue versatur, ut praecedentia sileamus, super Decreto *Romanorum Pontificum*, quod Leo Papa XIII *ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit* sub die 26 Aprilis 1883. Dictitarunt enim quidam, editionem Ratisbonensem cunctis fuisse Ecclesiis, prae reliquis, impositam; seu quia, licet Ratisbonae materialiter confecta typis, vere Romana est, cum cl. Eques Pustet S. R. Congregationis typographi onore gaudeat, seu quia vis praeceptiva satis ex verbis ipsius Decreti eruitur. Sed cum bona horum venia, iam liceat asserere, veritatem indubiam ostensuri, editionem Ratisbonensem nulla esse lege Ecclesiis quibuscumque impositam, sed tantum ratione uniformitatis in liturgicis modulationibus obtinendae propositam. Neque per hoc eiusmodi editioni, neque cl. Equiti Pustet vel minimum detrahere intendimus, cum nemini nocere, ceterum nota, veritas possit (1).

---

(1) Quae in laudem diximus summi Petraloisii Praenestini (*Vol. 5, pag. 469 in nota*) coacti suo tempori inservire, laudi vertitur editioni Ratisbonensi, quippe quae Mediceae est exemplar, quam Petraloisius contraxit. Quidquid ceterum de intrinsecis sit meritis, de quibus respondere Editor nulla ratione poterat, ad extrinseca quod attinet, maximam sibi comparavit gloriam cl. Eques Pustet, peculiariter Gradualis duobus voluminibus inspectis, *de Tempore* videlicet ac *de Sanctis*. Videre enim in hac Editione est nihil fuisse praetermissum, ut voluminum usus proprium finem attingeret; idque necessario fatendum, sive eorum inspicias chartam, sive litterarum ac neumatum typos, sive impressionem, sive perspicuitatem, sive figurarum ornamenta, elegantiam et cuiuscum-

5. Quod ut luce clarius meridiana splendeat, satis sit supercitatum decretum, haud quidem exponere, sed simpliciter referre ex ea, quae pars proposito nostro inservit. Itaque Leo Papa XIII, Pii IV, Pauli V, Cardinalium aliquorum, Petraloisii, Piique Pontificis IX, relatis meritis, nec non Editoris Friderici Pustet, quod arduum opus editionis conficiendae susceperat, finem postea operis revelans, ait: " Ut sic cunctis in locis ac dioecesibus, cum in ceteris quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in Cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia ". Sub fine autem sic concludit: " De cetero, quamvis iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem, cum de uniformitate in ecclesiastica Liturgia inducenda actum est, praefatam Editionem SINGULIS ECCLESIIS NON IMPONAT; nihilominus iterum plurimum HORTATUR omnes Reverendissimos locorum Ordinarios, aliosque ecclesiastici Cantus cultores, ut illam in Sacra Liturgia, ad Cantus uniformitatem servandam adoptare curent, quemadmodum plures iam Ecclesiae laudabiliter amplexae sunt. Ergo editio Ratisbonensis neque romanis, neque italis, qui ea nihilominus laudabiliter utuntur, neque exteris quibuscumque Ecclesiis, tamquam praeceptiva imposita est.

6. Nihilominus inficiari non potest, satis esse gravia, quae in decursu decreti leguntur, nempe: " con-

---

que alterius generis perfectionem. Arroges velim nuperrimam Editionem Gradualis (1892), quae nigris quamvis lineis, charactere ac neumatibus minoris prae altera proportionis, cunctas fere mox recensitas dotes sibi promeret, quippe quae utramque *de Tempore* et *de Sanctis* partem comprehendit uno in volumine, eiusdem ac altera dimensionis, magnamque scholae cantorum utilitatem et commodum praestat. Quod denique prae reliquis animadvertendum, est voluminum pretium, satis respective tenue.

stantem esse Summorum Pontificum praxim, ad nonnullos tollendos abusus, persuasione magisquam imperatis uti voluisse: eo vel maxime scientes, quod Rm̃i locorum Ordinarii, eorumque Cleri verba Summi Pontificis loco mandati pie et religiose interpretari solent „. Ex quibus manifesto inferendum, exclusa obligatione, gratissimum Summo Pontifici facturos Ecclesiarum Antistites, si Ratisbonensem adoptaverint liturgici Cantus editionem : quippe quae plenissima auctoritate Sanctae Sedis approbata, atque ab illa authentica declarata.

(Continuabitur). X.

APPENDIX

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III (1), Innocentius III (2), et Gregorius IX (3), decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius, nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum (4) irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam pas-

sim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 februarii MDCCCLXXXXII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGR. CONCILII

COMEN. Interpretationis.

Die 12 Decembris 1891.

Iam ab anno 1874 in dioecesi Comensi plenam vim obtinent quaedam leges de vita et honestate clericorum, quae ab Episcopo Carsana audito consilio capituli sub nomine Edicti latae, confirmationem H. S. C. literis diei 20 Ianuarii praedicti anni assecutae sunt ac summis laudibus a s. m. Pio IX exornatae perhibentur. Inter alia vero ibi sequentia leguntur verba: « Nullius petitionem ad concursum beneficiorum admittemus, qui de peractis intra quadriennium spiritualibus exercitiis attestationem nobis non obtulerit. » Nuper igitur Ordinarius Comensis quoad horum verborum interpretationem aliquantulum anceps, quaesivit ut S. V. O. expresse declararet concursus etiam qui indicuntur pro beneficiis quomodocumque S. Sedi reservatis et affectis huic dioecesanae legis praescripto absque discrimine subiici, « eo quod, ut ipse scribe-

bat, ea lex unicum mihi praebeat in promptu medium pro minus piis sacerdotibus ad frequentandos uti par est, spirituales secessus. »

Diffiteri nequit cuilibet habili ad beneficium obtinendum ius esse concursui se sistendi, ideoque S. Tridentinam Synodum *Sess. 24 cap. 18 De reform.* innuisse ut illi omnes advocarentur « qui volunt examinari. » Quod pluries et S. V. O. declaravit, et deinde confirmatum est a Summis Pontificibus Clemente XI literis diei 10 Ianuarii 1721, et Benedicto XIV Const. *Cum illud:* — ibi — « publico evulgetur edicto notitia concursus quo omnes clare et aperte moneantur. » Ex quibus omnibus fas esset concludere ad mentem Garciae *De beneficiis p. IX, cap. 2, n. 209 :* quando de iure nullum adest impedimentum quominus aliquis ad concursum admitti possit, non erit in potestate Episcopi talem non admittere, nec videtur valere constitutio Synodi dioecesanae vel provincialis qua ius tale quaesitum perimatur vel imminuatur. Neque forsan dici posset in casu maiorem vim dioecesanae legi tribuisse Supremae Auctoritatis approbationem. Nam praeterquamquod ageretur de approbatione in forma generica quae ad dispositionem a comuni iure exhorbitantem nequiret extendi, perpendendum est ibi de concursibus ad beneficia Supremo Principi reservata expresse mentionem haud fieri, ideoque illa verba utpote odiosa esse strictim interpretanda. Quoad necessitatem vero extensionis legis uti unicum medium pro minus piis sacerdotibus ad frequentandos spirituales secessus, observari posset et alia media, verbi gratia poenarum canonicarum comminationem, praesto esse Episcopo ad finem suum semper et efficacius assequendum.

Nihilominus animadvertendum est Benedictum XIV in citata Constitutione *Cum illud* absque ullo discrimine beneficia parochialia S. Sedi reservata legi concursus subiecisse, atque idcirco iis etiam particularibus legibus quae in singulis dioecesibus praefatos concursus moderantur. Cum igitur in themate agatur de Edicto ab Episcopo audito capitulo promulgatum, et proinde iuxta doctrinam eiusdem Summi Pontificis *De Synodo dioecesana* robur constitutionum Synodalium obtineat, haud dubitandum videretur sub illius praescriptione omnes et singulos concursus pro paroeciarum provisionibus comprehendi. Eo vel magis quod ipsa S. Tridentina Synodus *loc cit.* aliquatenus rem Episcopi prudentiae aut Synodi provincialis legibus pro regionis more remiserit, et S. C. tenuerit quos nec dignos nec idoneos Episcopos reputaverit posse ab examine reiici,

nec de huiusmodi reiectione eos conqueri valere, ut in *Tarentina archipresbyteratus 7 Decembris 1720* et *S. Marci et Bisiniani Concursus 22 Iunii 1850*. Ceterum quoad aptiora media ad pietatem in clero fovendam Ordinarios posse prae aliis iudicium ferre ambigi nequit, ideoque eorumdem sententiam hac in re S. V. O. plurimi facere solet.

Quare etc.

R. Legem dioecesanam in casu extendi etiam ad beneficia, quorum collatio spectat ad S. Sedem.

ENGOLISMEN. Dispensationis matrimonii.

DUBIUM. — *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

1. Matrimonium, quod Ioannes Oscar ex comitibus du Vignaud, in aetate annorum triginta constitutus, die 6 Iulii volvente anno 1865, iniit cum puella Sophia Magdalena Lecoq de Boisbaudran, opere imperfectum mansisse contendit.

2. Certum tamen exploratumque est coniuges, expletis nuptiis, una simul concubuisse et sub eodem tecto commoratos esse amplius viginti dies : eosque ad opus maritale aptos esse nemo unus inficiatur. Nec praesto est supremum inconsummationis palladium, scilicet virginitatis iudicium, ab obstetricibus et physicis peritis per aspectum corporis mulieris editum.

3. Nihilo tamen minus duo lectissimi consultores a moderatoribus S. H. O. in consilium de more adsciti, persuasum sibi habent matrimonium haud consummatum esse. Et ad id adducuntur iurata Ioannis du Vignaud confessione ac septem testibus, qui iurant esse fide dignum Ioannem ipsos inducentem. Sinite itaque, Patres Amplissimi, me gravissimi momenti factum paulisper expendere quod luculenter demonstrat fidem Ioanni eiusque testibus praesenti in causa adhibendam.

4. Profecto, si Ioannem ac testes, quibus ille innititur, audias, factum ex quo reluctantia Sophiae Magdalenae ad matrimonii consummationem atque dissidia omnia inter coniuges enata sunt, sic iacet: « Le jour même du mariage (inquit Ioannes), en rentrant » de l'Eglise, mademoiselle Lydie Péronneau, SA DEMOISELLE DE » COMPAGNIE, avertit madame que je venais de refuser de l'em» mener avec nous à Barbezieux. MADAME DU VIGNAUD MONTA

» ME TROUVER TENANT ENCORE SON LIVRE DE MESSE À LA MAIN
» ELLE ÉTAIT EN FUREUR ET PRÉTENDIT M'IMPOSER MADEMOISELLE
» PÉRONNEAU, disant: Je suis la maîtresse et vous devez obéir.
» Je refusai. Elle ajouta: Si vous ne consentez pas, dans huit
» jour je demande ma séparation et je l'obtiendrai. » (*Synops. offic. pag. 6*).

5. Huiusmodi factum iisdem ferme verbis recitant testes a Ioanne inducti, sacerdos Eduardus Martin (*loc. cit. pag. 10*), Ludovica Maria Druol de Lepine, vidua Drilhon (*loc. cit. pag. 14*), Anatholius de Fradin (*loc. cit. pag. 15, et seq.*), Leopoldus Vacquier (*loc. cit. pag. 17*). Sed huc advertite mentem, Emi Patres: modo dicti testes loquuntur omnes de AUDITO ALIENO; Franciscus autem Thommeret, testis pariter a Ioanne inductus, qui nuptiis interfuit, iurat: « Le jour du mariage, je suis revenu avec eux » (nupturientibus), j'ai dîné avec eux. J'ai passé la soirée avec » eux. Je les ai quittés à 11 heures 1/2. ☞ JE N'AI RIEN RE- » MARQUÉ JUSQUE-LÀ. » (*Loc. cit. pag. 18 et 19.*).

6. Nec magis veritati obsequitur Ioannes du Vignaud, dum affirmat: « *Mademoiselle Lydie Péronneau*, SA DEMOISELLE DE COM- » PAGNIE. » Eduardus enim Gay de la Chartrie, testis *ex officio* » inductus, auctor est: Elles (Sophia Magdalena Lecoq et Lydia » Péronneau) étaint simplement amies très-intimes et mademoiselle » Lydie Péronneau N'ÉTAIT POINT DEMOISELLE DE COMPAGNIE ». (*Loc. cit. pag. 29 in fin.*). Concinit testis pariter *ex officio*, Catharina Gay, quae iurat: « Lydie Péronneau, fille du témoin, était » très-intime avec mademoiselle Lecoq, allait la voir très-souvent, » MAIS N'ÉTAIT PAS SA DEMOISELLE DE COMPAGNIE ». (*Loc. cit. pag. 30*).

7. Non inficiar Magdalenam prima post nuptias nocte vulnus dentibus Ioanni in humero seu potius in pectore intulisse atque se e fenestra coniicere pertentasse. Ast colluctationis causam potius quam licitum coitum ut ait Ioannes, actus nefandos post coitum a Ioanne tentatos, ut Magdalena affirmat (*loc. cit. pag. 37 et 38*) fuisse credam. Verisimile etenim est veritati contraire Ioannem, qui ad mentiendum allicitur desiderio vitandi dedecus atque matrimonii dissolvendi proposito: qui ceteroquin « *ne remplit pas le devoir pascal* » (*loc. cit. pag. 22 et 12*). Magdalena vero mendax ac calumniatrix esset absque ullo prorsus emolumento; quod veri haud simile est.

8. Operam autem et oleum perdit eximius consultor theologus, dum testium, qui Ioanni suffragantur, religionem, pietatem insignem, sacerdotalem dignitatem aliaque huiusmodi ad sidera extollit. Hi enim testes, excepto Francisco Thommeret, qui Ioannem mendacii redarguit, quemadmodum supra ostendimus in § 5, nihil viderunt, sed ea referunt, quae vel ab ipsomet Ioanne, vel ab aliis qui a Ioanne acceperant, audiverunt. Mirum vero non est quod Ioannes de actibus inhonestis quibus uxorem lacessivit, semper siluerit. Et cum uxor in aliam regionem ad propria statim reversa fuerit, facili negotio Ioannes vicinis omnibus suadere potuit se nil mali egisse, sed Magdalenam, feminarum pessimam, sibi denegasse obsequia coniugalia.

9. Coram episcopo engolismensi, inquiunt, mulier ipsa matrimonium haud consummatum esse alias asseruit. Repono: ita tunc locuta est, quia cogitabat alias nuptias. Magdalena, adiiciunt, contumax est, ne per aspectum corporis liqueat inconsummatio matrimonii. Laudo, sed miror quod femina, adeo scelesta, permaneat adhuc intacta ut Minerva, et abhorreat potius virginitatis argumenta amittere, quam inviso viro per virginia signa prodesse. Apage nugas. Mitto alias quisquilias, quas inter testimonium cuiusdam medici, de quo LOQUUNTUR omnes, sed nemo TESTATUR.

10. Ne inutilibus Emos Patres detineam, non heic quaeram quae causae in promptu sint ad relaxandum vinculum viginti septem abhinc annis contractum; sed haud interiecta mora ad inscriptum dubium « *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* » submisse postulo rescribi « NEGATIVE ».

R. Affirmative.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 4, pag. 201*).

§. 3.

DE SUPPLENDIS CAEREMONIIS.

Dico. 1. Caeremoniae in Baptismi collatione praescriptae ex sola necessitate omitti possunt.

Prob. 1. Ex communi et certa apud Liturgicos omnes sententia, sicuti apud universos moralis scientiae Doctores. 2. Ex Rubrica Ritualis Romani, quae hanc omissionem nonnisi *ex urgente mortis periculo vel alia cogente necessitate* excusat (*Tit. II, cap. 5, n. 1*). Denique ex eo patet, quod caeremoniae Baptismatis, licet non ex opere operato, ex eorum tamen significatione ad saluberrimos institutae sunt producendos effectus, quibus nonnisi gravissimis de causis baptizandus privari debet.

Inferes, obligationem huiusmodi satis esse gravem, eamque haud solum omnes caeremonias respicere, sed quamcumque singulatim etiam acceptam, si sit notabilis.

Dico 2. Caeremoniae ex necessitate omissae, omnino, si fieri possit, supplendae sunt. Constat primo ex antiquissimo Ecclesiae usu (*Martene Lib. 1. cap. 1, art. 18*), atque ex Rituali Romano, explicite iubente, ut *omissa omnia suppleantur* (Loc. sup. cit.). Id quoque S. R. Congregatio confirmat in *Calaguritana (23*

Sept. 1820), cui omnium Liturgicorum ac Moralistarum sententia inhaeret. Ratio suffragatur; licet enim gratiam sanctificantem iam baptizatus receperit, peculiaribus tamen eiusdem gratiae effectibus privari sine gravissima iniuria non potest, quos ex caeremoniis percipit. Effectus autem hi sunt: 1. remissio culparum venialium: 2. gratiae praevenientis excitatio: 3. temporalis remissio poenae: 4. compressio daemonum: 5. operatio sanctitatis: ex dispositione, intellige, subiecti.

Inferes gravem esse pariter hanc obligationem, ut si suppleri caeremoniae possint, nulla excusare causa Parochum valeat ab iis negligendis.

Quaeres 1. Quo in loco supplendae sint caeremoniae Baptismatis?

Resp. Rituale Romanum exigit, ut caeremoniae Baptismatis, nonnisi in Ecclesia suppleantur. Ea propter in Baptismo necessitatis, quod extra Ecclesiam confertur, omittuntur. Ubi tamen parochialis Ecclesia non adest, nec fons baptismalis, uti in exteris potest Missionibus evenire, minister illas quas potest adhibere caeremonias tenetur (*Instr. S. Offic. 15 Sept. 1869*).

Quaeres 2. Quinam caeremonias supplendi ordo in Baptismo?

Resp. Pro infante ille tenendus ordo, qui in Baptismate infantium: pro adulto ille sequendus, qui pro adultorum Baptismo, ut in Rituali praescribitur, cum respectivis mutationibus in eodem Rituali notatis (*Tit. II, cap. 5, n. 1*). Pro adulto nihilominus, qui in catholica Religione ortus est, si fide instructus iam supponatur, S. R. C. sapienter disponit, eas caeremonias ritusque supplendos, qui pro Baptismate infantium sunt praescripti (*Rhedonen. 27 Aug. 1836, ad 3*).

APPENDIX

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quaeres 1. Utrum simplex Sacerdos minister esse possit Confirmationis?

Resp. Affirmative, uti ex Tridentina Synodo constat (*Sess. VII De Confirm. can. 3*), non tamen ordinarius, qui solus est Episcopus, sed extraordinarius ex sola delegatione Summi Pontificis, qui hanc quandoque tribuere solet facultatem (*Eugenius IV, Decr. pro Armenis*). Hinc et Rituale Romanum, de ritibus in hoc Sacramento a simplici Sacerdote adhibendis, idipsum docet.

Quaeres 2. Quaenam Sacerdoti Confirmationem collaturo sacrae adhibendae vestes?

Resp. Nullum illi ex episcopalibus paramentis induere ullo modo licet, cum S. Congregatio de Prop. Fide id expresse prohibeat, confirmeturque auctoritate Summi Pontificis Clem. XIV (*23 Apr. 1774*). Oportet autem ut vel vestibus omnibus sacerdotalibus induatur, vel saltem alba et stola, iuxta Rubricam in Appendice Ritualis Romani inscriptam.

Quaeres 3. Quid observandum circa tempus?

Resp. Instructio Ritualis docet: " Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur ".

Quaeres 4. Quinam Sacerdoti servandi ritus?

Resp. 1. Sacris indutus vestibus Sacerdos, ante altare et conversus ad populum, hunc praemoneat de iis, quae Sacramenti Confirmationem, quod eum spe-

ctat, respiciunt, seque haud ordinarie, quod Episcopi est, sed iure delegato per S. Sedem, Confirmationem conferre. 2. Decretum delegationis legendum erit vernacula lingua, voce alta et intelligibili, post quod significabit, nemini esse ab Ecclesia discedendum, nisi post benedictionem a se, expleto ritu Confirmationis, impertiendam. 3. De infantibus, si qui forte iustis de causis allati in Ecclesiam fuerint, patrinos monebit, ut teneant illos in brachiis suis, adulti vero ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui (1). 4. Iunctis deinde ante pectus manibus, dicet ad Confirmandos versus Orationes in Rituali praescriptas. 5. Primo mares, inde feminas confirmabit; inquiret autem singillatim de nomine (2) cuiuslibet Confirmandi, sibi per Patrinum vel Matrinam praesentati. 6. Intingit summitatem pollicis manus dexterae in chrismate (3), eodemque pollice signum crucis in fronte Con-

(1) Quamvis hoc loco Rituale, imo et Pontificale Romanum, dicat, adultum Confirmandum debere pedem suum ponere super dexterum pedem Patrini; nihilominus sufficit etiam, *si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi*, ita S. R. Congregatione declarante in *Taurinen. 20 Sept. 1749 ad 8*). Quod non solum pro Confirmatione ab Episcopo, sed etiam a Delegato collata fieri optimo iure posse, rationis paritas dictat, momentis maxime perpensis, quae declarationem praefatam movere potuerunt.

(2) Sicut Episcopus indubie potest ex citando decreto, ita eadem de causa Sacerdos poterit, aliud nomen adulto Confirmando imponere (*S. R. C. Taurinen. 20 Sept. 1749 ad 9*).

(3) Exigit Rituale Romanum, Sacerdoti animadvertendum esse, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita, alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto ab Episcopo; alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis, cum a sacris canonibus id prohibitum sit.

firmandi producens, dicit: *Signo te signo Crucis,* reliquum formae prosequens, prout in Rituali Romano: deinde leviter confirmatum in maxilla caedit dicens, *Pax tecum.*

Quaeres 5. Utrum exigere queat Minister, ut vitta linea ligetur frons Confirmati post sacram unctionem?

Resp. Negative, cum possit ipsemet Sacerdos frontem uniuscuiusque confirmati gosypio mox comburendo, diligenter abstergere ac lavare Hoc Rituale Romanum docet faciendum apud infedeles, inter quos publica vittarum delatio ludibrio exponere Sacramentum posset. Sed temporum tristitia, eadem de causa fieri apud fideles posse, experientia pariter docet. Ceterum Pontificale Romanum, a quo Rubrica Ritualis desumpta est, vittam absolute iubet: ut causa cessante, adimpleri lex debeat.

Quaeres 6. Quid ritus unctionis significet?

Resp. Sicut Baptismus datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura; ita oleum pro Spiritu Sancto, sigillum crucis pro cruce, Chrima Confirmatio confessionis est (*Auct. Constit. Apostol. Lib. III, cap. XVII*).

Quaeres 7. Quid alapa significat, qua leviter caeditur Confirmatus?

Resp. Leviter in maxilla caeditur Confirmatus, primo ut tenacius memoriae teneat, se hoc Sacramentum recepisse: secundo, quia hoc Sacramentum datur baptizato ad robur fidei, in baptismo susceptae, ut ulterius coram quocumque confiteri nomen Christi non erubescat: tertio ut meminerit, se tamquam fortem athletam ad omnia adversa pro Christo ferenda esse oportere (*Durand. Ration. div. off. Lib. VI, cap. 84, n. VI*).

Quaeres 8. Quid agendum Sacerdoti post Sacramentum collatum?

Resp. Tergendus mica panis, lavandusque pollex, sicut et manus super pelvim: aqua autem una cum gossypiorum cineribus in piscinam sacrarii fundenda est. Post quod Sacerdos legit antiphonam cum reliquis, prout in Rituali, nisi cantores adsint, qui eamdem antiphonam tunc canent lotionis tempore. Denique, omnibus absolutis, Patrinos ac Matrinas monebit Sacerdos, ut filios suos bonis moribus instruent: qui si infantes essent, suo tempore ab iis symbolum Apostolorum, orationem dominicam, et salutationem angelicam docendi forent (1).

Quaeres 9. Num domi possit quoque Confirmatio dari?

Resp. Affirmative, sed pueris aegrotantibus tantum, vel etiam adultis, qui accedere quacumque legitima de causa ad Ecclesiam nequeunt. Quibus in casibus animadvertit Rituale, superpelliceum et stolam, vel hanc saltem, si illud haberi non possit, Sacerdoti non esse omittendam. Cavendum praeterea, ne coram haereticis aut schismaticis, et multo minus, iis ministrantibus, Confirmationem conferat.

---

(1) Si consuetudo in Confirmatione administranda, alicubi inducta fuerit harum recitandarum precum, ea servanda est (*S. R. C. Conversanen. 14 Aug. 1883 ad IV*).

CAPUT V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

§ 1.

DE NOMINIBUS ET SIGNIFICATIONE POENITENTIAE

Quaeres I. Unde Sacramentum Poenitentiae nomen traxerit, et significationem?

Resp. Poenitentia a *poena* derivans, sub quadruplici significatione accipitur. Vel enim primo culpae punitionem, vel secundo eiusdem detestationem: vel tertio malae praeteritae vitae resipiscentiam, ac innovae bonaeque conversionem significare valet. Sed aliquid, quarto, excellentius nomen poenitentiae significare natum est in lege gratiae, hoc est: Sacramentum novae legis a Christo institutum, quo peccata post baptismum admissa remittuntur: de quo prout Liturgia exigit dicturi sumus.

Quaeres 2. Quibus aliis denominationibus hoc Sacramentum nuncupare consueverunt latini Patres?

Resp. Aliis pluribus, nunc eius essentiae, nunc actibus seu ministri seu subiecti, nunc illius effectibus respondentibus. Praecipua nomina, quibus Poenitentiae Sacramentum gaudet, sunt: *Mysterium reconciliationis*, *Indulgentia*, *Remissio*, *Confractio cordis*, *Secunda post naufragium tabula*, *baptisma*, et *Impositio manuum etc.* Graeca quoque Ecclesia hoc Sacramen-

tum dixit *Metanoian* seu Poenitentiam, *Exomologesim*, seu Confessionem, *Epitimion* seu poenam etc. (1).

Quaeres 4. Quotuplex in primaeva Ecclesia in usu Confessio fuerit?

Resp. Duplex in consuetudine fuit antiquitus Confessio, quae sub nomine *Exomologesis* venit: quarum altera Sacramentalis, altera extrasacramentalis erat. Consueverant enim primi Christifideles poenitentes duci ab Episcopo in Ecclesiam, ubi prostrati, coram clero et populo commissa crimina detestabant, emendationem proponentes (*V. Macri ad voc.* Exomologesis). Haec autem Confessio publica extrasacramentalis erat, et longe alia a Sacramentali, quae unice secreto fiebat.

Quaeres 4. Utrum apud ministrum non Sacerdotem huiusmodi Confessio fieri posset?

Resp. Affirmative, si extrasacramentalis, uti divus Cyprianus testatur (*Lib.* 3, *Ep.* 17), et Tertullianus (*De poenit, cap.* 9); peragebatur enim solummodo humilitatis studio, et in aedificationem fidelium, haud vero in remissionem peccatorum. Successu temporis, fidelium tepescente caritate, huiusmodi Confessio exolevit.

§ 2.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

Quaeres 1. Quid materiam Sacramenti Poenitentiae constituat?

---

(1) Macri (*ad verb.* susurrium) ait, et Daemonem nomine speciali hoc Sacramentum ex contemptu appellasse: Refert enim verba

Resp. Multiplicibus distinctionibus moralis scientiae doctoribus remissis, breviter dicimus, dolorosam peccatorum confessionem, quam Theologi proximam materiam vocant, Poenitentiae Sacramenti materiam ultimam constituere, quam satisfactio integrat.

Quaeres 2. Quaenam verba sint forma huius Saramenti?

Resp. Forma Sacramenti Poenitentiae his verbis constituitur: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Ex quibus alia ad essentiam certo, alia dubie pertinent, alia nequaquam: omnia tamen ex Rituali Romano dicenda sunt.

Quaeres 3. Num aliae preces, seu praecedentes, seu subsequentes, prout in Rituali, ad formam quoque pertineant huiusce Sacramenti?

Resp. Affirmative, omnia enim sub eodem capite signat Rituale (*Tit. III, cap. 2*), cum formam Absolutionis ponit. Itaque habetur primo *Misereatur tui etc.* deinde *Indulgentiam etc.* tertio *Dominus noster etc.* quarto *Passio Domini nostri etc.* quae omnia concomitantur essentialia formae, et laudabiliter fuerunt ab Ecclesia instituta.

Quaeres 4. Utrum quae essentialia non sunt, omitti quandoque possint?

Resp. Affirmative, uti ipsummet Rituale docet. Itaque in *confessionibus frequentioribus* et brevioribus, nihil obstat, quominus omitti omnia possint, ac tantum dici oratio *Dominus Noster*, quae cum forma Absolutionis terminat (*Rit. Rom. loc. cit. n. 4*). Quinimo, *urgente aliqua necessitate in periculo mortis* suffi-

---

Caesarii, quae sic sonant: « Ait daemon: sunt pèr meam veritatem, quia sine licentia facta, nec aliquando inde susurrasti, *susurrium* Confessionem appellans (Caesar. *Lib. V, cap. 29*). »

cit dicere brevissimam formam, *Ego te absolvo etc.* prout in eodem Rituali (*loc. cit., n. 5*).

Quaeres 5. Utrum consuetudo quid aliud praescriptis relatis precibus addiderit?

Resp. Affirmative; communiter enim ante omnia solet benedici poenitens sub his verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne ac poenitenter confitearis peccata tua, in nomine Patris etc.* Item in fine solet a pluribus poenitens iterum benedici sub formula, *In nomine Patris etc.* Quae quidem laudabiliter servantur, nullum nihilominus praeceptum important.

Quaeres 6. Utrum praescriptae formulae mutari possint a Sacerdote?

Resp. Negative, ex generali principio, quod S. R. Congreg. statuit, sancivitque pluries, nulli auctoritati privatae licere approbatas immutare liturgicas formulas. In forma tamen Absolutionis verbum *suspensionis* demendum est cum laicorum confessiones audiuntur, nonnisi enim Clericos valent respicere (*Rit. Rom. Loc. cit. n. 3*).

(*Continuabitur*). Franciscus Stella P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

V.

DE FORMA ALTARIS FIXI UT CONSECRARI POSSIT.

Cum Caius Parochus propriis sumptibus novam, et multis cum altaribus aedificasset Ecclesiam, omnem

posuit operam, ut maius altare elegantiori novaque forma construeretur. Itaque grandiorem acquisivit tabulam seu mensam marmoream, nigri quidem sed perpulchri coloris, in eaque curavit ut rite efformaretur sepulchrum pro recondendis reliquiis. Voluit autem ut alterum e longis tabulae lateribus parieti posteriori adhaereret; quinimo ita magna ex parte in ipso muro tabula maneret inclusa, ut firmiter tota secureque consisteret, quin vel columnis, vel alia inferiori structura indigeret, ut sustentaretur. Nihilominus in inferiori parte, seu subtus mensam, multis vivisque coloribus respersam arcam reposuit, seu marmoream urnam, ac si alicuius in ipsa reconderetur martyris corpus, licet solius ratione ornatus illic collocata fuisset. Huius autem urnae pars superior ita constructa studio fuit, ut mediam mensae partem suffulciret. Columnas vero hinc inde, aliamve structuram inferiorem, Parochus eo in altari ponere renuit, quod haud quid necessarium, imo inutile prorsus iudicavit. Cum vero pridie ante consecrationem, magister caeremoniarum Episcopi novam adiisset Ecclesiam, ut videret utrum omnia ad normam liturgicarum legum peracta fuissent, altaris illius demiratus novitatem, valde dubitavit utrum consecrari posset: secum proinde sequentes quaestiones animo revolvit:

1. *Quaenam communior in antiquitate Ecclesiae forma altarium, quae fixa dicuntur?*

2. *Quotuplex esse potest forma altaris fixi iuxta praesentem canonum disciplinam?*

3. *Utrum necessario mensa in anteriori parte seu lateribus fulciri debeat, et in hypothesi ex qua materia et forma?*

4. *Quid de altaris forma, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Iacobi Gentili ex alumnis Pontificii Seminarii Pii, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis apud Curiam Innocentianam: acta Epitoma per Reverendissimum Dom. Dom. Petrum Canon. Pisani-Milvi ex Apostolic. Caeremoniarum Magistris.

1. Quaeritur primo de communiori forma, in antiquitate Ecclesiae, illorum altarium, quae fixa nuncupantur.

Praemittimus, vix dubitari posse, in primaeva antiquitate Ecclesiam ligneis altaribus fuisse usam. Nam Optatus Milevitanus (*lib. 6*), uti refert Benedictus XIV (*de Sacrif. Miss. p. 4, sect. 1, n. XIV*), graviter Donatistas exprobrat, qui in lignea altaria destruenda impias manus intulerant. Cumque circa quarti saeculi dimidium Optatus floruerit, veluti ineluctabile ex illius testimonio argumentum desumitur, ad tria quod spectat prima saecula, pro altaribus ligneis. Quod ceterum aliunde confirmatur, seu ex ligneo altari, in quo celebravit Apostolorum Princeps Petrus, quod Ecclesia Lateranensis servat, et cuius pars exigua subtus lapideum altare S. Pudentianae in huius templo reconditur: seu ex ipso Christi exemplo, qui in mensa lignea in ultima coena Corpus et Sanguinem suum sub specie panis et vini, seque ipsum in ligno crucis aeterno obtulit Patri. Nihilominus utrum praeter lignea, lapidea quoque ac terrea tunc altaria pro Sacrificio adhibita fuerint, nec negari potest nec certitudine asseri, cum eruditiores viri disputent, ut ait Benedictus XIV (*loc. cit. n. XV*). Sunt qui defendunt, seu ex ligno seu ex petra indiscriminatim tunc fuisse

altaria, inter quos Iuenin (*Apud Ben. XIX, loc. cit*), et Durandus (*Rationale Divin. Offic. cap. 7, n. 28*). Qui ultimus ait: " In castro S. Mariae de Mari est altare terreum, quod ibi fecerunt Maria Magdalene, et Martha et Maria Iacobi et Salome. „ Dicuntur enim hae sanctae feminae in Provinciam appulisse, in qua eiusmodi extat traditio: quam tamen haud tamquam securam censendam dicit cl. Sala (*In adnotation. ad Bona, Lib. I, cap. XX, Nota 3*). Quidquid sit, seu nascentis Ecclesiae simplicitas, seu necessitas altaria transferendi ob ingruentes persecutiones facile suadent, lignea potius, quam ex alia materia fuisse tunc temporis altaria. Ex quo sequitur, petitionem nostram vix posse de his tribus primis saeculis intelligi; si enim ligneis altaribus utebatur communiter Ecclesia, admittendum quoque est, ea magis quam fixa, potius portatilia fuisse.

A quarto igitur Ecclesiae saeculo antiquitas intellecta, de qua petitio inquirit, respondendum cum Emo Bona, suoque praecitato adnotatore, altare fixum, ad instar illius super quo Eucharistiam Christus instituit, quam discipulis suis in ultima coena distribuit, sub forma mensae fuisse, uti in praesenti est. Hanc autem mensam una quandoque columna sustinuit in medio supposita, quemadmodum videre est in subterranea S. Caeciliae Ecclesia. Id quoque refert Emus Bona, dicens: " Aliquando uni tantum columnae mensa lapidea super iacebat, quale describitur *lib. 20 historiae Miscellae* altare Deiparae Virginis in Blachernis (*Lib. 1, cap. XX, § 1*). „ Interdum duae solae columnae ex utroque latere ipsum altare sustinebant; suntque adhuc Romae, ait supercitatus auctor (*Ibid.*), in cryptis et coemeteriis quaedam huiusmodi altaria, duabus vel pluribus innixa columnis. Honorius vero Augustodunensis (*Lib. 3, cap. 108*), uti refert Adno-

tator Bona (*loc. cit. not. 8*), loquitur de *mensa in tabernaculo Dei quatuor pedibus fulta*. Saepe etiam, prosequitur doctissimus Sala, mensa quinque columnis fulciebatur, ut discimus ex vita S. Theodardi Archiepiscopi Narbonensis, qui exeunte saeculo nono floruit, apud Gulielmum Catellum in suis monumentis provinciae Occitanae. Sex autem columnas ex lapide iaspide habere pro fundamento Ecclesiae Carnutensis altare scribit Laz. Andr. Bocquillot (pag. 86). Hinc Vigilius Papa (*in Epistola Encyclica apud Labbeum Concil. Tom. 6, pag. 409*): " Cum a sancto eius altare tracti pedibus traheremur, columnas tenuimus, et super nos etiam ipsa mensa ceciderat, nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata. „ Eadem Theophanes refert ad an. 20 Iustiniani (*pag. 191 apud Aimonium Lib. 2 Histor. Franc. cap. 32*): " In Basilicam Sanctae Euphemiae confugit, tenuitque columnam altaris. „ Alia altarium forma, erat arcae instar, uti illius, quod divus Silvester Papa primus, Moroni referente, in Basilica lateranensi dedicavit. Etenim non solum in ligneis, sed et in lapideis altaribus, vel marmoreis, vacua cava efformabantur, ut sacrae ibi reconderentur reliquiae, interdum quoque integra Sanctorum corpora, quae per apertiones seu in anteriori seu in laterum partibus arte confectas conspici poterant. Hinc illud Paulini (*Epist. 32*) ad Severum exametrum:

" Sancta sub aeternis altaribus ossa quiescunt. „

2. Quaeritur secundo, quotuplex esse possit forma altaris fixi (1) iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam.

---

(1) Altare vulgo dicitur etiam *fixum*, si ita sit constructum ut amoveri non possit. Ad rem cl. De Herdt: « *Fixum* est, cuius structura parieti, columnae aut pavimento immobiliter adhaeret, sive eius mensa sit altare fixum stricte dictum, sive ad modum

Forma altaris fixi, quae primo se offert, communior est illa quae consistit in lapide integro, totam superficiem structurae inferioris tegens, et cum qua coniungitur totumque efficit: quae structura lapideam tabulam sustentat, et ex omni parte occluditur. Alia forma est, quae in lapide pariter consistit integro, qui in parietis cavo ex una parte penetrat, et duabus ex altera sustentatur hinc inde columnis, cum quibus pariter totum efficit, et in quatuor lateribus coniungitur. Tertia ex solo constituitur lapide integro, quem quatuor columnae sustentant cum quibus coniungitur, quin tamen parieti adhaereat, adeo ut ex omni fere parte apertum conspici possit altare. Secundae ac tertiae mox dictae formae altaria habere subtus rite possunt urnam aliquam repositam, vel ad simplicem ornatum, vel ad corpus alicuius ex Sanctis custodiendum venerandumque. Denique ad instar arcae potest habere formam altare, vel totum ex lapide, vel ex alia materia confectum, solidum densumque, quocum mensa coniungitur.

Ex quibus patet in altari fixo unam tabulam requiri lapideam, eiusmodi mensurae, ut saltem structurae superficiem superiorem adaequet. Si nihilominus aliqua ex parte longitudini deficiat, nil vetat, ut alio lapide ex utroque latere suppleri possit, sicque integre

---

altaris fixi, quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea, quae portatilis vocatur (*Prax. Liturg. pars 1, n. 176*).» Huiusmodi altare, materialiter quidem appellari potest fixum; et iuxta declarationem S. C. Indulg. (*26 Mart. 1867*) sufficit ut valeat esse privilegiatum pro Indulgentia plenaria. Nihilominus liturgice loquendo non est *fixum*, sed vere *portatile*, cum aram habeat lapideam, quae amoveri potest; quod bene distinguant oportet qui hac in re minus sunt periti.

mensae superficiem cooperiat (*De Herdt, Prax. Liturg. pars 1, n. 176*). Insuper, ut inter lapideam tabulam structuramque inferiorem coniunctio habeatur, coemento utendum, sicque unius alteri parti adhaesio obtineatur. Praeterea ob unctionem, quam Episcopus consecrator in angulis et inferiori stipite adhibet, totum censetur altare consecratum in suis partibus, sibi invicem adhaerentibus. Denique tantae huiusmodi adhaesio gravitatis est, ut si tabula lapidea cum inferiori structura coniuncta non fuerit, altare nulla ratione dicendum esset fixum, sed haberi tantum posset ut altare portatile.

3. Hinc facile inferendum quid responderi debeat ad primam tertiae petitionis partem : utrum nempe mensa, seu lapis in anteriori parte seu lateribus fulciri necessario debeat.

Etenim, ut coniunctio praedicta habeatur, mensa necessario sustentari debet in anteriori parte, seu a quatuor lateralibus partibus, ut altaris unitas habeatur. Consequenter altare cuiuscumque sit formae, necesse est, ut ex omni parte stipitibus seu externae structurae parti superiori fulciatur. Ita enim disponit S. R. Congregatio : " Altaria fixa . . . omni ex parte stipitibus adhaereant (*Trecensi, 20 Dec. 1864*). „ Equidem parum nihilve interest vel plenam esse, vel vacuam intimam altaris partem, dummodo super quatuor lateribus ita altaris tabula innitatur, ut post consecrationem nihil intra immitti possit (*Nivernen. 28 Sept. 1872*). Praeterea, sive altare ex omni occludatur latere sive non, nil quoque interest ; at cum basi adhaerere debeat lapidea altaris tabula, iterum fatendum est, ut si columnae hanc basim efforment, earum consequenter capitella necessario illi tabulae fulciri debeant, ut quid cum illa unum columnae con-

stituant. Quod adeo verum est, ut si lapidea tabula seu mensa a sua basi seu stipite separetur, S. R. Congregatio explicite declaret, totum altare execratum evadere, novaque indigere consecratione (*Sancti Severi, 23 Maii 1835*). Idem declaratum legimus in *Senogallien.* cum enim fixi altaris lapis amota esset, eaque super re S. R. Congregatio rogata fuisset, *altare denuo consecrandum esse* ipsamet respondit (*15 Maii 1819*). Imo neque requiritur ut amoveatur, sed sufficit, ut lapis licet integer, avulsum sit a sua basi, seu huic amplius non adhaereat, et pariter execratum evadit; eoque in casu neque illa mensa tamquam altare portatile censeri potest (*Brixien. 15 Apr. 1869*). Quod idem est ac dicere, in altari fixo lapidem superiorem debere suae inferiori structurae in lateralibus partibus omnino fulciri.

Eadem petitio inquirit, ex quanam materia et forma huiusmodi fulcimentum, seu basis esse debeat. Cui petitioni facilis responsio, si hucusque exposita attendantur. Pluries enim dictum est, mensam et basim altaris quid unum efficere; at altare debet esse lapideum, ergo et basis, cui altare innititur, et quacum unum efficit, eius enim constituit partem. Ceterum hoc quoque per S. R. Congregationem explicite declaratur. Decretum itaque in *Cuneen.* ad litteram referre iuvet, dubium secundum quod spectat, hanc respiciens quaestionem: " Altare ex Rubrica debet esse lapideum. Cum autem ab ara portatili in eo differat altare fixum, quod istud coniunctum esse debeat cum stipite, et idcirco stipes cum mensa unum quid constituat; consequi videtur, stipitem ipsum debere, non secus ac mensam, esse lapideum. Attamen Canonistarum, eorumque scripta evolvens (*Episcopus*), eosdem consentientes reperit in docendo, inferiorem men-

sae structuram esse posse lateritiam, et satis esse, si tabula seu mensa sit ex lapide. Liturgici scriptores, vel penitus silent, vel adeo leviter rem attingunt, ut certam non tradant regulam praeter unum recentissimum Pium Martinucci, qui... aperte tradit, stipitem posse quidem esse lateritium, sed quatuor columellis lapideis saltem instrui debere, quibus mensa insideat... Hisce praemissis, sufficit ne altaris fixi stipitem esse lateritium, an oportet esse lapideum, saltem qua ratione innuitur a laudato scriptore? „ Quid clarius vix exprimi poterat: iam audi clarissimum responsum: " Ut altare (*fixum*) consecrandum sit lapideum, oportet ut etiam in eius stipite saltem latera, seu columellae, quibus mensa sustentatur, sint ex lapide (*7 Aug. 1875*). „ Pars ergo intima altaris diversa quidem poterit repleri materia, at extima pars laterum altaris, seu stipes, quae cum mensa est coniungenda, et cui ipsa innititur, ex lapide pariter requiritur. Hinc cl. Martinuccius: " Stipes, quo mensa fulcitur, erit lapideus; ac si esset materialis, nempe factus ex calce et lateribus coctis, aderunt in angulis parvae quatuor pilae ex lapide solido, ut comprobetur, altare esse lapideum in suis saltem principalibus partibus (*Manual. Caerem. Lib. VII, cap. XVI, n. 1*). „

Ad formam autem quod attinet stipitis, nihil praescribitur, dummodo sustentare is valeat tabulam lapideam. Hinc vel pro stipite adhiberi columellae poterunt, vel etiam pilae: quae tamen latae ita sint oportet, ut et mensa super iis secura consistat, et Episcopus consecrator unctiones in Pontificali praescriptas peragere commode queat. Hic opportune animadverti potest, nullum requiri in lapide, seu mensae seu stipitis, peculiarem colorem, dummodo sit verus lapis, ut ait De Herdt (*Pars 1, n. 176*).

4. Quid ergo iudicandum de forma altaris, ut in casu ?

Nihil profecto advertendum, uti dictum est, circa colorem nigrum marmoris, ex quo tabula altaris constabat, cum nihil intersit. Sine fine autem sunt Ecclesiae, quae eiusmodi altaria possident, nunc rubei, nunc subnigri, nunc variegati coloris, uti Bononiensis, Mutinensis in Italia, Rothomagensis in Gallia etc. Nil quoque animadvertendum in eo, quod Caius exegit, ut tabula nempe includeretur in pariete, sicque securior firmiorque fieret. Quod approbari nec potest nec debet, illud est, quod lapidem altaris hinc inde ab utroque latere suspensam voluit, quin vel columnis vel pilis ulla ratione sustentaretur, quaeque cum eodem coniungerentur lapide, ut totum cum illo efficerent. Urnam quidem subtus mensam ita collocavit Caius, ut mediam illius partem attingeret, ac veluti sustineret; atque in hoc agendo laude quidem se dignum ostendit. Sed eamdem non potest nec debet merere sibi, cum columnas hinc inde ab anterioribus altaris lateribus ponere renuit, quibus lapidea tabula sustenta coniungeretur : quod ius praesens liturgicum omnino requirit. Iure ergo merito Caeremoniarum magister dubitat, num valide consecrari possit; imo ex expositis abunde constat, nec licite illud posse consecrari nec valide, nec consequenter esse consecrandum (1). Ratio

(1) Ad rem facit eventum in Urbe sub Pio Pontifice IX ad altare maius quod attinet Ecclesiae S. Mariae super Minervam, quod praefatus Pontifex se consecraturum spoponderat. Namque loco lapideorum stipitum pro suffulcienda tabula altaris, columnulae metallicae summa quidem arte elaboratae ibidem collocatae fuerunt. Cl. Martinucci qui Caeremoniarum Apostolicarum magistris praeerat, vespere ante consecrationis diem, novum consecran-

inutilitatis, quam Caius affert, prorsus spernenda est; namque non ideo columellae vel pilae supponendae, ut sustentetur simpliciter mensa; sed hae sustentare mensam debent, ut totum altare ex coniunctione partium unum fiat. Concludendum proinde, eiusmodi altare esse reformandum iuxta leges liturgicas superius expositas, ut licite et valide consecrari queat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Austria.* **De Missa exequiali, cadavere praesente in subterranea Ecclesia.** Cadaver in subterranea Ecclesia expositum, potestne, respectu habitu ad superiorem Ecclesiam, ita censeri praesens, ut Missa exequialis cani in hac possit, tamquam praesente cadavere?

Resp. 1. Conveniendum credimus cadaver praesens esse debere in Ecclesia, ubi Missa exequialis est canenda, ut fideles facile intelligant pro quo Missa canitur, eumque suffragiis adiuvent.

Resp. 2. Si aliqua detur rationabilis causa, quae cadaver in superiori Ecclesia exponendum impediat,

---

dum altare invisit examinavitque, ac statim certiorem de re Pontificem reddidit. Qui Caeremoniis Apostolicis Praefectum monuit, se praefatum altare haud fore consecraturum, nisi iuri liturgico apprime conforme sciret. Ii tunc, quorum intererat, re audita, artifices summa cura accersiverunt, qui columellas metallicas abstulerunt, quibus marmoreas per integram fere noctem laborantes suffecerunt. Atque ita insequenti mane honore dignati sunt Ordinis Praedicatorum Patres, ut eorum Ecclesiae maius altare ab ipsomet Pontifice Summo dedicaretur.

censemus, nihil obstare, quominus illud in subterranea expositum, considerari queat in superiori Ecclesia praesens: ita ut semper possit Missa exequialis cantari in duplicibus etiam primae classis, nisi ratio magnae celebritatis obstet. Quia Ecclesia inferior, alia licet a superiore, cum hac coniungitur; et in actu seu benedictionis primarii lapidis, seu dedicationis superioris Ecclesiae, ipsa fundamenta et parietes omnes Ecclesiae inferioris benedicta aut consecrata manent. Hinc inferioris Ecclesiae consecrandae, quae superiori adnexa est, non vige consuetudo, profecto quia cum superiore consecrata remanet. Si ergo praesens est cadaver in superiori ecclesia expositum, et praesens censeri potest expositum in inferiori, cum illi sit attigua, ac veluti quid unum efficiat. Arroges, Ecclesiae spiritum plurimum quidem favere exequiali Missae cadavere physice praesente; sed inficiendum non est, maximam ab illa haberi considerationem pro prima exequiali Missa, etsi cadaver materialiter non sit praesens. Hinc decretum in *Caurien.* eamdem permittit Missam, etiam nullo modo physice praesente cadavere ob civile vetitum (*9 Iun. 1884, Dub. VIII*). Quod decretum ita est intelligendum, ut cadaver non praesens, tamquam praesens sit censendum, et Missa cani toties possit, quoties caneretur cadavere vere ac physice praesente. Hocque exhibemus tamquam omnino certum ob recentius adhuc ineditum decretum huius anni, nuper Ecclesiae Calagurritanae datum. Ex quo pariter resultat eiusmodi esse mitiorem Ecclesiae spiritum hoc super negotio, qualem diximus.

Etsi ergo negari velit cadaver in casu ut praesens haberi posse, ratione coniunctionis alterius cum altera Ecclesia, eo quod revera inferior sit diversa ab Ecclesia superiori; nihilominus dubitari non potest, ca-

daver in inferiori Ecclesia expositum, et loco viciniori manere et vere insepultum esse. Atqui, re ita se habente, Missa exequialis permittitur, ac si cadaver physice esset praesens; ergo. Addidimus tamen, *si aliqua datur rationabilis causa;* quia sapienter Ecclesia, uti ex Rituali Romano abunde patet, exigit in casu cadaveris praesentiam; et S. R. Congregatio declarat quidem eamdem non esse quandoque necessariam praesentiam, sed gravibus de causis. Non ergo particularibus Ecclesiis licebit in casu ex arbitrio se gerere, seu ne Ecclesiae legibus et spiritui contradicant, seu ne admirationi sint fidelibus.

Ad alterum quaesitum facilis responsio; est enim simplex consectarium, quod summa Rev. inquirens inferre facilitate potest, quin tempus inutiliter teramus.

II. *Ex eodem loco.* **De uno vel trino signo crucis in administrandis quibusdam Sacramentis.** Rituale Romanum ad verba *In nomine Patris etc.* et *Benedicat vos etc.* quandoque unum, quandoque tria notat signa crucis facienda in administratione aliquorum Sacramentorum, ex gr. Baptismi et Extremae Unctionis: quomodo se gerendum?

Resp. Nec plus nec minus ministro Sacramentorum agendum, uti Rituale Romanum praescribit: adeo ut tria, si tria crucis signa, unum vero, si unum tantum crucis signum in eo notatum prostet.

Animadvertendum pro intelligentia praefati ritus, in administratione Baptismatis ter notari semper in Rituali formam crucis agendam, quoties tres nominantur personae SSmae Trinitatis, uti in benedictione salis, in Spiritus immundi exorcismis, in forma baptismatis. In aliis vero casibus, aut signum crucis rei benedicendae respondet, aut actui tantum, quem mi-

nister persolvit; et tunc vel unicum notatur crucis signum vel duplex: quod uti praescribitur, citra controversiam est exequendum, ut cruces verbis et actibus respondeant.

Principium positum discussionem haud patitur; crux enim una signata in codice vel plures, actus ministrorum indicat: debere a ministro videlicet crucis formam manu effici super, vel versus rem aut personam benedicendam. Quod si codices inter se discrepent, ut alius unum, alius duo vel tria notet signa crucis agenda, hoc veritati obstare non potest, cum error supponi possit et debeat typographorum. Hinc S. R. Congregatio sapientissime statuit, ut editio typica omnium liturgicorum librorum haberetur, secundum quam cetera edenda sunt exemplaria. Hoc autem etiam de Rituali ad amussim comprobatur, de quo et tyipca habetur editio, et altera, quae inscribitur *Editio prima post typicam.* His ergo utendum, et aliae editiones relinquendae, ut in administrandis Sacramentis quaevis discordantia eliminetur.

Nota. Indulgentia quibuscumque orationibus adnexa, lucrifieri indubie potest, etsi eaedem orationes in aliam vertantur linguam, modo alia id lex non vetet, uti alias animadvertimus (*Ephem. n. 4, pag. 231, Resp. 2*). Nil autem arbitramur posse opponi applicationi eiusdem principii in casu privatae recitationis offici B. M. V. ut obligationi alicuius Confraternitatis satisfiat.

III. *E Thera in Graecia.* **De assistentia Episcopi dioecesani in choro.** Si Episcopus loci velit diebus minus solemnibus in choro assistere, tenere ne debet primum in choro eodem subsellium, an potius thronum, an denique choro ipsi abstinendum?

Resp. Ex quadam legis, ad hanc rem quod attinet, obscuritate, difficultas exurgit. Caeremoniale enim Episcoporum postquam locutum est de Sede episcopali instar throni immobilis, de eius loco, ornatu, sublimitate etc. prosequitur ita se exprimens : " Huiusmodi sede utetur Episcopus, dum Vesperae et Missae solemniter celebrantur. Cum vero Missis non solemnibus et Horis matutinis, aut aliis Episcopus assistit, **si fuerit in medio Ecclesiae chorus ante altare**, poterit ibi in sede pro ipso ordinata, residere, quae remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine Ecclesiae esse solet, sive longius, sive propius ab altari distet. At **ubi chorus est sub tribuna**, poterit in sede Episcopali supradicta, tam in solemnibus, quam non solemnibus officiis esse (*Lib. 1, cap. XIII, n. 3*) „. Quo loco sapienter animadvertit cl. De Herdt (*Prax. Pontif., Lib. 1, cap. XIII, n. 104, litt. i*), fortasse mendum irrepsisse in textu Caeremonialis; nam altera propositio *si fuerit in medio Ecclesiae chorus ante altare*, et altera disiunctiva *ubi chorus est sub tribuna*, idem omnino dicunt, uti perpendenti patebit. Ut consequenter intelligi non possit, quando in functionibus minus solemnibus licebit Episcopo sedere in throno, quando in primo chori subsellio. Praefatus auctor censet, eique adhaeremus, pro verbo *chorus* debuisse scribi *altare:* ut sensus sit, non *ubi chorus*, sed potius *ubi altare est sub tribuna ;* tunc enim sensus secundae, alius est a sensu primae propositionis. Consequenter ita intelligendus videtur textus legis, ut si altare parieti adhaeret in medio sub tribuna seu absyde, a parte Evangelii habeatur thronus, et in medio Ecclesiae, seu satis ab altari distans situs fuerit chorus; tunc Episcopus eodem throno uti tantum poterit in functionibus solemnioribus, haud vero in minus solemnibus. Si vero, non altare, sed thronus

parieti adhaereat sub tribuna, ante thronum sit, longius nimis, altare, inter thronum et altare situs chorus fuerit hinc inde a lateribus eiusdem throni, hoc in casu eadem semper Sede uti Episcopus poterit, sive in solemnioribus, sive in minus solemnibus functionibus.

Ratio huius dispositionis est, quia quando thronus est parieti applicatus sub tribuna, habens hinc inde chorum; cum hoc quasi coniungitur, et non dedecet, ut Episcopus ibi etiam in minus solemnibus functionibus sedeat. At si thronus a cornu Evangelii collocetur, plus minusve manet separatus a choro; et tunc, ut bene supercitatus De Herdt observat, convenienter in minus solemnibus diebus nequit assistere, *sed sedere debet in primo stallo chori pro ipso ordinato in eo loco, ubi ex consuetudine Ecclesiae esse solet, sive sit prope altare, sive longius ab eo distet* (Loc. cit.). Ideo autem in minus solemnibus functionibus in throno ab Evangelii latere posito non convenit Episcopo assistere, quia in illis neque adhibet solemniorem ministrorum assistentiam, neque pontificalium indumentorum pompam. Hinc decretum *Nicien.* d. d. 12 Sept. 1646 ad 2, statuit: " Nullam assistentiam Canonicorum deberi Episcopo interessenti Horis Matutinis et Completorio. „ Eadem prohibetur assistentia Canonicorum Episcopo Cesenatensi in Matutinis aliisque Horis canonicis (*29 Ian. 1656*). Quoad indumenta autem, certum est, Episcopum diebus ferialibus cum Rocheto saltem et Mozzeta divinis interesse posse, non tamen in throno, sed in primo chori subsellio : constat ex pluribus decretis, uti in *Oxomen.* d. d. 24 Iul. 1638: *Ferentina*, 12 Ian. 1647, et aliis. Inferre ex his facile poterit Rev. inquirens, sicuti Rochetum et Mozzeta minoris, ita Cappam maioris esse solemnitatis indu-

mentum. Proinde illis indutus non debet Episcopus sedere in throno: si hac induatur, bene id poterit.

Quod autem Episcopus Missae solemni aliisque divinis officiis assistens induere semper Cappam possit et sedere in throno, dubitandum non videtur; Caeremoniale enim Episcoporum, post maiores solemnitates recensitas, sic se exprimit: " In aliis festivis seu ferialibus diebus Episcopus, cum aderit, semper deferet Cappam (*Lib. II, cap. XXXIV, n. 4*). " Diximus *videtur*; ratio est, quia S. R. Congregatio intendit, ut Episcopus circa usum Cappae in assistentia discrete se gerat (*Melphiten. 22 Aug. 1744 ad 2*); et, uti superius vidimus, ferialibus diebus Rocheto et Mozzeta utendum est Episcopo. Hanc quoque distinctionem cl. De Herdt admittit, decretis pluribus fretus (*Lib. II, cap. 34, n. 34, lib. 6*).

IV. *E Calari in Sardinia.* **De Missa exequiali in festo primi ordinis per accidens non praeceptivo.** Fertur decretum 11 Iun. 1880, statuens Missam de requie praes. cadav. cani posse in festo S. Io: Baptistae, ubi nec Titulus est Ecclesiae, nec habet feriationem adnexam: quid?

Resp. Certum est, decretum relatum in Collectione authentica non esse inscriptum. Certum est pariter, illud aliis pluribus indubie authenticis esse oppositum. Certum est denique Academiam Liturgicam Romanam sententiam decreto eidem contrariam sustinuisse (*Ephem. Liturg. 1889, pag. 735*), Quid concludendum? Negotium hoc, si a decreto relato abstrahamus, omne dubium videtur excludere; si enim ubi solemnitas festi transfertur, Missa de requie in die festo etsi non praeceptivo vetatur, a fortiori vetita dicenda est, ubi neque solemnitas externa remittitur, die proinde qua cadit in Ecclesia recolitur. Si vero decretum relatum sit au-

thenticum, tunc praecedentia decreta vim amplius non habere dicenda forent. Aliud pro praesenti dicere nequimus; sed patientia opus, et rem istam, uti et reliquas in materia, perspicuas evasuras confidimus.

V. *Ex eodem loco.* **De commemoratione eiusdem obiecti in Vesperis.** Si officium votivum fiat de Ss. Sacramento ritu semiduplici, et in Vesperis habeatur concursus cum officio pariter votivo de Ss. Sindone, quomodo eaedem ordinandae Vesperae?

Resp. Rev. inquirens refert in expositione dubii decretum *Dubiorum* ad IV, d. d. 26 Nov. 1883, quo statuitur, secundis Vesp. de Sacram. et primis de Passione concurrentibus, faciendum esse *totum de praecedenti, nihil de sequenti.* Nonne ergo, concludit, idem dicendum est, si pro Vesperis de Passione dicendae essent Vesperae de Ss. Sindone? Reponimus, illationem, ob paritatem rationis, omnino certam nobis videri; ubi enim eadem est ratio, eadem esse debet legis dispositio. Eoque magis, quod officium de Ss. Sindone est citra controversiam officium de Passione, sicuti reliqua, quae a Septuagesima ad totam Quadragesimam in tertia aut sexta feria recitantur. Decretum autem *Dubiorum,* non tam de officio Passionis peculiariter sumpto videtur loqui, quod feria III post Dominicam Sexagesimae recolitur, quam potius de officio quocumque ex iis, quae sunt de Passione. Quidquid ceterum sit, plane cum inquirente convenimus, ut in casu totum fieri debeat de Sacramento, nihil de Ss. Sindone.

Quod si admittatur, facile inferendum credimus, tempore paschali, si officium votivum fiat de Sacramento, crucis commemorationem esse omittendam, sicut in officiis de Passione vetita est (*Emeriten. 29 Apr. 1887 ad III*).

VI. *E Verona*. **De Missa exequiali in festo Patroni dioeceseon**. Ubi duo habentur ex consuetudine Patroni, alter loci, alter dioecesis et ambo ritu dup. 1 cl. cum octava, ac feriatione simul celebrantur, Missa exequialis praesente cadavere, vetita ne dicenda est in utroque festo?

Resp. Ita credimus, salvo meliori iudicio. Animadvertimus primo, Patronos alios esse generales, alios particulares; sed indubium arbitramur, patronum dioecesis inter particulares esse recensendum. Constitutio enim Urbani Papae octavi, duo permittit festa Patronorum cum feriatione, *unius* scilicet, *ex principalioribus Patronis in quocumque regno, sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit*. Iam vero S. R. Congregatio prohibet festum Patroni dioeceseon ubi proprius loci Patronus ritu classico, et cum feriatione recolitur (*In una S. Claudii, 30 Mart. 1878*); ergo patronus dioecesis ad generales non pertinet, sed ad particulares: secus nequaquam eius festum S. R. C. prohibuisset. Sunt proinde Patroni dioecesis considerandi tamquam Patroni locorum. Atqui in diebus festis Patronorum localium Missa exequialis prohibetur, etiam praesente cadavere, ergo. Praeterea agitur in casu de festo patroni, qui principalis est, pro quo idem servatur ritus, eadem habetur solemnitas, eadem praescribitur feriatio. Hae autem rationes simul acceptae, eiusmodi festum in omnibus et per omnia simile reddunt, ne aequale dicam, alteri, in cuius die indubitanter Missa exequialis prohibetur; ergo ex paritate rationis, etiam in die illius festo eadem Missa vetatur. Diximus nihilominus *salvo meliori iudicio,* fieri enim potest, ut ex intentione legislatoris tale vetitum, haud obstantibus allatis momentis, ad unum tantum patronale loci fe-

stum applicandum sit: de quo tamen nil certi asserere licet, nisi sacrum competens Tribunal audiatur.

VII. *Ex eodem loco.* **De collectis in Missa facienda in aliena Ecclesia.** Collectae a Superiore imperatae, in Missa privata, quae dicitur in aliena Ecclesia, respondere ne debent Superiori Celebrantis, an potius Superiori Ecclesiae, in qua celebratur?

Resp. Dari casus possunt celebrandi in aliena dioecesi, et tunc tantum credimus, dubium expositum locum habere posse; in omnibus enim unius dioecesis Ecclesiis unus est Superior, Ordinarius, qui solus collectas in Missa praecipiendi facultate gaudet. Reponimus, Celebrantem in aliena dioecesi, eo ipso subditum evadere, ad hoc quod attinet negotium, Episcopi dioecesani: qui omnimodam habet in singulis Ecclesiis sui territorii iurisdictionem. Iam vero in eiusmodi Ecclesiis tales, haud aliae, recitari queunt Collectae, quas Ordinarius illarum imperavit. Ergo quicumque ex Sacerdotibus in iis celebrat, Collectas ibi recitabit, quae pro illis statutae sunt, aliis neglectis, quae praescriptae esse possunt in dioecesi Celebrantis, quae pro eodem hic et nunc velut aliena est.

VIII. *Ex eodem loco.* **De Vigilia Epiphaniae utrum impediat Missam votivam SS. Cordis Iesu.** Si Vigilia Epiphaniae incidit in primam feriam VI mensis, cum sit festum Domini, impeditne Missam votivam Ss. Cordis Iesu?

Resp. Responderi posse credimus, et respondemus negative. Namque certum est, favores esse ampliandos; non ergo privilegium huius Missae votivae restringendum ob vigiliam non privilegiatam, quia vigilia non est festum, proindeque liturgice dici non potest, vigiliam Epiphaniae esse festum Domini, quamvis ad Dominum pertineat. Neque obstat, eam esse festivam

potiusquam ferialem, utpote habentem officium novem lectionum; id enim vigiliae naturam non mutat, quae haud festi, sed praeparationis ad festum rationem habet. Neque etiam obstat si festa semiduplicia excludit, hoc enim ex ritu eiusmodi vigiliae oritur, qui cum sit semiduplex, alii semiduplici occurrenti praevalet. Denique ipsa verba decreti idem manifestum faciunt, cum dicant permissam votivam Missam in illa feria, *dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini etc. vel... vigilia... ex privilegiatis;* ergo decretum supponit, vigiliam ex non privilegiatis non esse festum Domini, quippe in ea eiusmodi Missa permittitur. Nisi ergo duplex 1 cl. occurrat, Missam votivam, salvo meliori iudicio, recitari posse credimus in vigilia Epiphaniae, quando in primam feriam VI incidat mensis (1).

IX. *E Galliis.* **De officio SS. Vultus D. N. I. C.** Quaeritur, num extet tale officium approbatum, quod recitari a Sacerdotibus possit.

Resp. Officium SS. Vultus D. N. I. C. nullum extat a S. R. C. approbatum, neque uti Passionis Reliquia, neque, et multo minus, uti pars Corporis Christi Domini. Quinimo notum facimus lectoribus nostris, negotium istud sub hoc ultimo respectu assumptum fuisse a S. Congregatione Inquisitionis, et apud eam tractari.

X. *Ex eodem loco.* **De duobus festis duorum Apostolorum concurrentibus.** Si festum Conversionis S. Pauli translatum concurreret cum Cathedra S. Petri Romae, ut anno elapso accidit, quomodo Vesperae ordinandae?

Resp. Haud difficilis solutionis videtur propositum dubium. Nam idem in utroque festo ritus, eademque

---

(1) Ex hoc patet, emendandum quod hac super re alibi dictum est (*V. Ephem. Volum. 5, Dub. XI, pag. 257*).

dignitas; ergo Vesperae sunt dimidiandae, seu a capitulo de sequenti cum com. praecedentis. Nec quid obstare potest identitas obiecti, quippe quae nulla est in casu, cum non de duobus eiusdem Apostoli festis, sed de festis duorum Apostolorum agatur; non ergo datur obiecti identitas, sed vera distinctio inter utrumque, et unus non est alius Apostolus. Casus prorsus similis crebro comprobatur, nunc in duobus Martyribus, nunc in duobus Confessoribus, quorum festa concurrunt, et absque ulla difficultate in paritate ritus Vesperae dimidiantur, vel in inaequalitate integrae de altero fiunt, et de altero non omittitur commemoratio, etc. Quaestio fortasse fieri posset circa Vesperas dividendas, quia tabella Concurrentiae in concurrentia duplicium maiorum ponit *totum de digniori, com. de minus digno:* sed nullius ponderis quaestio apparet, cum adsit in casu paritas dignitatis. Certam proinde omnino datam solutionem tenemus.

XI. *Ex Utino.* Tria proponuntur dubia circa recitationem choralem officii parvi B. M. V. ubi consuetudo viget. Pro responsione sint sequentes breves animadversiones. 1. Primae Vesperae semper dicendae die praecedenti, quando in sequenti officium recitari debet. 2. Officium istud praeponitur officio diei quoad Matutinum et Vesperas: in reliquis Horis postponitur. 3. In Vigilia Nativitatis Domini officium parvum B. M. V. recitari non debet; ergo neque Vesperae praecedenti die dicendae sunt. 4. Haec dubia similia sunt illi, quod solutum est in 4 huius anni *Ephemeridum* numero (*Vid. pag. 238, Dub. XIII*). 5. Quando officium parvum B. M. V. recitari debet, integre est recitandum: adeo ut in feriis, quibus sequitur festum duplex, ante primas Vesperas duplicis, secundae re-

citandae sunt de officio parvo, ita disponente Rubrica speciali.

XII. *E Ragusa in Dalmatia.* **De concione infra Missam sine planeta et manipulo.** Usus alicubi viget ut in mense Maio B. M. V. dicato, Celebrans post Evangelium, casulam deponat atque manipulum, et ita cum alba et stola vicinum suggestum ascendat, ex eoque analogam ad populum concionem habeat: quid?

Resp. Duplici sub aspectu actus iste considerari potest, quatenus nempe concio habetur infra Missam post Evangelium, ab ipso Celebrante; et quatenus ipse Celebrans deponit aliqua ex paramentis, relinquit altare, pulpitumque concionaturus ascendit. Negotio sub primo aspectu perpenso nil animadvertimus; satis enim notum est, seu pro explicando Evangelio, seu pro aliqua ad fideles exhortatione agenda, non solum ante symbolum vel offertorium, sed etiam ante communionem populi, Celebrantem posse Missam abrumpere. Id probat seu fere universalis Ecclesiarum laudabilis consuetudo, seu quaedam S. R. Congregationis decreta, hac super re vulgata. Sed sub altero aspectu re perpensa, non possumus, quin consuetudinem minus laudabilem dicamus. Primo enim, cum nihil prohibeat, neque ullo modo dedeceat, ut Celebrans omnibus pro Missa paramentis indutus concionetur, sacerdotalem enim auctoritatem exercet, exuere se casula et manipulo ut id persolvat, est actus prorsus inutilis, ullaque sine significatione. Secundo, concionari cum alba, est contra morem omnium Ecclesiarum, maxime in in Urbe, in qua superpelliceo concionatores utuntur. 3. Denique, nulla ratione probandum credimus usum relinquendi altare, et ascendendi pulpitum etsi proximum, cum vix Episcopo hoc permittatur ex lege. Diximus *vix*, quia Caeremoniale Episcoporum vel de

Sede Episcopi propria loquitur vel de faldistorio, haud vero de pulpito, nisi agatur de alio concionante ab eo, qui Missam facit (*Lib. II, cap. VIII, n. 48 et alibi*). Usus tamen alicubi invaluit, et etiam Romae, ut] si quis ex Cardinalibus S. R. E. hic, et extra Urbem Episcopus, sermonem habere velit infra Missarum solemnia, ascendat pulpitum. Quod fortasse accidit, seu ratione maioris solemnitatis, seu ut a populo facilius vox audiatur. Iam vero quod licet Episcopis et purpuratis Patribus, arbitramur profecto, haud licere simplici Sacerdoti, et quod mirum est, in Missa privata: sapit proinde talem hic ritus novitatem, ut reprobatione sit dignus.

Nota pro inquirente. Aliud dubium omisimus, vix enim ad rem pertinet: si tempus et spatium suppetant, alias separatim tractabitur, cum quaestio similis et Romae nuper exorta fuerit.

XIV. *E Provincia Ianuensi.* **De Oratione Sacramenti in Missa, ratione processionis.** Quando post Missam solemnem fieri debet processio cum Venerabili, in eadem Missa fieri ne debet vel potest commemoratio Sacramenti?

Resp. Negative. Rev. inquirens in dubii expositione dubitat, utrum Collecta de Sacramento sit addenda, quia supponit, Missam celebrari de SS. Nomine Iesu, ut proinde videatur de eodem obiecto esse. Sed hoc seposito, quod non satis est certum, dicimus, ex Instructione Clementina, ex decretis pluribus S. R. Congregationis, et ex praxi universali, Collectam de Sacramento debere addi in solemni, posse in privatis Missis, unica de causa expositionis solemnis, sive in forma Quadraginta Horarum, sive sub alia forma permanenti. At in casu Sacramentum vix exponitur, et tantum sub fine Missae, processionis causa, et postea

datur cum eo benedictio ; locum ergo non habet praefata Collecta, ut iudicemus eam non esse dicendam, cum causa desit.

XV. *Ex eodem loco.* **De absolutione defunctorum super sepulturas.** Consuetudo est, ut die 2 Novembris, *Libera me Domine* cantetur, post Missam in cantu, super unamquamque sepulturam : quid ?

Resp. In pluribus Ecclesiis eadem viget consuetudo, quam laudabilem credimus. Primo quia nulla eam lex vetat, et satis differt a pluribus Absolutionibus, quae pro uno eodemque defuncto, nisi pro Episcopo Ordinario iuxta legem, fiunt, eae namque probari nequeunt. Secundo, quia ad Missam non pertinent, quam sequuntur, et, uti fiunt, extraliturgicae potius appellari possent. Tertio rationem habent suffragiorum, quibus defunctorum animae piacularibus flammis addictae, illa die plurimum iuvantur. Quarto, functio in se spectata nil habet, quod decori cultus oppositionem dicat: Hinc eam optimo iure credimus servari consuetudinem posse.

XVI. *Ex Austria.* **De loco crucis in absolutione defunctorum.** Quando minister debet cum cruce se sistere inter altare et tumulum, ubinam debet se collocare an a parte Evangelii, an a parte Epistolae ?

Resp. Subdiaconus cum cruce ad neutram partem Evangelii aut Epistolae debet consistere, sed in medio. Lex enim Ritualis aperte loquitur: "... Subdiaconus... se sistit ad caput defuncti... Sacerdos... sistit se contra crucem ad pedes defuncti... (*Rit. Rom. Tit. VI, cap. 3, n. 7*). „ Iam vero de feretro ait: " Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius; si vero fuerit Sacerdos... caput sit versus ipsum altare, etc. (*Ibid., n. 4*). „ Sicut ergo, quando minister cum cruce stare debet

inter tumulum et ianuam ecclesiae, manet in medio; ita a pari, quando stare debet in tumulum et altare, in medio manebit. Neque dicas, hac ratione se gerentem ministrum, terga ad altare vertere; nam Rubrica id non considerat, quia minister cum cruce medius inter acolythos, ipsemet aliud efformat altare, ita ut altare maius amplius non sit considerandum, et revera non consideretur.

Nota. Cruces, numismata etc. in ipso actu benedictionis indulgentia ditantur, si benedicens ac facultate gaudeat; et nulla lex dicit, prius debere benedici, ut postea ditentur indulgentiis. Consequenter sufficit signum crucis pro indulgentia alicui obiecto adnectenda (*S. C. I. 11 Apr. 1840*).

XVII. *E Ferentino in Hernicis.* **De commemoratione Rogationum in Missa S. Marci sub unica conclus.** Commemoratio Rogationum in festo S. Marci, facienda ne est sub unica conclusione ?

Resp. Affirmative, salvo meliori iudicio. Tunc enim aliqua com. facienda certo est sub unica conclusione, quando ritus unam tantum fert Orationem, uti dup. primae classis, aliaque Oratio addenda non est vi officii, sed per accidens. Ita in dup. primae classis sub unica conclusione legitur Oratio imperata pro re gravissima, sub alia vero conclusione commem. de dupl. maiori quod transferri nequit, de Dominica etc. In dup. autem secundae classis licet non apparere videatur ratio sufficiens ut recedatur a Rubrica Missalis (*Tit. 7, n. 7*), quia eiusmodi ritui plures Orationes non opponuntur, imo neque Collectae, nisi Missa fiat in cantu, quod ex solis decretis constat; nihilominus cum agitur, ut supra, de aliqua commemoratione per accidens addenda, S. R. C. idem videtur sequi principium, saltem in Missis canendis. Etenim statuit sub unica

conclusione commemorationem de Sacramento addendam ratione expositionis Missae de die, in dup. tam primae quam secundae classis: item Orationem pro eligendo Summo Pont. addendam eodem modo Missae de die in dup. secundae classis: similiter addendam ad Missam de festo Orationem Missae votivae, quae celebranda foret, sed ratione festi prohibetur etc. Ex quo videtur sequi etiam in casu nostro, seu in festo S. Marci, dup. secundae classis, addendam esse commemorationem Rogationum, cum omissa processio fuerit, sub unica conclusione Orationi de festo, cum eadem sit ratio.

Nota. Circa ultimum Evangelium Rogationum in Missa S. Marci, admod. Rev. inquirens, legat, oramus, solutionem quaestionis in Ephemeridibus Mense Septembri anno 1891 propositae (*pag. 518*), ex eaque omni certitudine inferat, in Missa S. Marci nullum habere posse locum Evangelium Rogationum.

XVIII. *E Dioecesi Montis Politiani.* **De anniversario in die impedita incidente.** In die anniversaria obitus cuiusdam defunctae, ad petitionem mariti, una cum aliquibus Missis etiam officium mihi decantandum est; sed cum praedictum anniversarium saepe saepius in diebus impeditis incidat, possum ne, saltem dum infra octavam incidit, tumulum erigere, Nocturnum decantare, Absolutionem facere, et omnibus inde sublatis, Missam de die canere?

Resp. Ex S. R. Congregationis responso sub die 8 Iulii 1741 licet colligere negative proposito dubio respondendum esse, si de octavis privilegiatis agitur. Nam S. R. Congregatio in praedicto responso, aliquibus Monialibus dato, quae ad quotidianam recitationem Responsorii, ex voluntate testatoris super ipsius sepulturam, tenebantur, haec habet: « ut supra-

dictum Responsorium pro defunctis, sic testatore iubente, possit quotidie decantari, exceptis duplicibus primae et secundae classis, et *Octavis* eorundem festorum *privilegiatis*, nec non tota hebdomada maiori. In festis autem primae classis, et *Octavis privilegiatis* praedictaque maiori hebdomada, ne pia testatoris voluntas defraudetur, recitetur privatim in Choro a Monialibus praedictis, absolutis horis Canonicis „. Super quibus sic ratiocinamur: si unum Responsorium post absolutam Missam diei, canere in octavis privilegiatis prohibitum est, a fortiori tumulum erigere, et integrum Nocturnum decantare haud certe licebit. Itaque Rev. Inquirens vel privatim recitet Nocturnum, quando supradictum Anniversarium in diebus impeditis incidit, vel omnia anticipet in primam diem non impeditam. Quod enim Calendarium dioecesis, ut in dubio expositum est, dicit, id, nempe, fieri non posse quum anniversarium ad petitionem sit viventium, minime veritati conforme est.

Nam, sicut et diximus in ipsis Ephemeridibus anno 1890 (*pag. 241 in Nota*), sententiam, clar. De Herdt et A Carpo contrariam, nullam distinctionem admittentem inter anniversaria fundata et privata quoad translationem tuemur, sequenti potissimum ducti ratione. Sicuti anniversaria fundata celebrari permittuntur in duplici maiori, ita etiam in dup. maiori reponi possunt. Ita a pari anniversaria ad petitionem vivorum, quae nonnisi in duplici minori ante annum 1884 celebrari poterant, in duplex quoque minus transferri tantummodo poterant. Iam vero, mutata nunc disciplina, et anniversariis privatis privilegio concesso quod in dupl. maiori celebrari possint, non videmus quare etiam in duplici maiori reponi non possint. Ratio enim anticipandi vel posticipandi an-

niversaria privata, urget, nec plus nec minus, quam ipsa fundata, cum de vera die obitus agatur.

Insuper certa scientia scimus, decretum citra dubium evulgatum iri a S. R. Congregatione, in quo aperte dicetur, anniversaria, sive fundata, sive privata ad petitionem viventium, si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari, etsi duplex maius sit.

XIX. *Ex N. Prov. Ianuensis.* **De quibusdam ritibus in hebdomada sancta servandis.** In locis, quibus unus tantum adest Sacerdos, in Benedictione Palmarum ubinam evangelium decantare debet, in cornu Epistolae an Evangelii? Si in Cornu Epistolae, " Munda cor meum " ubi dicturus erit? Similiter in Sabbato Sancto, ubi Paschale Praeconium decantabit, et quo in loco, " Munda cor meum " dicet?

Resp. Vide " Memoriale Rituum " (*Tit. III, Cap. 2, par. 1, n. 10*), libellum pro minorum ecclesiarum Rectoribus praesertim, S. M. Benedicti XIII anno 1725 iussu, editum; et invenies: " (Celebrans) Praemisso eodem loco (Epistolae) " Munda cor meum " legit Evangelium etc. " Cui, omnia caeremoniarum manualia plane concordant: accedit insuper quod ipsa ratio et rectus sensus liturgicus id dictant. Nam post Evangelium alia plurima Celebrans legere a parte Epistolae debet, quapropter satis incommodum, ut ne dicam inconveniens, esset, pro lectione vel cantu Evangelii ad cornu ipsius Evangelii transferre Missale, et postea denuo ad Epistolae cornu, ipsum transportare. Dispositio autem Memorialis aeque valet tam pro cantu quam pro Evangelii lectione. Quoad locum vero Praeconium Paschale canendi, haec idem Memoriale habet (*Tit. VI, c. 2, p. 2, n. 4*): " Deinde surgens (Celebrans)...

accedit ad Legile paratum in plano Evangelii pro Praeconio... „ In cornu Evangelii quapropter, et proprie ubi de more canitur Evangelium, Paschale Praeconium concinendum est. Nullibi autem " Munda cor meum „ ante Praeconium dicendum est; nam Paschale Praeconium minime Evangelium est, et ideo verba " Munda cor meum „ non ita apte recteque Praeconio aptarentur. Sed et Rubrica Missalis id docet; nullam de ipso " Munda cor meum „ mentionem faciens, cum e contra aperte dicat benedictionem petendam esse. Insuper pluries laudatum Memoriale Rituum de Celebrante Praeconium concinente loquens, aperte dicit: " Celebrans tenens Missale in manibus, genuflectit in infimo gradu Altaris, *et non praemisso* " Munda cor meum „ dicit tantum " Iube Domine benedicere etc... (*loc. c. n. 3*). „

DISSERTATIO

Super Benedictione Apostolica per Episcopum

1. Primus Ephemeridum numerus praesentis anni duplicem agitavit quaestionem, quam breviori calamo resolvit. Primae obiectum fuit, num partialem impertiri Indulgentiam possit Episcopus, quando post finem Pontificalis Missae plenariam daturus est per Apostolicam Benedictionem: ea resoluta negative optimo iure fuit. In altera triplex discussit dubium: primum circa obligationem Brevis Apostolici legendi ante Benedictionem: alterum circa potestatem eamdem Benedictionem largiendi, tum post Pontificalia Missarum solemnia acta ab ipsomet Episcopo Ordinario, tum post eius assistentiam eidem Pontificali Missae per alium factae: ter-

tium circa Pontificalia paramenta, quibus Episcopus indutus eamdem potest Benedictionem largiri. Primum et tertium affirmative resolutum fuit, secundum in dubio relictum. Cum aliud ad hanc quod pertinet materiam nobis propositum sit dubium, cumque aliquid animadversionis super secundi solutionem dubii praeteriti fuerit quoque expositum, officii nostri ducimus hanc ab aliis quaestionibus separare materiam, et exactius pertractare, ut omnibus faciamus satis.

2. Benedictio, de qua in casu, Apostolica dicitur, utpote ordinariis iuribus Episcopalibus nequaquam inhaerens, uti per se patet, sed Pontificio tantum; et eidem Benedictioni Plenaria Indulgentia adnexa est. Cl. Martinuccius, De Herdt, et alii de hac Benedictione verba faciunt: hic innuit, ille fusius refert illius dandae potestatem a Clemente Pontifice huius nominis XII factam per Constitutionem *Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum* d. d. 3 Sept. an. 1762 (*Manual. Sacr. Caerem. Lib. VI, cap. XXVI: Prax. Pontif., Lib. 1, n. 210*). Hac Constitutione Praefatus Pontifex facultates omnes donandi benedictionem nomine Summi Pontificis, a semet et a praedecessoribus suis concessas Episcopis, aliisque ecclesiasticis Superioribus revocavit; atque decrevit, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi bis in anno, videlicet in die Resurrectionis Dominicae, et in altera tantum solemnitate ad libitum eorum, postquam Missam solemnem ritu Pontificali celebraverint, et Abbates, qui iurisdictione gaudent in territorio separato, in uno ex diebus statutis ad exercitium Pontificalium, impartiantur Benedictionem solemnem cum concessione Indulgentiae plenariae, nomine Summi Pontificis. Quam tamen facultatem petere debent, quando electi sunt ad Ecclesiam, ipsorum curae commissam (*Apud Martinucci loc. cit.*).

3. In Caeremoniali Episcoporum haec Benedictio, seu forma inspecta, seu ritibus et caeremoniis, quibus impartienda est, non reperitur, neque in ipso fuit typico inserta. Reperitur tamen, ait supercitatus De Herdt (*ib. loc. cit.*), in aliquibus Editionibus Pontificalis Romani. Nos autem addimus, eam cum suis ritibus et caeremoniis fuisse in typico Pontificali inscriptam, haud tamen in corpore, sed in Appendice. Notandum est autem, quoadusque saltem S. R. C. tacuerit, eam severe loquendo ius liturgicum non efficere, sicuti alia, quae in corpore praescribuntur.

Causa autem, ob quam Pontificali potius quam Caeremoniali adiuncta fuit ista Benedictio, esse forte potuit, et quidem sapiens, eo quod ad eos non pertinet actus, quos iure ordinario Episcopus exercet. Est enim omnino ex peculiari privilegio a Clemente Papa XIII concesso, eamdemque Episcopus eiusmodi vi privilegii Benedictionem concedit. Hinc omnimodis solemnitatibus impertire eam debet iuxta Pontificalis Rubricam, ipsaque potestate prius fidelibus patefacta, quam Summus largitus est Pontifex. Hinc fortasse haec concessio legenda vulgari quoque idiomate praecipitur, non tantum ut populus quod legitur intelligat, sed ut apprime sciat, eam ex mera et benigna Summi Pontificis auctoritate derivare. Hinc pariter omnibus Pontificalibus ornamentis indutus ea est ab Episcopo vi Rubricae impertienda, ut magismagisque supremam Pontificis auctoritatem repraesentet.

4. Rubrica, quae in typico Pontificali inscribitur, sequentis est tenoris:

Ritus et forma Benedictionis Apostolicae.

" Ritus et forma, a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda Benedictione,

una cum plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo crucis emisso, et in episcopali throno cum mitra ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, in primis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur litterae Apostolicae, quibus Indulgentia plenaria conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens, iuxta Ritum Caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Arcangeli, Beati Ioannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum:

Misereatur vestri Omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens, et emendationem vitae, perseverentiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum post impartitam Benedictionem, publicabitur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae, sequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro N. Divina Providentia Papa N. in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, datis Reverendissimo Domino Domino N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia huius Sanctae N. Ecclesiae Antistiti, eadem Dominatio sua Reverendissima, Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta: rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae. »

5. Hisce positis, quae indubia sunt satis, ad nonnulla progredimur, quae uberiore videntur luce indigere. Dubium, utrum dari Indulgentia 40 dierum possit, cum plenaria, absoluta Missa, est concedenda, plane omittimus, cum nihil super eo sit animadvertendum, et aequa omnino data solutio fuerit. Decretum enim *Marsorum*, cuius retulimus responsionem ad literam, omnino certum negotium facit. Sive ergo, quia plura ex formula, quae in Caeremoniali Episcoporum est, ad hanc Benedictionem in Pontificali insertam pertinent, ut incongrua haberetur repetitio: sive quia, cum datur Indulgentia plenaria, frustranea prorsus esse potest partialis, ut rei inutili daret locum, quod non decet: sive demum quia sic statutum lege positiva est; prohibentur Episcopi ab Indulgentia concedenda 40 dierum, quando iis impertienda cum Benedictione Apostolica est Indulgentia plenaria.

6. Inquisitum ulterius fuit, utrum Breve Pontificiae concessionis, antequam detur Apostolica Benedictio,

legi omnino debeat, prouti Rubrica superius relata videtur indicere. Nos affirmative respondimus: sed unus ex assiduis lectoribus nostris, atque inter Archiepiscopalis Caeremoniarum magistros iure merito adscriptus, animadvertit, ex De Herdt sententia omitti illius lectionem posse. Namque hic auctor decretum citat S. Ind. Congregationis in suae sententiae confirmationem, et super eadem quaestione versatur decretum quoddam S. Congregationis Rituum d. d. 24 Iulii 1885, cuius titulus est. *Placentina* (1): quod decretum, ait praefatus Caeremoniarum magister, apparet obscurum, ut desiderari iure queat authentica interpretatio.

Referamus itaque imprimis verba praelaudati auctoris: " Litterae Apostolicae prius lingua latina integre legendae sunt, et dein lingua vulgari seu vernacula, nisi speciale habeatur indultum Pontificium, ut solo vulgari sermone legantur. Si tamen lectio litterarum Apostolicarum supprimatur, ne populus diutius in Ecclesia retineatur, et sola formula ATTENTIS FACULTATIBUS, latino et vernaculo idiomate legatur, ut de delegatione constet, declaravit S. Congregatio Indulg. illum " ritum et formam, attenta rationabili causa exposita, revera sufficere ad lucrifaciendam Indulgentiam Apostolicae Benedictionis, dummodo per formulam *Attentis facultatibus etc.* fidelibus constet, ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse (*Prax. Pontif. Lib. 1, cap. 25, n. 210, 6*). "

7. Super qua auctoritate dicendum, optimo iure ex sententia cl. auctoris doceri, litteras Apostolicas

(1) Quid dicendum de hoc decreto plane nescimus, cum illud exquisierimus, sed reperire non potuimus in Regestis S. R. Congregationis.

latino vulgarique idiomate esse legendum, nisi aliud fieri ex indulto possit. Cum enim Episcopus Constantiensis ab hac duplici lectione dispensationem a S. R. C. humiliter postulasset, obtenta non fuit, responsumque est: " Iuxta Pontificale Romanum (*7 Dec. 1844*). „ Decretum istud in *Constantien.* a praefato auctore citatur ad calcem Operis.

Verum de altero, quod idem forte docere videtur auctor, id est de facultate supprimendi integre praedictam lectionem, ne populus diu moretur in Ecclesia, negotium non ita perspicue se exhibet. Et primo, quid nimis nobis apparet, peculiare Indultum pro Ecclesia Lemovici datum ad omnes Ecclesias extendere, uti faceret cl. De Herdt. Cum enim agatur de iis observandis, quae pro Indulgentia danda et lucrifacienda praescribuntur, ea ad amussim observanda sunt. Concessio enim et acquisitio Indulgentiarum a voluntate Ecclesiae dependent ita, ut si praescriptae conditiones non exerceantur in praxi, dubitari plusminusve semper possit, et de ipsius Ecclesiae intentione, et de earumdem Indulgentiarum acquisitione. Iam nunc conditio, quae lectionem tangit, praescripta certo est in Pontificali: hanc autem non amplius requiri in Lemovicensi Ecclesia, certum est ex dispensatione; sed non aeque exploratum constat ad alias quod attinet Ecclesias, cum unius Ecclesiae indultum ad alias proprio marte extendi non possit. At subiunges forte, ubi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. Sed reponimus, principium nullius forte esse roboris in casu; non enim agitur de iuris dispositione, sed de exemptione ab ipso iure, quae illi soli favere potest Ecclesiae, cui benigne conceditur.

8. Sed praeterea, verum ne est, eamdem adesse rationem in singulis Ecclesiis, quae aderat in Lemo-

vicensi? Re apprime perpensa, id negandum iudicamus, saltem eo sensu, ut eadem ratio per integrum existat. Reapse audiatur Decretum *Lemovicen.* S. Ind. Congr. quod sequens est: " Episcopus Lemovicensis facultatem obtinuit impertiendi bis in anno Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria: sed in Ritu et Formula huius Benedictionis praescribitur inter cetera, ut legantur litterae Apostolicae ad hoc concessae, ante Benedictionem impertiendam, atque etiam post Benedictionem impertitam publicetur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae. Mos autem in Ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio litterarum Apostolicarum supprimatur, ne diutius populus in Ecclesia retineatur; loco vero litterarum legitur latino et vernaculo idiomate formula, ATTENTIS FACULTATIBUS *etc.* ut de delegatione constet: quaerit, an hic Ritus et Forma sufficiat ad lucrandam Indulgentiam plenariam? S. (*Ind.*) Congr. respondit: Ritum, et Formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere etc. (*ut supra n. 5.*) Et ita S. Congr. auditis quoque Consultorum votis declaravit die 30 Iun. 1840. „

Iam nunc, quaenam est causa de quibus in precibus? Duplex profecto: prima, consuetudo a multis annis invecta, altera populi taedium. Sed hanc causam in unaquaque Ecclesia dari posse, quamvis non ita facile universim saltem concedendum sit, transeat: illam quoque existere, ut indulti Lemovicensis Ecclesiae, alia quaecumque particeps esse queat, uti patet, concedi non potest. Ergo neque concedendum est, quamcumque Ecclesiam, eamdem ac Lemovicensem, habere rationem, saltem integre sumptam, ut se a lectione litterarum Apostolicarum possit dispensare.

9. Insuper aliam iuvat animadversionem agere. Obiectum relati Decreti non respicit, an praefata lectio possit omitti, an fieri omnino debeat, sed tantum, utrum Indulgentia lucrifiat, nec ne, si illa omittatur. Cui dubio, attenta ratione in precibus exposita, S. C. respondet, revera lucrifieri. At ex eo quod Indulgentia acquiri possit, etiam posita omissione lectionis, non videmus, quomodo sequi valeat, eamdem iure semper lectionem posse omitti. Et nota, ipsum cl. De Herdt hanc non trahere conclusionem, sed tantum docere, si lectio omittatur, Indulgentiam lucrifieri. Iam vero alia est nostra quaestio; nos enim quaesivimus tantum, utrum Litterarum Apostolicarum lectio praemitti nec ne ex iure deberet Apostolicae Benedictioni, et affirmative reposuimus, sicut eamdem responsionem nunc quoque confirmamus. Dato ergo, sine praedicta lectione acquiri posse Indulgentiam, iudicamus adhuc eamdem lectionem esse, vi Rubricae, Benedictioni praemittendam.

Eo magis, quia per decretum in *Constantien.* tutiores reddimur, ita rem revera se habere. Etenim cum dictae Dioecesis Ordinarius comperisset " sibi commissos Christi fideles non paucos abscedere ab Ecclesia, expleta Missa Pontificali, etiam in duabus solemnitatibus, queis Episcopus ipse nomine Romani Pontificis populo benedicere debet cum plenaria omnium peccatorum Indulgentia, ac proinde a S. R. Congregatione humillime expetierit, ut in hac ipsa Benedictione dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve Delegationis Apostolicae, ac simpliciter annuntiare plenariam Indulgentiam ne populus abscedat, Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum subscripta die coadunata in ordinariis Comitiis... rescribendum censuit: IUXTA PONTIFICALE ROMANUM (*Die 7 Dec. 1844*). „ Cum ergo

decretum S. Congregationis Ind. nil de hac lectione dicat, utrum nempe debeat legi vel possit omitti, cumque decretum relatum doceat, servandum esse Pontificale Romanum, luculenter sequitur, lectionem litterarum Apostolicarum in casu non esse omittendam.

10. Sed liceat discutere, utrum Indulgentia Plenaria lucrifieri in casu valeat, si litterarum Apostolicarum lectio omitteretur: super quo sequenti ratione argumentari posse arbitramur. Si in aliqua Ecclesia usus fuerit invectus lectionem, de qua est quaestio, omittendi, ne populus in Ecclesia diutius detineatur, tunc et nos cum cl. De Herdt tenemus, Indulgentiam posse acquiri. Ratio est, quia S. C. Ind. declarat, eiusmodi omissionem ex praefata ratione non impedire acquisitionem Indulgentiae, dummodo ATTENTIS FACULTATIBUS *etc.* legatur. Quod non declarat quasi per modum Indulti pro Lemovicensi Ecclesia, sed ad modum iudicii, uti ex supra relatis verbis aperte constat. At ubi eadem existit ratio, idem citra dubium efformandum est iudicium. Ergo in quacumque Ecclesia praefata consuetudo viget, sicut in Lemovicensi, concludendum credimus, reliquum rituum et caeremoniarum, quae adhibentur, etsi litterarum Apostolicarum lectio omittatur, ad lucrandum Indulgentiam plenariam, revera sufficere.

Nec satis valet argumentum in oppositum de voluntate Ecclesiae exigentis, ut praescripta adimpleantur. Id enim certum est ad opera praescripta quod attinet, quae conditiones constituunt pro Indulgentia lucranda, vel preces ipsas determinatas. Verum lectio *Brevis* Pontificii, inter conditiones comprobandas haud satis recensendum esse constat, nec locum certo habet inter preces praescriptas, sed est tantummodo quid extrinsecum. Eoque magis, quod per lectionem for-

mulae ATTENTIS FACULTATIBUS *etc.* finis legis, et intentio Pontificis satis implentur, uti patet.

11. Quid vero dicendum, si eiusmodi lectio omitteretur, ubi talis consuetudo non extat? Eodem modo responderi posse credimus, hoc est: etiam Indulgentiam lucrandam non impediri. Quamvis enim ratio, propria Lemovicensis Ecclesiae, partialiter solum in aliis comprobari possit, nihilo tamen minus ea haberetur pars, quae potior est. Sane parum interest, si inducta vel non consuetudo fuerit: at interest plurimum fideles diutius non detineri in Ecclesia, ne taedio affecti ab Indulgentia plenaria lucranda impediantur. Satis quidem intelligitur, impedimentum istud ex ipsa spirituali fidelium infirmitate derivare; sed hoc haud obstante, pia mater Ecclesia et illam videtur quadam commiseratione respicere, ut tantum spiritale bonum, qualis Indulgentia plenaria est, consequi fideles possint. Advertas enim, haud toedium ex consuetudine omittendi lectionem oriri potuisse, sed satis probabilius consuetudinem ex toedio fuisse ortam. Toedium ergo cum praecipuam causam constituat lectionis omittendae, facile conveniendum, rationem ex qua iudicatum fuit, etiam omissione posita, in Ecclesia Lemovicensi non impedire Indulgentiam, nec impedire eam posse in aliis Ecclesiis. Praeterea in hoc quoque casu, ut supra, huiusmodi lectio omnino accessoria est, conditionem sine qua non, constituere admodum difficile intellectu est, tamquam extrinsece ad Indulgentiam se habet, eiusque omissio finem legis nullo pacto impedit, neque efficere valet ut intentio Pontificis frustrata maneat. Hinc, salvo meliori iudicio, adhuc lucrifieri posse credimus in casu Indulgentiam plenariam.

12. Postulatum quoque fuit, utrum Episcopus, ad Apostolicam Benedictionem impertiendam debeat per se ipsum Pontificalia Missarum agere, et respondimus dubitanter, a cl. De Herdt sententia aliquantulum recedentes, decretumque in *Tarvisina* benigniori sensu interpretantes. Sed, re impraesenti maturius perpensa, praefati auctoris sententiae omnino inhaerentes, omne depellimus dubium, et negotium omnino tamquam certum exibemus utpote definitum. Decretum quidem supercitatum in *Tarvisina* aliquod dubitandi relinquit locum; sed aliud extat in *Neapolitana*, quod illud prorsus adimit, remque exploratam facit, hinc et ad litteram heic referre optimum credimus. In eo itaque petitur: " Potestne Archiepiscopus, his diebus, quibus ei permittitur usus pallii, absoluta Missa pontificali dimittere pallium cum ceteris indumentis pontificalibus, sumere pluviale, et sic indutus impertire Benedictionem Papalem? „ Responsum est autem: " Negative, et hic usus servatus in Ecclesia metropolitana est eliminandus, quia Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda, dari debet absoluta Missa pontificali a Celebrante, induto iisdem paramentis, reassumptis etiam chirothecis et pallio ornato, quippe actionem exercet plenitudinis Pontificalis dignitatis (*Neap. 23 Febr. 1884 ad Dub. XIII*). „

Ex his sequitur: a) Episcopum, si Benedictionis Pontificalis privilegio uti velit, debere per se Pontificalem Missam agere, post quam dari solum illa potest. b) Consequenter hanc solemnem Pontificalem Benedictionem esse vetitam Episcopo post Assistentiam Missae pontificali per alium celebratae. c) Denique verba Constitutionis INEXAUSTUM Clementis XIII, *cum mitra,* nempe *ceterisque sacris paramentis*, esse cum iis quae in praefato decreto dicuntur, conferenda; et

palam fiet, illa significare, Episcopum non posse Benedictionem Apostolicam impertire, nisi in paramentis quibus indutus Solemnia Missarum fecit, si manipulum excipias, ait Martinuccius (*Lib. VI, cap. XXVI, n. 7*).

13. Inquiri etiam potest, quid dicendum sit de consuetudine iam inducta, omittendi litterarum Apostolicarum lectionem, nec non legendi vulgari tantum idiomate formulam ATTENTIS FACULTATIS *etc.*? Consuetudo relata, vix immemorabilis dici potest, et est aperte contra Rubricas Pontificalis, et contra decretum in *Constantien.* et contra voluntatem Pontificis: adeo ut segui videatur, eam approbari non posse. Praeterea alia duo citantur a cl. De Herdt decreta, videlicet *Corisopiten.* et *Rhedonen.* in quorum ultimo loci Episcopus " S. R. Congregationem humillibus precibus... efflagitavit, utrum deinceps hanc latinam lectionem earumdem Litterarum omittere possit, atque unicam retinere gallicam versionem; et quatenus negative, Apostolicum dispensationis Indultum enixe rogavit (*5 Mart. 1841*). „ Iam nunc S. R. Congregatio implicite respondit, duplicem lectionem non posse omitti; etenim „ rescribendum censuit: Affirmative ex gratia speciali, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo: „ Qui ex benignitate sua Sacri Tribunalis *rescriptum adprobavit.* In primo autem decreto Episcopus Corisopitensis idem quod alter quaerebat; et facto pariter verbo cum Sanctissimo, Indultum Rhedonensis Ecclesiae ad Corisopitensem quoque extensum fuit (*5 Mart. 1847 ad 2 et 3*).

Nihilominus animadvertimus primo, duo praefata Decreta non respicere consuetudinem iam inductam, sed inducendam, ergo ad rem non faciunt. Secundo, Rubricam Pontificalis, cum non de corpore, sed de Appendice sit, haud tanti est ponderis, ut consuetu-

dinem contrariam abrogare valeat: quoadusque saltem aliud non declaret S. R. Congregatio. Tertio, huiusmodi latina consuetudo licet non immemorabilis, nil praesefert, quod cultus decori oppositionem dicat. Quarto, quamvis ea sit Pontificis voluntas, ut utraque et vernacula fiat lectio, nihilosecius minoris tamen videtur esse vis hoc in negotio, quam in aliis, quae maioris in hisce ritibus et caeremoniis sunt gravitatis. Hinc videmus consuetudinem Lemovicensis Ecclesiae implicita quadam ratione a S. Ind. Congregatione approbatam. Quinto denique, praecipuam Pontificis intentionem, manifestationem nempe auctoritatis Sanctae Sedis, ex qua Benedictio Apostolica procedit, satis impleri. Ex quibus concludimus, praefatam consuetudinem forte cohonestari posse; quamvis consultius iudicemus, satis laudabilius fore, ut Indultum a S. R. Congregatione exquiratur.

14. Titulo *Reverendissimus*, cum Episcopus nominatur in Indulgentia Plenaria, vel etiam partiali impertienda, addi ne potest alius, puta *Illustrissimus* et *Comes?* Quid si eiusmodi in aliqua Ecclesia extaret consuetudo? Reponimus, formulas istas iam esse in Pontificali et Caeremoniali Episcoporum inscriptas et praescriptas, his autem nil addere ex privata auctoritate licere. Sicuti autem statutum est, ut addi pro Cardinalibus debeat titulus *Eminentissimi*, ita solum *Reverendissimi* titulus tribui debeat Episcopis, et Archiepiscopis. Quid autem grave nobis apparet formulas immutare quae in codicibus liturgicis prostant, ob gravia quae ex hoc derivare possunt incommoda. Adde, praefatos titulos quid civilis potiusquam ecclesiastici ac liturgici praeseferre: ut proinde iudicemus, et eos non esse inducendos, et invectos esse expungendos Arroges velim, eiusmodi additiones neque in Missa

Pontificali aut solemni permitti, cum minister ex superioribus, aquam infusurus, *Reverendissimi* tantum titulum dare possit cuicumque Praelato, etsi S. R. E. Cardinali, ita cunctis docentibus liturgicis auctoribus, uti Catalanus, De Herdt, Martinucci, A Carpo etc. Una autem eademque est ratio, scilicet, formula in Missali et Caeremoniali praescripta, atque etiam per decretum in *Bracharen.* confirmata (*11 Maii 1743 ad 1*), quo S. R. C. ad rem expetita respondet: " Servetur Caeremoniale Episcoporum. „ Formulis ergo quibuscumque nihil unquam addendum vel demendum, nisi id ex lege permittatur, et tunc iis solum in praevisis casibus, ut integrae semper et serventur et observentur.

BIBLIOGRAPHIA

Super altero Volumine praeclarissimi Operis SACRA LITURGIA ETC. *pel Sacerdote Raffaele Patroni* attentionem nostram defiximus, de quo et nostrum, uti de primo, in tertio harum *Ephemeridum* numero agimus iudicium proferemus. Volumen istud iu quatuor dividitur Tractatus: quorum primus XV lectiones continet, quae generalia explicant ad Missam pertinentia, uti nominis originis, Sacrificium, eiusdem locum, tempus, altare, eiusdemque ornatus, sacram supellectilem, etc. etc. Alter particularia Missae continet, seu partes illius, quas in XVII lectionibus exponit. Tertius de Missis particularibus agit, uti defunctorum, votivarum, coram SSmo exposito etc. etc. et per VI lectiones ab-

solvitur. Ultimus de defectibus pertractat prout in Missalis Rubricis, aliasque VI lectiones complectitur. Nonnullae autem notae primum et alterum Tractatum in fine illustrant: ultimum quaedam sequuntur Appendices, quae totum Opus in omnibus absolutum reddunt.

Erudite, exacte, plurimaque doctrina in primis lectionibus de Sacrificio disserit cl. auctor, seu iis inspectis quae archeologiam spectant, seu aliis, quae theologicam, liturgicamque scientiam, nec non et mysticam, quorum peritum se apprime demonstrat, quod et cum ultimis adotationibus abunde confirmat. Alter periter Tractatus eruditione et doctrina praestat, uti et Rubricarum Missalis, ac S. R. Congregationis recentiorum etiam decretorum peritia. Rituum omnium Missae expositio, seu litteralis, seu caeremonialis, seu symbolica, mira quoque scientia, exactitudine, ac perspicuitate fulget. Eamdem sibi laudem in variis exponendis, in Tractatu tertio, Missis, harumque legibus liturgicis explanandis, iure comparat. Mira denique in cl. auctore elucent peritia ac pietas in ea edocendo et explicando, quae agenda et vitanda sunt in Missa, sicuti et zelum quo flagrat, ut divinum Opus digne sub quocumque respectu a Sacerdotibus fiat. Perutiles denique appendices quae sequuntur, nil desiderandum legentibus relinquunt, in caeremoniis ac ritibus, seu Missarum cum cantu, seu Pontificalium, seu omnium specialium infra annum agendarum functionum: ut concludendum nobis iure sit, cl. Patroni et optimam dedisse operam Liturgiae, et perutilia in Sacerdotibus officia contulisse. Sicut itaque nuper primum Volumen Operis iam commendavimus, ita impraesenti alterum commendamus; ex utroque enim nonnisi maximam poterunt utilitatem percipere et commodum Ecclesiae viri.

Nonnulla nihilominus adnotare fas sit, ut a tam praeclaro Opere quibusdam remotis defectibus, maiori appareat perfectione exornatum.

1. Vela transparentia (*pag. 49*) etiam in *mappis altarium* non posse habere, dicitur, fundum *coloratum*, idque decreto S. R. Congregationis confirmatur. — Sed veritati non respondet assertum, neque ex relato decreto id prohibemur, uti legenti facile patebit.

2. Optime dicitur (*pag. 68*) *pallam* esse benedicendam, seu quia veluti Corporalis, a quo derivavit, pars, seu ex auctoritate Cavalerii. Verum cuicumque alii rationi Rubrica praestat, quae pallam benedictam exigit (*Rit. celebr. Missam, Tit. I, n. 1*).

3. Dicitur (*pag. 70 in nota*), sacras vestes, quae sacro usui amplius inservire non possunt, etiam *attritas*, ad profanos adhibere usus esse *mortale* ex divo Alphonso. — In ultimo Opere morali eiusdem Doctoris a cl. Marc redacto, *de mortali* non fit verbum; quod demonstrat, vel sententiam historice tantum a S. Doctore relatam, quae fuit Sporer, Suaresii etc. vel etsi suam fecerit S. Doctor, nunc profecto eam reliquisset: vel verius mica salis accipiendam, ut quis scilicet sub eadem forma sacris vestibus indigne utatur, puta ad iocum publicum, nec sine scandalo ad illudendum Religioni etc. Secus quid severius sententia nunc sonat, quae sustineri vix potest. Quidquid sit, eiusmodi sententia tam aride relata, talis nobis naturae apparet, ut nisi explicetur, severitatis notam non valeat effugere. Idem, impraesenti saltem, de alia dicendum sententia, qua dicitur vestes sacras vel attritas, vel propria mutata forma, proindeque non amplius sacras, esse comburendas, haud ad alios usus adhibendas. Severior haec fuit antiquorum sententia, quae a pluribus etiamnum auctoribus ieiune transcribitur; sed

ius merito dici mutatum potest seu ex praxi, seu ex mitiori Ecclesiae exigentia (*V. Ephemerid. Liturg. 1888, pag. 335 et seq.*).

4. Ad pag. 136 et 137 (*n. 155 et seq.*) notabilis apparet omissio de Missis privatis, quando officium recitatur de infra octavam: quippe quae non possunt esse officio conformes, sed, sicuti Conventualis, de feria dicendae praescribuntur (*Rubr. Gen. Tit. III, n. 2*).

5. Ad pag. 143, n. 158, admittitur, et iure, duas Missas de eodem festo cantatas, esse vetitas, sed excipiuntur fundatae: quod tamen ex recentiori dispositione amplius, nisi de Indulto quaestio sit, sustineri non potest (*Romana Dub. I, 23 Aug. 1890*).

6. Ad pag. 152 (*Not. E*) inter plures casus opportune tangi et ille poterat de modo ordinandi Missam Rogationum in Ecclesiis, ubi una tantum Missa canitur in Vigilia Ascensionis: de quo pluribus Ecclesiarum maxime ruralium Rectoribus aliqua suboriri difficultas potest. Hinc *Ephemerides* propositam a Consociatis resolverunt quaestionem de ultimi Evangelii qualitate, ea in Missa legendi (*An. 1891, pag. 118 et seq.*).

7. Dicitur (*pag. 160, n. 110 in fine*) prohibitum ponere super bursam calicis vitrea ocularia, birretum, clavem tabernaculi, et manutergium; idque ex Decreto S. R. Congregationis. — At profecto Decretum citatum, manutergio excepto, quod unice prohibet, de reliquis penitus silet. Cum brevius sit, referre illud iuvet: est in *Pisauren.* et quaerit: " An Sacerdotibus liceat deferre manutergium supra calicem, tam in eundo, quam in redeundo ab altari? Sac. eâdem Rit. Congregatio censuit respondendum " Non licere „. Die prima Mensis Septembris 1703. „ Cl. auctor ab aliis auctoribus dicta certo deprompsit; sed inquiri potest,

unde hi acceperunt vetitum ocularium vitreorum, birreti, clavisque tabernaculi super calicem? Fortasse ea non licere argumentati fuerunt ex paritate rationis. At quod libenter concedimus de vitreis ocularibus ac birreto, concedere non possumus de clavi tabernaculi (*V. Ephemerid. Liturg. an. 1890, pag. 660, IX*).

8. Ad pag. 162 notatur comae fictitiae vetitum in celebratione Missae: quod nemo ceterum ex scriptoribus, hanc tractantibus materiam, referre omittit. Quin cl. Patroni vel minimum detrahamus, liceat nobis hoc unum in genere animadvertere. Comam fictitiam prohibuerunt, sub gravibus quoque poenis et mulctis, Pontifices plures, uti Clemens IX, Innocentius XI, et XII, Clemens XI, et Benedictus XIII. His adde plura vetita S. Congregationis Concilii, multorum particularium Synodorum, atque etiam S. R. Congregationis. Hinc nescimus num unus tot inter reperiatur auctores, qui huius tam gravis transgressores legis, haud lethalis culpae reos iudicet. At nonne inquiri poterit: Cuiusnam naturae erat, et cuinam fini inserviebat coma illa fictitia, tot solemnium prohibitionum obiectum? Huiusmodi vetita graviora afficere ne certo valent simplex cum capillis alienis tegumentum capitis, visibilem tamen relinquens tonsuram, pro unico adhibitum fine, ut quod alii ex natura habent, alii ex arte sibi comparent, sola deformitatis abscondendae causa? Perbella nobis apparet atque utilis haec quaestio, quam tamen, cum extra nostram sit provinciam, aliis pertractandam relinquimus.

9. Ad pag. 177 (*n. 28*) tamquam certa supponitur *profunda* inclinatio Sacerdotis, exeuntis ex sacrario pro celebratione Missae, erga crucem vel imaginem in ipso sacrario positam. At Rubrica, quae de inclinatione pluries *profunda* loquitur, hic nihilominus in-

clinationem quidem nominat, sed de *profunda* silet. Plures quidem profundam admittunt, sed ex lege non constat.

10. Paulo inferius, decretum refertur d. d. 7 Iul. 1746, quo probatur genuflexionem agendam a Celebrante transeunte ante altare, ubi vel Missa peragitur post consecrationem, vel. Reliquia S. Crucis est exposita. — Animadvertimus primo, decretum sub tali inscripta die mensis non existere, ut sit citra dubium diei 7 Maii, in *Varsavien.* ad 12. Secundo animadvertimus neque praedictum decretum, neque Rubricam praescribere genuflexionem a Sacerdote transeunte ante altare, ubi consecratio Missae facta est, neque hunc ponere plures inter casus, qui ab eadem Rubrica praevidentur (*Rit. celebr. Missam, Tit. II, num. 1*).

10. (Pag. 185, n. 35). Usus dicendi *Kyrie eleison,* in Missa cum cantu, ad cornu Epistolae, dicitur permansisse Romae et alibi. = Quid obscori eiusmodi locutio sonare videtur. Id Rubrica praescribit, ut a facto quoque abstrahentes, universalis consuetudinis esse tenendum sit, ubique enim Missalis Romani servanda est Rubrica (*Rit. celebr. Tit. IV, n. 7*).

11. (*Pag. 187 n. 36*). Inter missas votivas, quae hymnum angelicum admittunt, recenseri poterant etiam Sanctorum, quorum licet non fiat officium, nihilominus fit commemoratio tamquam simplicium occurrentium, vel etiam infra eorum octavas.

12. (*Pag. 198 in Nota*). Tamquam res certa traditur ex Gavanto, in Missa conventuali non esse dicendum, permittente Rubrica, a Celebrante Orationem pro seipso. Hoc quidem Gavantus dicit, sed ratione veluti humilitatis. Quae ratio, cum nulla in praesenti iudicetur (non enim humilitati opponitur pro se ipso

orare), toto iure, et Romae id agitur, et unusquisque Celebrans uti potestate poterit, quam Rubricae faciunt.

13. (*Pag. 371 n. 226*). Gravioribus verbis insistit cl. auctor in communione fidelibus inhibenda, seu ante seu post Missam, exigitque omnino ut post communionem fiat Celebrantis. Id demonstrare contendit seu ex convenientiae, seu ex mysterii, seu ex auctoritatis ratione. Hanc communionem, quae sequitur Missam facere, et maxime quae hanc praecedit, nimis indecorum dicitur, graviorumque irreverentiarum causa, praeter spiritale detrimentum, quod gignit. Hinc casus admittitur, quo quis nequeat *absolute* ad finem usque Missae expectare ratione officii, quod urget: vel casus tardius perveniendi in Ecclesiam, post Missam nempe, ut nulla alia Missa habeatur: in his casibus communio ante et post Missam permittitur. Fit pariter casus de generali communione, cuius expectare finem quis non posset ex toedio; haec quoque communio post Missam permittitur ex infirmorum debilitate compatienda. —

Quid nimis id nobis apparet, adeoque severum, ut praesenti Ecclesiae disciplina spectata, sustineri nec possit nec debeat. Cum cl. auctore indubie conveniendum, satis esse melius, imo optimum, fideles communicare post Celebrantem in Missa, potiusquam ante vel post eam. Verba Ritualis sic se habent: " Communio autem populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda); cum Orationes, quae in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent (*Tit. IV, cap. 3, n. 10*) ". Qui ergo intra Missam communicant, cum particulis quidem in eadem Missa consecratis, de Sacrificio partici-

pant, quod aliis communionibus longe praestat. Optandum proinde, ut fideles omnes, solis exceptis causis gravissimis, nonnisi communionem intra Missam, de Sacro participantes, agerent.

At rationabiles causae, de quibus Rituale Romanum, rectusque christianus sensus, multiplices esse possunt, ex quibus seu post Missam, seu etiam antea, iure comunicare fideles queunt; nec privatae auctoritatis esse credimus, Ecclesiae indulgentiam restringere, et communicantes per rigoris excessum a sacra mensa arcere. Causas enim rationabiles Rituale non explicat; sed eas esse debere gravissimas, aut graviores tantum, imo et graves simpliciter, foret omnino a veritate alienum. Quaecumque causa, esto etiam non gravis, dummodo rationabilis, excusare potest fideles, communionem ante vel post Missam agentes. Contrarium innuere non licet: secus, ut maius consequamur bonum, etiam quod minus est amittere periclitamur.

Haec, quae Romae communiter habetur idea, ad communionem quod attinet ante vel post Missam: haec, quae ibidem universim servatur praxis, Auctoritate vidente et probante, in omnibus Ecclesiis: haec, quae extra urbem docenda et servanda consequenter sunt. Pia mater Ecclesia *melius* certo desiderare non desinit a filiis suis, quorum nihilominus infirmitatem compatiens, de *bono* tantum acquiescit.

APPENDIX

EX S. CONGR. RITUUM

Decretum Summi Pontificis vulgatum fuit VIII Calendas Aprilis, quo definitum est, constare de duobus miraculis propositis pro Beatificatione Ven. Servi Dei P. Antonii Baldinucci Sacerd. Prof. e Societ. Iesu. Item, eademque die simul Decretum prodiit, quo definitum est, constare de duobus miraculis propositis pro Beatificatione V. S. D. Francisci Xav. Bianchi Sacerd. Prof. e Congr. Cleric. Reg. S. Pauli Barnabitarum: tertium denique pariter eadem die vulgatum est Decretum, quo definitum fuit, constare de quatuor propositis miraculis pro Beatificatione V. S. D. Fr. Gerardi Maiella Laici Prof. e Congr. SS. Redemptoris.

Die vero 26 Aprilis habita est Congr. Sacr. Rituum Generalis coram SSño pro Beatificatione V. S. D. Fr. Leopoldi a Gaichis Sacerd. Prof. Ord. Min. Reformat. S. Francisci, super dubio: An et de quibus Miraculis constet, in casu et ad effectum de quo agitur? Ante quam tamen habita est Congr. pariter Generalis, ut dicitur, *de tuto*, pro tribus superius relatis causis, Ven. Baldinucci, Ven. Bianchi et Ven. Maiella.

E. S. CONGR. CONCILII

CANTONIS TICINI seu LUGANEN.

MISSAE CONVENTUALIS

Die 9 Aprilis 1892.

Administrator Apostolicus Ticinensis in relatione suae Ecclesiae S. C. transmissa, haec habet in *Cap. De postulatis.*

« Quaeritur 1.° An possit servari consuetudo, quae in cathe« drali Ecclesia S. Laurentii Lugani invaluit, ut missa conven« tualis solis diebus festis de praecepto, etiam suppressis, cana« tur; et reliquis diebus legatur dum horae parvae recitantur in

« choro. Quatenus consuetudo non sufficiat, rogo ut speciale in-
« dultum ad hoc concedatur. Canonici enim sunt pauci. Insuper
« plures ex ipsis alia munera pro bono ecclesiae obire debent,
« ex. gr. professoris in seminario dioecesano, et officialis in curia
« episcopali, et gravi detrimenti negotiorum expeditioni esset,
« si ipsi ob missam uti a iure communi praescribitur canendam,
« serius ad sua officia se ducerent.

« Quaeritur 2.° An possit servari consuetudo supradicti capi-
« tuli, qua loco missae officio diei respondentis, diebus sabbatis
« canitur missa votiva de B. V.; idemque fiat quoties canenda
« sit aliqua ex causa missa pro defunctis; praemissa tunc cele-
« bratione missae conventualis officio diei respondentis ab alio
« canonico, qui eam celebrat quacumque hora, absque capituli in-
« terventu.

« Quaeritur 3.° An tolerandum sit, quod toto tempore hye-
« mali, quo dicti canonici horas recitant in sacristia inferiori, missa
« conventualis celebretur in ecclesia qualibet hora, quin canonici
« eam audiant.

« Quaeritur 4.° An possit servari consuetudo, qua quum ex
« rubricis missalis secunda aut tertia missa canenda esset, ipsa
« legatur qualibet hora, non adsistente capitulo. Etiam quoad hoc
« quatenus consuetudo non sufficiat, rationibus ut supra allatis
« ad quaesitum *num. 1.* apostolicum indultum postulo ».

Pauca ceu de more quoad singula dicturus, in primis adnoto, missam conventualem cum cantu celebrandam esse, imo non tantum primam, sed et reliquas esse cantandas, si ex rubrica plures missae conventuales eadem die occurrant; et horas canonicas debito tempore, numquam vero tempore missarum conventualium esse persolvendas. Satis namque vulgata est Urbevetana *Praeeminentiarum super dubiis, diei 5 Augusti 1737*, ubi ad II dubium: *An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae sunt in ecclesia cathedrali plures missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare in casu:* S. C. respondit: *Negative.* Praxis vero legendi missam dum cantantur vel recitantur horae canonicae aperte refragatur rubricis, ut declaravit centies SS. RR. C. uti in Oscen. *2 Martii 1620*, et clarius die 27 Septembris 1817, cum proposito dubio: *Utrum tollerari possit consuetudo ignoti initii legendi missam dum in choro dicitur hora prima:* reposuit: *Negative et serventur rubricae.* Num autem hic apte invocari possit consuetudo quoad usum legendi missam conventualem perpendent

EE. VV. Certe exempla non desunt in quibus S. C. ob exiguum canonicorum numerum vel aliis de causis indulsit missas conventuales sine cantu celebrari, veluti factum est in Hortana *5 Iulii 1631* et in Firmana *19 Aprilis 1845:* ast officii recitationem harum missarum tempore faciendam constanter denegavit.

Ad secundum et tertium quod attinet, animadvertendum est missam conventualem esse praecipuam divinorum officiorum partem, atque idcirco non modo capitulo inesse applicationis onus, sed etiam personalis adsistentiae, sicut ceteroquin verbum ipsum *conventualis* indigitat. Gonzalez *part. 7 De cleric. non resident:* Benedictus XIV *De Syn. dioec. cap. 13, c. 9.* Qua quidem in re rigorose perpetuo se gessit S. V. O. qui potius non ab omnibus sed per turnum permisit praestari chori servitium, illudque ad dies tantum festos reduxit, quam ut ne integrum absolveretur officium quibus diebus explendum esset, ceu patet a pluribus exemplis relatis in Grossetana *Servitii chori 22 Novembris 1856.*

Vix autem recolere necesse est missam conventualem ex rubricae praescripto, officio quod in choro persolvitur respondere debere, ut saepe SS. RR. C. edixit, quam etiam haud semel rescripsisse novimus, ut in Oscen. *26 Martii 1592 ad dub. 7*, in Perusina *9 Augusti 1766*, in Gadicen. *22 Ianuarii 1768* et in Imolen. *7 Iulii 1759* apud Gardellini, illam non pro lubitu, sed post tertiam, vel hora a rubricis missalis statuta, celebrandam esse, atque id consuetudine etiam immemorabili non obstante. Praeterea hic locum sibi vindicare posset aliud responsum eiusdem S. C. in Barchinonen. *diei 24 Martii 1860 ad 1.um* quo improbata fuit consuetudo, vi cuius missa conventualis tunc tantum a capitulo cantabatur, quum nulla occurrebant persolvenda anniversaria, secus vero a capellanis inductitiis in quadam cappella sub ara maiori sita legi solebat.

Nihilominus praetereundum non est S. H. C. in Rothomagen. *16 Decembris 1854*, canonicis illius ecclesiae metropolitanae, qui diebus festis missae solemni parochiali, ad quam populus frequens conveniebat, adstare consueverant, attentis peculiaribus circumstantiis, gratiam translationis missae conventualis ad aliam infra hebdomadam diem, Archiepiscopi arbitrio definiendam, ad tempus concessisse.

His quae hucusque retuli iam et quaestionem a Ticinensi Administratore Apostolico propositam sub numero 4°, saltem ex parte praeoccupavi. Addi tamen posset, iuxta ea quae habet Benedi-

ctus XIV Constitutione *Cum semper oblatas n. 22*, applicationem secundae et tertiae missae obligare, si adsit consuetudo: si vero desit, laudari, non praecipi. Quoad hasce missas vero, docet Lucidi *Vol. II, 3 relat. cap. art. 2, n. 135:* « Quod si aliquando eadem S. C. indulgentiam aliquam hac super re adhibuit, hanc eo redegit, ut sineret secundam ac tertiam missam absque cantu celebrari. »

Rationes denique a Praesule ad gratiam obtinendam allatae, inspecta praesertim conditione in qua recenter erecta dioecesis illa versatur, profecto magni ponderis videntur. Ast num iuris rigorem flectere valeant, prudentia ac sapientia EE. VV. decernet.

Quare etc.

R. Ad 1.um Pro gratia, perdurantibus circumstantiis, dummodo tempore missae conventualis non recitentur horae canonicae.

Ad 2.um Negative.

Ad 3.um Tolerari non posse.

Ad. 4.um Attentis peculiaribus circumstantiis iisque perdurantibus, pro gratia iuxta petita.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

DILECTO FILIO

CHALCEDONIO MANCINI

PRESBYTERO E CONGREGATIONE MISSIONIS

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

RITUUM sacrorum doctrinae multum Nos, proinde ac digna est, semper tribuimus, eiusque et studium omni ope excitare et studiosis bonam largiri laudem consuevimus. Cuius rei inde ab episcopatu perusino grata Nobis ad hoc tempus subit recordatio: qui etiam non semel per occasionem ediximus,

optare Nos et velle ut haec ipsa disciplina, in romano praecipue clero, ad maiorum praestantiam, cognitione usuque, contenderet; ob eamque causam velle Nos admodum ut romana Academia liturgica et numero celebrantium et industria floreret. Res enim est eiusmodi, quae se ipsa commendet vel maxime: siquidem tota cohaeret cum veritate catholica, quam legitimi ritus exprimunt et illustrant; tum etiam ad sacra mysteria decore sancteque tractanda, ad mentes intuentium in divina erigendas, ad fidem in animis et caritatem alendam plurimum valet; neque vero, propter magnam cum vetustate necessitudinem, pia quadam caret ad colendum iucunditate. — Itaque, dilecte fili, oblatum a te Nobis munus, *Ephemerides liturgicae,* voluminibus quinis compactae, accidit sane gratissimum: in quo utrumque agnovimus, et filii pietatem, praeferentis libamentum quoddam eius laetitiae quam Nobis, ob annum episcopalis honoris quinquagesimum, a Conservatore vitae speramus, et viri docti sollertiam,

quo auctore et moderatore, eaedem ephemerides menstruae secundo cursu annum sunt iam sextum ingressae. Harum nempe instituta ratio comprobationem merito habet prudentum; quippe quae, variis in eo genere praescriptis Ecclesiae responsisque doctorum expositis, suis ex aequo ponderatis opinionum momentis, alumnorum praeterea eiusdem Academiae atque externorum admissis quaestiunculis, utilitatis multum sacro ordini afferre possint, attulerint, tamquam a capite rivi propiores. Tibi igitur recte est cur laeteris in Domino, non minus de suscepto consilio, quam de re effecta, idemque a Nobis iustam habeas laudem, quod praeclarissimo exemplo Vincentii Patris te dignum praebueris. Eius namque ardor divinae gloriae, qui ad plurimorum salutem mirifice patuit, quique multis operum modis perennat in filiis, hoc etiam ornatur promerito quod in custodiendis religiosissime caeremoniis formandisque rite ad eas sacrorum alumnis continetur. — Iamvero pergite, tu, dilecte fili,

tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare. Quo autem et vobis plus quotidie suppetat virium, et ad plures, quod rei liturgicae optandum, vestrorum fructus laborum late pertineant, apostolicam benedictionem tibi sociisque effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII maii an. MDCCCXCII, Pontificatus Nostri quintodecimo.

LEO PP. XIII.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Occasione edendi opus, cui titulus *Manuale liturgicum ad usum Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum,* nonnullae quaestiones obortae sunt inter eiusdem Ordinis rubricistas quoad peculiares ritus seu rubricas in eodem opere contentas. Ad eiusmodi porro quaestiones penitus dirimendas, Rm̃us Pater Fr. Bruno a Vintia Procurator et Commissarius Generalis Ordinis ipsius, sui muneris esse duxit insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proponere, videlicet:

Dubium I. Utrum verbo aut scripto sustineri possit sententia eximens Fratres Capuccinos ab obligatione observandi illa Decreta S. Rituum Congregationis, quae Constitutionibus Ordinis in aliquo adversantur, et hoc quia dictae Constitutiones approbatae fuerint ab Apostolica Sede ?

Dubium II. Et quatenus negative : Utrum opinionis falsitas necessario notari debeat in textu auctorum, talem sententiam forsitan propugnantium ?

Dubium III. Utrum Capuccini licite possint incensationes Altari perficere in Missis Conventualibus, vel aliis, quae sine Ministris paratis et sine cantu celebrantur ?

Dubium IV. Utrum, dato quod aliquando Missa cantetur cum Diacono et Subdiacono, isti possint esse simpliciter parati cum alba, cingulo, stola et manipulo *respective*, absque dalmatica et tunica, item *respective?*

Dubium V. Utrum tolerari possit usus Missam cantandi modo quasi psalmodico, seu semi-tonato?

Dubium VI. Utrum tolerari possit consuetudo, aliquibus in locis vigens, quod scilicet in Missa Conventuali acolythus, seu minister, cotta non sit indutus?

Dubium VII. Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad collectas, sive quoad preces in fine Missae ex mandato SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in Altari accensorum?

Dubium VIII. Utrum diebus Dominicis Sacerdos Missam Conventualem celebraturus, possit ad Altare accedere absque casula, seu planeta, ad aspersionem faciendam, assumpta postea planeta in cornu Epistolae?

Dubium IX. Auctor Manualis, de quo agitur, asserit, quod quando apud Capuccinos ad impertiendam benedictionem cum SSmo Sacramento " loco albae „ adhibeatur *superpelliceum*, semper tamen indui debet et amictus (uti in quacumque alia functione, in qua a Nostratibus pluviale adhibeatur), nedum ad tegendum et detegendum caput, sed praesertim ne superior extremitas caputii summitatem pluvialis excedat, quod esset prorsus indecens. Quid dicendum de hac Auctoris sententia?

Dubium X. An in consueta Missa et processione Feriae V Maioris Hebdomadae, celebranti assistere possit Diaconus tantum alba et stola indutus, absque Subdiacono ipseque non tota durante Missa?

Dubium XI. Utrum cereus paschalis accendi possit in nostri Ecclesiis tempore Missae Conventualis, dierum non festivorum?

Dubium XII. Utrum tolerari possit quod Sacerdos *cotta et stola*, vel *alba, cingulo et stola tantum indutus*, peragat expositionem et repositionem SS̃mi Sacramenti: aut populo cum Ostensorio benedicat: vel SS̃mum Sacramentum in processionibus SS̃mi Corporis Christi portet; an potius teneatur ad usum pluvialis in omnibus caeremoniis, in quibus caeteri Sacerdotes haud Capuccini pluviale portare debent?

Dubium XIII. Utrum Ciboria seu Tabernacula, ubi SS̃mum Sacramentum asservatur, possint exterius esse ex nudo ligno, rudi colore depicto, vel potius debeant deaurari, aut pretiosius depingi, quam caeterae Altaris partes?

Dubium XIV. Utrum tolerari possint thecae Sacrar. Reliquiarum ad modum ostensorioli ex simplici et nudo ligno confectae?

Dubium XV. Utrum licite fieri possint privatim aliquae minores benedictiones Ritualis Romani cum sola stola absque superpelliceo?

Dubium XVI. Utrum Capuccini teneantur ad observantiam Decretorum, praesertim 18 Decembris 1877 et 28 Iulii 1881, circa materiam paramentorum?

Et quatenus affirmative: Utrum licite uti possint paramentis ex gossypio, lino aut lana, *bona fide* confectis, post istius materiae prohibitionem?

Dubium XVII. An Capuccini possint ad libitum et in una eademque Ecclesia sacras functiones peragere, nunc iuxta praescriptiones ordinarias Missalis Romani etc., nunc utendo Memoriale Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito?

Haec vero Dubia, super quibus alter ex Aposto-

licarum Caeremoniarum Magistris suum protulit votum typis editum, quum Emus et Rmus Dñus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta exposuerit in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis infrascripta die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, data opportunitate.

Ad III. Negative; ex gratia tamen permitti in Missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis.

Ad IV. Observentur Missalis Rubricae.

Ad V. Retineri posse.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Affirmative, si adsit pluviale; et completa aspersione, vertat se ad cornu Epistolae, ibique sumat manipulum et casulam pro Missa celebranda.

Ad IX. Esse sustinendam.

Ad X. Negative; et deficiente Clero, sacram functionem peragi posse iuxta Memoriale Rituum, iussu Benedicti Papae XIII. editum.

Ad XI. Negative, nisi aliter ferat consuetudo.

Ad XII. Si agatur de expositione et repositione SSmi Sacramenti, sufficit ut Sacerdos cotta et stola sit indutus; nunquam cum alba, cingulo et stola tantum. In Processionibus et benedictione cum SSmo Sacramento in Ostensorio impertienda, omnino requiritur ut celebrans pluviale et velum humerale induat, sicuti cautum est Decretis 17 Maii 1857, et 22 Iunii 1874.

Ad XIII. PP. Capuccini retinere possunt tabernaculum ligneum affabre elaboratum ex concessione S. C. Episcoporum et Regularium 13 Iulii 1659.

Ad XIV. Affirmative.

Ad XV. Servetur Rituale.

Ad XVI. Affirmative: facta vero venia utendi huiusmodi paramentis iam existentibus, donec consumantur.

Ad XVII. Si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum; si tres aut quatuor clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII.

Atque ita rescripsit, declaravit, et servari mandavit die 17 Decembris 1888.

(L. ✠ S.)

A. Card. BIANCHI, S. R. C. Praef.

Laurentius Salvati, *S. R. C. Secret.*

VOTUM

RMI DOM. DOM. ROBERTI MARCUCCI

APOSTOLICARUM CAEREMONIARUM MAGISTRI

SUPRA RELATIS DUBIIS

Emi et Rmi Patres

Cum Fr. Bruno a Vintia, Procurator et Commissarius Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, recognitioni de iure faciendae exhibuisset Revisoribus Ordinis opus, cui titulus *Manuale liturgicum ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum*, auctore P. Antonio ab Urbe, nuper defuncto; dissensiones inter nonnullos Ordinis rubricistas ortae sunt, utrum aliquae rubricae, quae in praedicto Manuali inveniuntur, licitae vel illicitae censeri possint.

Verum idem Procurator Generalis, paterna sollicitudine motus, volens huiusmodi quaestioni finem imponere, hanc S. Congregationem adiit, et humiliter EE. VV. totius quaestionis statum exposuit.

QUAESTIO.

Utrum Fratres Minores Capuccini dispensentur ab illis Decretis S. Congregationis Rituum, quae Constitutionibus Ordinis contradicunt, vel pauperrimae ipsorum professioni derogare videntur.

In supplici libello hae ad rem subiiciuntur rationes a praefatis rubricistis, hinc inde, in medium prolatae:

Qui dispensationis sententiam sustinent, forsan pauciores, adducunt pro ratione: 1° Ordinis consuetudinem, 2° humilitatem in sacris caeremoniis quae apud ipsos fieri solent, ac praecipue 3° Constitutiones Ordinis Minorum Capuccinorum, quae ab Apostolica Sede (a Paulo V et ab Urbano VIII) approbatae sunt; unde sequitur quod Decreta S. Congreg. Rituum quae iis Constitutionibus adversantur, Capuccinos non obligent (*Sum.*). Quae quidem sententia patronum etiam habet auctorem Manualis de quo agitur.

Negantes autem dispensationis existentiam, consultius ita ratiocinantur: " Consuetudines, Decretis S. C. Rituum contrarias, omnino reprobandas esse (S. R. C. 11 Sept. 1847 etc.), etiamsi in antiquis libris consuetudinariis inveniantur (S. C. R. 12 Sept. 1857 ad XIX), et argumentum ab approbatione Constitutionum desumptum, nullo modo Capuccinos eximere a Decretis liturgicis, posterioribus Decreto approbationis per Urbanum VIII. " (*Sum.*). Hinc praelaudatus Generalis

Procurator, de pleno Definitorum Generalium voto, Eminentiarum Vestrarum iudicio, praefata dubia enodanda proponit.

Commissum mihi munus, hac prima vice, redigendi votum supra huiusmodi quaestione, ea qua possum diligentia exequar.

Antequam ad singula dubia solvenda deveniam, nonnulla praemittenda operae pretium existimo.

Liturgia sacra, ex sua natura, est veluti expressio et professio dogmatis et doctrinae fidei; hinc omnes ritus et caeremoniae a iuridica auctoritate praescriptae, a quibusvis personis diligenter observari debent. Unitas enim, quae nota verae Ecclesiae est, in ritibus quoque et caeremoniis appareat, necesse est.

Iamvero iuridica illa auctoritas, profecto haec S. Rituum Congregatio est, cuius Decreta, si tamen necessarias habeant conditiones, habentur pro Apostolicis Constitutionibus, ac per consequens faciunt ius commune, ad quod omnes ubique locorum adstringuntur. Nam Sixtus V tribuit huiusmodi Amplissimo Vestro Coetui iurisdictionem universalem circa res liturgicas; qui autem tali iurisdictione potitur, legem universalem edicit hoc ipso, quod aliquid universaliter observandum praecipiat.

Immo S. R. C. in Dec. *Ord. Praedicator.* Dub. 7; 23 Maii 1846 a Sum. Pont. Gregorio XVI approbato, rescripsit, quod " Decreta a S. C. emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa, propositis dubiis, scripto formaliter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae. "

Ergo omnia Decreta generalia S. Vestrae Congreg. pro veris legibus conscientiam obligantibus omnino

sunt habenda. Quod caeteroquin declaravit ipsa Congregatio die 11 Sept. 1847, in Angelopolitana.

His praemissis, tempus est ut gravissimam primam quaestionem, a qua omnes aliae dependent, propius attingam.

THESIS.

Utrum Fratres Minores Capuccini dispensentur ab illis Decretis S. R. C. quae Constitutionibus Ordinis contradicunt, vel pauperrimae ipsorum professioni derogare videntur.

Cohaerenter ad ea quae superius praemonui, iam apparet exemptionem ab observantia illorum Decretorum huius S. Congregationis, ut in casu, admitti non posse.

Et re sane vera, exemptionem hanc ex triplici capite fautores demonstrare possent: scilicet, ex *Ordinis consuetudinibus*, ex *Constitutionum approbatione* et ex *paupertatis professione*.

Iamvero nullum ex his suffragari videtur.

1. Non suffragatur Ordinis consuetudo, si quidem ex Caeremoniali Episcoporum tantummodo laudabiles consuetudines approbandae sunt, utpote rubricis conformes. Porro cum consuetudines, de quibus aliqui ex rubricistis Capuccinorum loquuntur, contra legem sint, nec rubricis conformes, et abrumpant nervum Ecclesiasticae Liturgiae, adprobari non debent.

Hoc idem, luce meridiana clarius apparet ex huius Amplissimi Vestri Coetus Decretis; e. g. 23 Maii 1603, 3 Aug. 1837 et ex sup. cit. 11 Sept. 1847. Insuper die 12 Feb. 1733 Clemens XII abrogavit Indulta omnia, haud specialibus litteris concessa.

Item Innocentius XIII iubet, Episcopos invigilare etiam in Regulares circa observantiam rubricae Ritualis Romani, Missalis et Breviarii; aiebat enim sub die 13 Maii 1723: " Episcopi abusus omnes, qui in „ Ecclesiis aut saecularibus aut regularibus contra „ praescripta Caeremonialis Episcoporum et Ritualis „ Romani, vel Rubricas Missalis et Breviarii irrepse- „ rint, studeant omnino removere. „

Hinc non erit abs re animadvertere, PP. Capuccinos, exemptione posita, non modo a norma communi deflectere, sed posse etiam inducere, ordinare et dirigere in propria ecclesia, aliquam Liturgiae partem independenter ab hac Sacra Congregatione, quod non foret tolerandum.

Quod si Episcopi non possunt esse iudices ad declaranda dubia super sacris ritibus et caeremoniis exorta (S. R. C. 11 Iunii 1605), multo minus Superiores regulares.

2. Non iuvat Constitutionum Ordinis adprobatio. Etenim Constitutiones Ordinis afficiunt disciplinam internam ipsius Ordinis, potiusquam liturgicam; et praedicta approbatio extendi non debet ad ea, quae Romani Pontifices non essent verosimiliter in specie concessuri, quaeque de facto non concesserunt.

Insuper Decretum particulare approbans Constitutiones Ordinis Capuccinorum, clare non dicit de exemptionis privilegio a quibusdam Decretis S. huius Congregationis.

Iamvero, ex doctrina canonica descendit, Decretum particulare cum clare non exprimat concessionem contra dispositiones generales, hae non intelliguntur derogatae per Decretum particulare.

Utique, per speciem derogatur generi, si tamen clare constet de eadem specie, quod in casu non apparet.

Quodsi ex Constitutionum approbatione erui posset exemptio aliqua a communi norma deflectens, profecto esset privilegium.

Verum quae sunt exemptionis seu privilegii contra ius commune, rigidam semper interpretationem requirunt. *Ferrari* v. *Privileg.*

Ergo etiamsi, aliquo lato sensu, interpretari posset exemptio in favorem PP. Capuccinorum haec ad summum intelligenda esset *de iis quae, salva ritus substantia*, vel circa modum versantur, vel quamdam congruentiam important, nullamque *praeseferunt difformitatem*, si diversimode fiant, vel omittantur; secus de iis quae ad cultus substantiam spectant.

3. Ulterius non valet ratio paupertatis professionis.

Paupertas enim respicit principaliter bona extrinseca et potissimum dominium, vel etiam usum ipsum divitiarum, non vero ea quae ritus attingunt. Eo vel maxime, quod, ut omnibus notum est, paupertatis votum excludit *superfluum, curiosum* et *pretiosum*, non vero sacra indumenta simpliciter serica, et multo minus, ritus et caeremonias in sacris functionibus peragendis, quod redundaret in dedecus Ecclesiae nostrae.

Quapropter PP. Capuccini, vi suarum Constitutionum, valedicunt sacris indumentis ornatis, pretiosis et similibus utensilibus, quamvis ex iisdem Constitutionibus, eis non interdicatur usus Pyxidis aut Calicis aureorum, uti videbimus.

4. Praeterea PP. Capuccini, utpote ritu Romano puro utentes, habent proprium Missale Romanum, iussu Emi ac Rmi Patris Ludovici Cardinalis Micara, totius Ordinis Ministri Generalis, editum, in quo inveniuntur eaedem rubricae, quae sunt in Missali Romano ad usum Cleri saecularis.

Iamvero ex supracitatis dubiis saltem quatuor, idest III, IV, X et XII, non modo contradicunt Decretis S. huius Congregationis, sed etiam rubricis Missalis.

At ex eadem Congregatione, die 19 Aug. 1651, habemus: *a Regularibus qui utuntur Missali Romano, nihil addi, minui et immutari posse, sed omnia in eodem Missali et Caeremoniali praescripta ad unguem servari debere.* Nec praetereundum, quod in praecitato Missali inveniuntur etiam rubricae Ordinis Capuccinorum propriae, quae tamen nullum verbum habent, nedum de *exemptione*, sed nec etiam de caeremoniis particularibus, seu consuetudinariis, de quibus in superscriptis dubiis sermo est.

Omnia vero et singula quae in illis Ordinis rubricis praescribuntur, fulcimentum habent in Decretis particularibus huius S. Congregationis, quae semper allegantur.

5. Quid plura? Constitutiones ipsae, pluries citatae, aliud argumentum contra exemptionem illam suppeditare videntur. Praestat hic textualia verba Constitutionum referre.

Capite tertio haec habentur: " Si è determinato „ che i Frati in un medesimo stendardo uniti in ispi- „ rito, e chiamati ad un fine, osservino i *medesimi* „ *riti quanto al Messale, Breviario e Calendario, che os-* „ *serva ed usa la S. Madre Chiesa*. . . . . E poichè „ da tutto il Capitolo Generale è stato approvato „ l'uso del rituale nuovamente composto ed aggiunto, „ si pregano e si esortano tutti i Provinciali e Guar- „ diani della nostra Religione ad insistere nell'osser- „ vanza di quello con ogni possibile diligenza, *quando* „ *però sia rivisto ed approvato dalla Santa Sede Apo-* „ *stolica.* „

Et hic notatu dignum est, P. Ioannem de Noto, Rituale hoc confecisse, quod tamen *suppressum declaratum fuit a S. Congr. Indicis* die 13 Iulii 1627.

Haec reprobatio satis aperte indicat, S. Sedem non intellexisse derogare legibus generalibus, Decreto illo particulari Constitutiones approbante.

Item capite sexto haec leguntur: " Si abbiano co-
„ munemente due calici con la coppa d'argento, e non
„ vi sieno più calici o paramenti di quello che ri-
„ chiede la necessità dei luoghi. Nei paramenti o
„ panni dell'Altare non si usi oro o argento, nè cu-
„ riosità, secondo la Clementina . . . Epperò proibiamo
„ la recezione di qualsivoglia cosa d'oro e d'argento,
„ di velluto, o di seta, *eccetto i calici, le bussole del*
„ *SS. Sagramento e i tabernacoli, e i VELI da tenere*
„ *sopra i tabernacoli e i CALICI.* „

Prouti videtis, EE. PP., Constitutiones Capuccinorum reprobant aurum, argentum et sericum in sacris utensilibus, exceptis tamen casibus in quibus rubricae Missalis aurum, argentum et sericum requirunt.

Sed dices, curnam Constitutiones istae dum permittunt rerum sericarum receptionem pro calicis velo, non idem dicunt de reliquis indumentorum partibus? Duplex assignari potest ratio. Prima, quia iuxta Missalis rubricam P. II, T. I, n. 1 velum Calicis totum sericum esse debet, dum non prohibentur paramenta ex lino vel gossypio, cui fila serica superimponantur.

Secunda, quia S. haec Congregatio, tempore approbationis Constitutionum PP. Capuccinorum, adhuc non interdixerat usum indumentorum sacrorum ex puro gossypio, uti nostris diebus fecit.

Caeterum, sericum tunc temporis vere aliquid pretiosum erat, quod in praesenti aestimari vix potest.

Hoc unum tamen, ut verum fatear, reperitur in capite III dictarum Constitutionum, quod oppositum videtur Decretis huius S. Congregationis, nec non Missalis rubricae: " Quando si dà l'incenso serva alla Messa un chierico. „ Hoc vero, ut clare patet, interpretationem potest habere rubricis conformem.

Concludendum igitur videtur, Capuccinorum Constitutiones Decretis S. huius Congregationis et Missalis rubricis aperte favere. Idcirco praxis Decretis rubricisque contraria, censenda est etiam contraria ipsis Constitutionibus PP. Capuccinorum.

Ex hucusque dictis, haud ambigo inferri posse, PP. Capuccinos teneri ad omnia et singula Decreta generalia S. huius Congregationis.

Nunc autem praepositis dubiis singillatim satisfaciam.

Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Negative. Habet enim contra Missalis rubricam, nec non Decreta huius Congregationis, scilicet 18 Decembr. 1799, 19 August. 1651, 18 Mart. 1874.

Ad 4. Observentur Missalis rubricae.

Ad 5. Quoad primam partem, permitti potest, dummodo cantus quasi-psalmodicus, seu recitativus, retineat gravitatem, quam exigit sacrorum rituum maiestas. Quoad secundam, iam provisum.

Ad 6. Negative. Sacra haec Congregatio in Decreto diei 7 Sept. 1861, sequentia habet: " *Inservientem Miss. Conv. esse debere clericum cum cotta.* „

Ad 7. Affirmative.

Ad 8. Sacerdos celebraturus exeat e sacrario, alba, cingulo, stola et pluviali coloris Missae convenientis indutus. Aspersione absoluta, recedit ad cornu Epistolae prope scamnum, ibique pluviali se exuit, et

manipulum casulamque ad Missam celebrandam accipit.

Ad 9. Sustinenda est, nam consonat cum Decreto diei 19 Nov. 1639.

Ad 10. Negative.

Ad 11. Negative, nisi aliter ferat consuetudo; nunquam, cum in Missis adhibetur color violaceus, et multo minus in Missis de Requie.

Ad 12. Si agatur de sola expositione SS. Sacramenti, sufficit ut Sacerdos cotta et stola sit indutus, numquam cum alba, cingulo et stola tantum. Relate autem ad expositionem XL horarum, observetur in Urbe Instructio Clementina, extra Urbem laudandi qui se illi conformare student. S. H. C. 12 Iulii 1749. *Et haec praxis invenitur quoque in rubricis particularibus Missalis Ord. Capuccinorum.*

In processionibus et benedictione cum SS. impertienda (in Ostensorio) omnino requiritur, ut Celebrans pluviale et velum induat; sicuti cautum est in Decretis 7 Maii 1857 et 22 Iunii 1874.

Ad 13. PP. Capuccini retinere possunt Tabernaculum ligneum affabre elaboratum ex concessione S. C. Ep. Reg. 13 Iul. 1649. Tamen decet illud esse ex ligno non vulgari, vel exterius aliquo colore pulchre depictum.

Ad 14. Cum non agatur de re quae cultus substantiam afficiat, nec realem importet difformitatem, responderi posset, pro gratia *affirmative* quoad primam partem.

Ad 15. Servetur Rituale.

Ad 16. Affirmative: indulgeri autem posset usus paramentorum ex prohibita materia iam confectorum, *usque dum consumantur.*

Ad 17. Si ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Rom.

Si tres aut quatuor clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII.

Si autem et hoc clericorum numero destituantur, petant facultatem iuxta Decretum S. H. C. die 16 Mar. 1876.

Et ita salvo meliore iudicio.

ROBERTUS MARCUCCI
Caerem. Apost. Magist.

II.

LUCIONEN.

Anno Domini 1835 Oratorium principale Maioris Seminarii Lucionensis, ab hoc aedificio minime seiunctum et sub titulo S. Caroli Borromaei constructum, cultui Divino benedictione dedicatum fuit, cum unico altari portatili posito in cavitate quadrata, quae in medio tabulae ligneae existit: ipsa tabula posita est super basim lapideam marmore ornatam, cum qua minime coniungitur. Ad divinum Missae Sacrificium illud unicum altare quotidie usque ad hodiernum diem inserviit. A die benedictionis Oratorii singulis anni Dominicis festisque diebus officia liturgica solemniter in eo cantari ab alumnorum coetu consueverunt.

Anno autem Domini 1837 aedes supradicti Oratorii consecrata fuit absque ulla altaris, tum portatilis tum fixi, consecratione.

A die huius consecrationis usque ad Liturgiae romanae in Dioecesim Lucionensem introductionem, festum anniversarii omnium Ecclesiarum consecratarum, quae

extant in territorio reipublicae Gallicanae, celebratum fuit in Oratorio Seminarii, eo modo quo Anniversarium Ecclesiae consecratae celebratur ex Sacrorum Rituum Congregatione 28 Februarii 1682 in Girgentina, scilicet cum candela supra singulas e duodecim crucibus accensa.

Ab anno autem quo romana Liturgia vim in dioecesi accepit usque nunc, modus ille celebrandi cessavit, ex eo quod consecratio Oratorii invalida visa fuerit propter defectum consecrationis alicuius altaris, ut supra exposuimus.

Attamen a die benedictionis Oratorii usque ad annum 1884 Officium titularis celebratum fuit sub ritu duplici primae classis cum Octava a rectore Seminarii, professoribus et alumnis in maioribus Ordinibus constitutis; dum a supradicto anno cessavit huiusmodi celebratio cum Octava, ex eo quod illius legitimitas in dubium venerit. Dubium ortum fuit non solum ex eo quod extraneis, id est omnibus fidelibus, non pateat indiscriminatim Oratorii Ianua, ac proinde iuxta nonnullos, illud recensendum est inter Oratoria, de quorum titulari nemini licet Officium recitare sub ritu duplici primae classsis cum octava; sed etiam ex eo quod consecratio Oratorii visa fuerit invalida, ex supra dictis.

Hisce expositis, Rm̃us Episcopus Lucionen. ab eadem S. Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

Dubium I. Utrum valida fuerit consecratio memorati Oratorii?

Dubium II. Utrum festum titulare eiusdem Oratorii sub ritu duplici primae classis cum Octava recolendum sit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Secre-

tarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ita propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative nisi adsit Apostolicum privilegium.*

Atque ita rescripsit die 28 Iunii 1890.

COMMENTARIUM.

Nuperum hoc S. R. Congregationis decretum non parum pugnare, cum aliis eiusdem S. R. Congregationis decretis, *diei 11 Iunii 1843*, et *diei 28 Septembris 1872*, alicui fortasse prima fronte videri poterit. At non ita sane res est. Negotium enim maturius consideranti haud profecto contradictionem cum antiquis, sed sapientiam in ultimo S. R. Congregationis decreto facile reperiet.

1.° Certum est enim altare ita principalem essentialemque Ecclesiae partem esse, ut vix intelligi possit hoc nomen Ecclesia, si ab altari abstrahas. Notio enim Ecclesiae, ut in casu accipitur, essentialiter altare in suo includit conceptu. Arroges, Pontificale Romanum numquam de Ecclesiae consecratione loqui, ab altaris consecratione disiuncta. Imo, intento animo Titulum *De Ecclesiae dedicatione seu consecratione* percurrenti, manifeste apparebit, non solum in Ecclesiae consecratione etiam ipsius altaris consecrationem comprehendi, sed rem maxime arduam esse alteram consecrationem ab altera separare, cum ita arcto strictoque nexu colligata sint, ut quid unum efficiant. Quapropter Episcopus Ecclesiam consecrans absque ullius altaris consecratione, aut ritum omnino novum institueret, aut certe quid informe monstruo-

sumque perageret, ritum in Pontificale descriptum turpiter mutilans. Pluries enim in Ecclesia consecranda Pontificale de altari tractat, altare nominat, ut quaedam et Ecclesiae et altaris consecrationi sint communia. Haec autem ulterius ostendunt utramque consecrationem in unum coalescere, et disiungi non posse. Et en ratio, ob quam haec lex a S. Memoria Gregorii Papae XVI tanti existimata fuit, ut ne pro gratia quidem senescenti summeque debili Episcopo Oppidenen. facultatem concedere voluit, Ecclesiae consecrationem seiungendi ab illa altaris (*Die 24 Maii 1844*).

2.° Nihilominus pari fere certitudine admittendum est, praefatam deformitatem ac monstruositatem nulla ratione haberi, quando Ecclesia et altare revera simul consecrantur, quamvis huius invalida consecratio fuerit ob defectum aliquod essentiale, ab Episcopo consecratore admissum. Tunc enim caeremoniae omnes genuinam naturalemque propriam significationem non amittunt, et veluti anima informantur, ut verba cl. Marchesi usurpemus, qui, altare, felici expressione, animam consecrationis Ecclesiae appellat. Arroges, Ecclesiam in casu rite consecrari, uti Pontificale praescribit: post quam absolutam fit consecratio altaris, quae tamen supponitur invalida; sed hoc omnino per accidens est consecrationi Ecclesiae.

Hoc posito, patet veritas a nobis superius enunciata: S. R. Congregationem, scilicet, haud solum secum non pugnare, verum sapientiam in suis responsis ostendisse, invalidam Ecclesiae consecrationem declarando, absque ullius altaris consecratione peractam, et e contra validam iudicando Ecclesiae consecrationem cum alicuius quidem altaris consecratione coniunctam, etsi essentialis aliquis defectus in altari con-

secrando irreptus sit. In primo enim casu ritus Consecrationis acephalus, ut ita dicam, et omnino informis factus est, cum e contra in secundo, defectu non obstante, ritus in suo esse expletus fuit, integer mansit, et plenam habuit significationem, utpote anima informatus.

Hinc colliges, quare haec nova S. R. Congregationis dispositio etiam vim, uti dicunt, retroactivam habeat, cum per eam ritus integer Consecrationis substantialiter vitiatus declaretur. Itaque, sicuti alias sapienter docuit S. R. C. (*V. Ephemerid. Liturg. ann. 4, pag. 562 et 563*), invaliditatem consecrationis altaris nulla ratione obstare validitati consecrationis Ecclesiae ; ita pari sapientia cum relato nupero *Lucionensi* Decreto docet, consecrationem Ecclesiae ulla sine consecratione altaris esse nullam, cui dispositioni per aliam anterius oppositam, nunquam, quantum scimus, eadem S. R. C. contradixit.

III.

QUEBECEN.

MARIANOPOLITANA ET OTTAVIEN.

Eñus et Rñus Dñus Alexander Tascheran, Archiepiscopus Quebecen. una cum Rñis Antistitibus Marianopolitano et Ottaviensi ab Apostolica Sede humillime postulant: 1.° Ut iuxta Calendarium pro tribus suis ecclesiasticis Provinciis nuper approbatum, ac iuxta recentiores Rubricas, liceat sibi reformare Calendaria particularia Ecclesiarum et publicorum Oratoriorum intra fines suarum Archidioecesium respective existentium : 2.° Ut festis propriis Ecclesiarum atque

Oratoriorum publicorum, non excepto festo Titulari, eaedem dies assignari valeant, quibus inscriptae sunt in respectivo Calendario Dioecesano, servato iure ad integram Octavae celebrationem.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis postulatis rescribendum censuit, videlicet: Ad I. *Affirmative*: ad II. *Non expedire*. Atque ita rescripsit die 2 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus*.
VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius*.

IV.

URGELLEN.

De mandato Rmi Episcopi Urgellensis, hodiernus Magister Caeremoniarum in Cathedrali eadem Ecclesia Urgellensi, insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Subdiaconus in Missa Pontificali ascendere debeat ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae, tum ad recitandum simul cum Pontifice *Agnus Dei*, tum ad aquam infundendam dum Pontifex se purificat post Communionem (prout vult Martinucci), vel ad praebendas Diacono ampullas, uti alii dicunt cum Baldeschi?

Et quatenus Negative:

Dubium II. An saltem ad praedicta, nec non ad *Sanctus* ascendere teneatur, ubi talis viget consuetudo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis censuit rescribendum, nimirum:

Ad I. *Negative in omnibus, et servetur Caeremoniale Episcoporum* (Lib. II, cap. 8, n. 75 et 76), *et Rubrica Missalis Romani* (Ritus celebrandi Missam, tit. X, n. 8).

Ad II. *Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum* (Lib. II, cap. 8, n. 67).

Atque ita rescripsit die 2 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.
VINC. NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

V.

MAURIANEN.

Rmus Dnus Michael Rosset Episcopus Maurianen. sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humiliter subiecit, nimirum: Iuxta Pontificale Romanum, ubi de consecratione altaris tum fixi tum portatilis agitur, quinque cruces in parte superiori lapidis oleo sacro inungendae sunt. Si crux in medio lapidis absit, ac proinde in altaris consecratione omittatur unctio istius crucis, quaeritur utrum invalida sit consecratio? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit, videlicet: *Valida est consecratio; sed unctio in medio tabulae numquam omitti debet, quamvis crux ibidem sculpta non sit.* Atque ita declaravit et rescripsit die 2 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.
VINC. NUSSI *Secretarius.*

SPECIMEN CALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO 1893.

in quo PASCHA contingit die 2 Aprilis.

Tabella Temporaria

Littera Dominicalis.	A.
Aureus Numerus	13.
Epacta.	XII.
Littera Martyrologii . (*parva*)	*m.*
Indictio Romana	VI.
Dominicae post Epiphaniam	N. 3.

Festa Mobilia

Septuagesima.	29 Jan.
Dies Cinerum.	15 Febr.
Pascha Resurrectionis. . .	2 April.
Rogationes 8, 9,	10 Maii.
Ascensio Domini	11 Maii.
Pentecostes.	21 Junii.
Corpus Christi	1 Junii.
Dominicae post Pentecostem	27.
Dominica 1 Adventus. .	3 Decem.

Quatuor Anni Tempora

In vere 24, 24, 25	Febr.
In aestate 24, 26, 27	Maii.
In autumno . . 20, 22, 23,	Sept.
In hyeme 20, 22, 23,	Decem.

NUPTIAE PROHIBENTUR.

A die 1 usque ad 6 Ianuarii inclusive, et a die 15 Februarii usque ad 9 Aprilis inclusive.

JANUARIUS.

✠ 1. Dom. (*vacat*) CIRCUMC. D.NI *dup. 2 cl.*

2. Fer. 2. Oct. Stephani *dup.* com. octavar.

✠ 3. F. 3. Oct. Ioannis *d.* c. oct.

4. F. 4. Oct. Innoc. *d.*

5. F. 5. Vig. Epiph. *sem.* c. Telesphori.

✠ 6. F. 6. **Epiphania D.ni** *d. 1 cl. cum oct. priv.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

7. Sab. De 2. die infra oct. *sem.*

✠ 8. D. infra oct. *sem. Inc. Ep. 1 ad Corinth.*

9. F. 2. De 2. die infra oct. *sem.*

10. F. 3. De 4. die infra oct. *sem.*

11. F. 4. De 5. die infra oct. *sem.* c. Hygini.

12. F. 5. De 6. die infra oct. *sem.*

13. F. 6. Oct. Epiph. *d.*

14. S. Hilarii E. D. *d.* c. Felicis.

✠ 15. Dom. 2. p. Epiph. SS. NOMINIS IESU *d. 2. cl.* c. Pauli 1 Er. et dom. (ac Mauri in Laud. et Miss. priv.)

16. F. 2. S. Marcelli *sem. Inc. Ep. 2 ad Corinth. — Resumuntur Suffragia.*

17. F. 3. S. Antonii *d.*

18. F. 4. Cathedra Rom. *d. m.* c. Pauli et Priscae.

19. F. 5. Canuti *sem. ad lib.* c. Mm.

20. F. 6. Fabiani et Soc. *d.*

21. S. Agnetis *d.*

✠ 22. Dom. 3. post Epiph. *sem.* c. Vincentii et Anastasii.

23. F. 2. Raymundi *sem.* c. Emerentianae. — *aliq. locis* De-

sponsatio B. M. V. *d. maj.* c. Ioseph et Emerentianae.
24. F. 3. Timothei *d.*
25. F. 4. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri.
26. F. 5. Polycarpi *d.*
27. F. 6. Io. Chrysostomi *d.*
28. S. De B. Maria *simp.* c. Agnetis — vel Vot. Immac. Concept. c. Agnetis.
✠ 29. D. SEPTUAGESIMAE *2 cl. sem.*
30. F. 2. Martinae *sem.*
✠ 31. F. 3. Petri Nolasci *d.* — *aliq. loc.* Orationis Dñi *d. mai.* c. Petri.

FEBRUARIUS.

1. F. 4. Ignatii *d.*
✠ 2. F. 5. PURIFICATIO B. M. V. *d. 2 cl.*
3. F. 6. Francisci Salesii *d.* (*f. 29 Jan.*) c. Blasii.
4. F. 5. Andreae Corsini *d.*
✠ 5. D. SEXAGESIMAE *2 cl. sem.* c. Agathae.
6. F. 2. Titi *d.* c. Dorotheae.
7. F. 3. Romualdi *d.* — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Romualdi.
8. F. 4. Ioannis de Matha *d.*
9. F. 5. Cyrilli Alexand. *d.* c. Apolloniae.
10. F. 6. Scholasticae *d.*
11. S. VII Fundatorum *d.*
✠ 12. D. QUINQUAGESIMAE *2 cl. sem.* — *aliq. loc.* com. Raymundi.
13. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
14. F. 3. Valentini *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. S. Valentini.

Cras clauduntur Nuptiae.

15. F. 4. CINERUM c. Faustini et Iovitae.
16. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti c. fer. (per tot. quadr. in off. de Ss. dicitur 9 lectio et fit com. feriae).
17. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis *sem.* — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. mai.*
18. S. De ea — *vel* Vot. Immac. c. Simeonis.

Incipit pars verna Breviarii

✠ 19. D. I QUADRAG. *1 cl. sem.*
20. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. *sem.* — *aliq. loc.* Conradi Placentini *sem.* (f. heri).
21. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
22. F. 4. QUAT. TEMP. — Cathedra Antioch. *d. m.* c. Pauli.
23. F. 5. Vig. Mathiae. Petri Damiani *d.*
† 24. F. 6. QUAT. TEMP. — MATHIAE *d. 2 cl.*
25 S. QUAT. TEMP. De eo *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor *d. m.* — In Italia Margaritae Corton. *sem.*
✠ 26. D. 2 QUADR. *2 cl. sem.*
27. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
28. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.

MARTIUS

1. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
2. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
3. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sindonis Dñi *d. m.*
4. F. S. Casimiri *sem.* c. Lucii.
✠ 5. Dom. 3 QUADRAG. *2 cl. sem.*
6. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
7. F. 3. Thomae Aquin. *d.* c. Perpetuae et Soc.
8 F. 4. Ioannis de Deo *d.*
9. F. 5. Franciscae Rom. *d.*

10. F. 6. XL Martyr. *sem.* — *aliq. loc.* Quinque Vulner. Dñi *d. m.*
11. S. De eo *vel* Vot. Immacul. Concept.
✠ 12. D. 4 Quadrag. *2 cl. sem.*
13. F. 2. Gregorii I *d.* (f. heri).
14. F. 3. De ea, *vel* Vot. Apostol.
15. F. 4. De ea, *vel* Vot. Ioseph.
16. F. 5. De ea, *vel* Vot. Sacramenti.
17. F. 6. Patritii *d.* — *aliq. loc.* Pretios. Sanguinis Dñi *d. m.* c. Patritii.
18. S. Cyrilli Hieros. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.*
✠ 19. D. Passionis *1 cl. sem.* Cessant Suffragia et off. Vot.
✠ 20. F. 2. **Ioseph**. *d. 1 cl.* — *aliq. loc.* Cyrilli Hieros. *d.* assign. e 18. huius.
21. F. 3. Benedicti *d. m.*
22. F. 4. De ea — *In Italia* Catharinae Fliscae *d.* — *aliq. loc.* Ioseph *d. 1 cl.*
24. F. 5. De ea — *In Italia aliq. loc.* Ioseph *d. 1 cl.*
24. F. 6. Septem dolorum B. M. *d. m.*
✠ 25. S. Annunciatio B. M. V. *d. 2 cl.*
✠ 26. D. Palmarum *1 cl. sem.*
27. F. 2. Hebd. Sanctae de ea.
28. F. 3. Hebd. Sanctae de ea c. Ioannis a Capistrano.
29. F. 4. Hebd. Sanctae de ea.
† 30. F. 5. in Coena Domini *d. 1 cl.*
† 31. F. 6. Parasceves *d. 1 cl.*

APRILIS.

† 1. Sab. Sanctum *d. 1 cl.*
✠ 2. D. **Pascha Resurr.** *d. 1 cl. cum oct. privil.* (de Francisco a Paula nil hoc anno).
✠ 3. F. 2. De ea *d. 1 cl.*
† 4. F. 3. De ea *d. 1 cl.*
5. F. 4. De ea *sem.* c. Vincentii Ferrerii.
6. F. 5. De ea *sem.*
7. F. 6. De ea *sem.*
8. S. De eo *sem.*
✠ 9. D. in Albis *1 cl.* de ea *dup.*

hodie aperiuntur nuptiae.

10. F. 2. S. Ioannis Damasceni *d.* (f. 27. Martii).
11. F. 3. Leonis I. *d.*
12. F. 4. Isidori *d.* (f. 4. huius).
13. F. 5. Hermeneg. *sem.* « Suffr. de Cruce ».
14. F. 6. Iustini M. *d.* c. Mm.
15. S. De eo — *vel* Vot. Immac. Concept.
✠ 16. D. 2. p. Pascha de ea *sem.*
17. F. 2. Aniceti *vel* Vot. Angel. c. Aniceti.
18. F. 3. De ea, *vel* Vot. Apostol.
19. F. 4. De ea, *vel* Vot. Ioseph.
20. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
21. F. 6. Anselmi *d.*
22. S. Soteris et Caii Mm. *sem.*
✠ 23. D. 3 p. Pascha Patrocinium Ioseph *d. 2 cl.* c. dom. et Georgii.
24. F. 2. Fidelis *d. Incip. Apocal.*
† 25. F. 3. Marci Ev. *d. 2 cl.*
26. F. 4. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. de Bono Consilio *d. m.*
27. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.*
28. F. 6. Pauli a ✠ *d.* c. Vitalis.
29. S. Petri M. *d.*
✠ 30. D. 4. p. Pascha Catharinae Sen. *d.* c. dom. *Inc. ep. Iacobi.*

MAIUS.

† 1. F. 2. PHILIPPI ET IACOBI *d.* *2 cl.* ll. 1. n. de script. occ.
2. F. 3. Athanasii *d.*
† 3. F. 4. INVENTIO CRUCIS *d. 2 cl.* c. Alexandri et Soc. in L. et Mis. priv.
4. F. 5. Monicae *d.*
5. F. 6. Pii V *d.*
6. S. Ioannis ante P. L. *d. m.*
✠ 7. D. 5. p. Pascha. Stanislai *d.* *Incip. ep. 1.* Petri.
8. F. 2. ROGAT. Appar. Michaelis Arch. *d. m.*
9. F. 3. ROGAT. Gregorii Nazian. *d.*
10. F. 4. ROGAT. Vig. — Antonini *d.*
✠ 11. F. 5. **Ascensio D.ni** *d. 1. cl. cum oct.*
12. F. 6. Nerei et Soc. *sem.* c. oct.
13. S. De oct. *sem.*
✠ 14. D. infra oct. de ea *sem.* c. Bonifacii.
15. F. 2. De oct. *sem.* — *aliq. loc.* Isidori *d.* c. oct.
16. F. 3. Ubaldi *sem.* — *aliq. loc.* Ioan. Nepomuc. *d.* c. oct.
17. F. 4. Paschalis *d.* c. oct.
18. F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Venantii.
19. F. 6. Petri Caelestini *d.* c. fer. et Pudentianae.
20. S. Vig. Pentec. de ea *sem.* c. Bernardini. « Cessant Octavae inceptae ».
✠ 21. D. **Pentecostes** *d. 1 cl. cum oct. privil.*
✠ 22. F. 2. De ea *d. 1 cl.*
† 23. F. 3. De ea *d. 1 cl.*
24. F. 4. QUAT. TEMP. de ea *sem.*
25. F. 5. De ea *sem.* c. Gregorii VII et Urbani.
26. F. 6. De ea QUAT. TEMP. *sem.* c. Eleutherii.
27. S. QUAT. TEMP. de eo *sem.* c. M. Magdalenae de Pazzis et Ioannis.

Incipit Pars Aestiva Breviarii.

✠ 28. D. TRINITATIS *d. 2 cl.* c. Augustini Cantuar. et Dom.
29. F. 2. De ea, *vel* Vot. Angel. « Resumuntur Suffragia » — *aliq. loc.* B. M. Auxilium Christianorum *d. m.* (f. 24. huius).
30. F. 3. Felicis *simpl. vel* Vot. Apostol. — *aliq. loc.* Ferdinandi *d.* c. Felicis.
31. F. 4. Angelae Mericiae *d.* c. Petronillae.

IUNIUS.

✠ 1. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1 cl. cum oct. priv.* (*aliq. loc. priv. ut oct. Epiph.*)
2. F. 6. De oct. *sem.* c. Mm. sine lect.
3. S. De oct. *sem.*
✠ 4. D. infra oct. Francisci Caracciolo *d.* c. Dom. et oct.
5. F. 2. Bonifacii *d.* c. oct.
6. F. 3. Norberti *d.* c. oct.
7. F. 4. De oct. *sem.*
8. F. 5. Oct. Corporis Chr. *d.*
† 9. F. 6. **Ss. Cordis Iesu** *d. 1 cl.* — nil de Primo et Soc.
10. S. Margaritae Reg. *sem.*
✠ 11. D. 3 p. Pentec. Barnabae Ap. *d. m.*
12. F. 2. Ioannis a S. Fac. *d.* c. Basilidis et Soc.
13. F. 3. Antonii a Padua *d.*
14. F. 4. Basilii *d.*
15. F. 5. Viti et Soc. *simpl.* — *vel.* Vot. Sacramenti c. Viti et Soc.

16. F. 6. De ea, *vel* Vot. Passionis.
17. S. De B. M. *simpl. vel.* Vot. Immac. Concept.
✠ 18. D. 4. p. Pent. De ea *sem.* c. Marci et Soc.
19. F. 2. Julianae *d.* c. Gervasii et Soc.
20. F. 3. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Silverii.
21. F. 4. Aloysii *d.*
22. F. 5. Paulini *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti c. Paulini.
23. F. 6. Vigilia de ea — *vel* Vot. Passionis c. Vigiliae.
✠ 24. S. **Ioannis Baptistae** *d. 1. cl.*
✠ 25. D. 5. p. Pent. Gulielmi *d.* c. Dom. et oct.
26. F. 2. Ioan. et Pauli *d.* c. oct.
27. F. 3. De oct. *sem.*
28. F. 4. *Vig.* Leonis II *sem.* c. oct. et Vig.
✠ 29. F. 5. **Petri et Pauli** App. *d. 1 cl. cum oct.*
30. F. 6. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri.

IULIUS.

1. S. Oct. Ioannis *d.* c. oct. App.
✠ 2. D. 6. p. Pent. VISITATIO B. M. *d. 2. cl.* c. Dom. et Mm.
3. F. 2. Pretios. Sanguinis Dñi *d. 2 cl.* (f. heri). *Nota.* Licet hoc festum dignius sit dignitate intrinseca festo Visitationis, minus tamen est dignum dignitate extrinseca; scilicet, Visitatio B. M. est duplex 2 classis *secundi ordinis,* festum Pretios. Sanguinis est duplex 2 classis tertii ordinis. (*Vide Rubric. huius festi*).
4. F. 4. De oct. App. *sem.*
5. F. 4. Cyrilli et Methodii *d.* c. oct.
6. F. 5. Oct. App. *d.*
7. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *aliq. loc.* Pulcheriae *d.*
8. S. Elisabeth Portug. *sem.*
✠ 9. D. 7. p. Pent. de ea *sem.*
10. F. 2. Septem Fratrum *sem.*
11. F. 3. Pii I *simp.* — *vel* Vot. Ang. c. Pii.
12. F. 4. Io. Gualberti *d.* c. Naboris et Soc.
13. F. 5. Anacleti *sem.*
14. F. 6. Bonaventurae *d.*
15. S. Henrici *sem.*
✠ 16. D. 8. p. Pent. B. M. de Monte Carmelo *d. m.* c. Dom.
17. F. 2. Alexii. *sem.* — Romae *d.*
18. F. 3. Camilli *d.* c. Symphorosae et Soc.
19. F. 4. Vincentii *d.*
20. F. 5. Hieronymi *d.* c. Margaritae.
21. F. 6. Praxedis *simp.* — *vel.* Vot. Passionis c. Praxedis.
22. S. M. Magdalenae *d.*
✠ 23. D. 9. Apollinaris *d.* c. Dom. et Liborii.
24. F. 2. Vigil. de ea — *vel* Vot. Angel. c. Vig.
† 25. F. 3. IACOBI Ap. *d. 2 cl.* c. Christophori.
† 26. F. 4. ANNAE *d. 2 cl.*
27. F. 5. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti c. Pantaleonis.
28. F. 6. Nazarii et Soc. *sem.*
29. S. Marthae *sem.* c. Felicis et Soc.
✠ 30. D. 10. p. Pent. 1. Augusti de ea *sem.* c. Abdon. et Soc.
31. F. 2. Ignatii *d.*

AUGUSTUS.

1. F. 3. Petri ad Vinc. *d. m.* c. Machab.
2. F. 4. Alphonsi *d.* c. Stephani.
3. F. 5. Inventio Stephani *sem.*
4. F. 6. Dominici *d. m.*
5. S. B. M. ad Nives. *d. m.*
✠ 6. D. 11. p. Pent. 2. Aug. Transfiguratio Dñi *d. m.* c. Dom. ac Xyxti et Soc.
7. F. 2. Caietani *d.*
8. F. 3. Cyriaci et Soc. *sem.* c. Donati.
9. F. 4. Vigilia de ea c. Romani *vel.* Vot. Ioseph c. Vig. et Romani.
† 10. F. 5. LAURENTII *d. 2 cl. cum oct.*
11. F. 6. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Soc.
12. S. Clarae *d.* c. oct.
✠ 13. D. 12. p. Pent. 3. Aug. de ea *sem.* c. oct. ac Hippolyti et Soc.
14 F. 2. Vig. de oct. *sem.* c. Vig. di Eusebii Mis. de Vig. c. oct. et Eusebii.
✠ 15. F. 3. **Assumptio B. M.** *d. 1 cl. cum. oct.*
† 16. F. 4. Hyacinthi *d.* c. octavar. — *aliq. loc.* Rochi c. octav.
17. F. 5. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.
18. F. 6. De oct.
19. S. De oct.
✠ 20. D. 13. p. P. 4. Aug. IOACHIM *d. 2. cl.* c. Dom.
21. F. 2. Ioan. Franc. Fremiot *d.* c. oct. *Incipit lib. Eccl.*
22. F. 3. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.
23. F. 4. *Vigil.* Philippi Benitii *d.* c. Vig.
† 24. F. 5. BARTHOLOMAEI *d. 2 cl. Romae* Vig. — Bernardi Ab. *d.* (f. 20. huius) c. Vig.
25. F. 6. Ludovici *sem.* — *Romae* BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.*
26. S. Bernardi *d.* (f. 20. huius) c. Zephyrini — *Romae* Ludovici *sem.* c. Zephyrini.
✠ 27. D. 14. p. Pent. 5. Aug. Ioseph. Calas. *d.* c. Dom.
28. F. 2. Augustini *d.* c. Hermet.
29. F. 3. Decollat. Joannis *d. m.* c. Sabinae.
30. F. 4. Rosae Lim. *d.*
31. F. 5. Raymundi Non. *d.*

SEPTEMBER.

1. F. 6. Aegidii *simp.* c. XII Fratrum — *vel* Vot. Passionis c. Aegidii. et XII Fr.
2. S. Stephani Reg. *sem.*

INCIPIT PARS AUTUMN. BREV.

✠ 3. D. 15. p. P. 1 Septemb. de ea *sem.*
4. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
5. F. 3. Laurentii Iustin. *sem.*
6. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
7. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
✠ 8. F. 6. NATIVITAS B. M. *d. 2 cl. cum. oct.* c. Adriani.
9. S. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
✠ 10. D. 15. p. P. 2 Sept. Nominis B. M. *d. m.* c. Nicolai Tolent. et Dom.
11. F. 2. De oct. *sem.* c. Proti et Soc.
12. F. 3. De oct. *sem.*
13. F. 4. De oct. *sem.*
† 15. F. 4. Exaltatio ✠ *d. m.* c. oct.
15. F. 6. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.
16. S. Cornel. et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc.

✠ 17. D. 16. p. P. 3. Sept. VII Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Stigmat. Francisci et Dom.
18. F. 2. Ioseph. a Cupertino *d.* *Inc. Tobias.*
19. F. 3. Ianuarii et Soc. *d.*
20. F. 4. Quat. Temp. (Vig. de qua nil in off.) Eustachii et Soc. c. fer.
† 21. F. 5. Matthaei *d. 2 cl.*
22. F. 6. Quat. Temp. Thomae a Villan. *d.* c. fer. ac Mauritii et Soc.
23. S. Quat. Temp. Lini *sem.* c. fer. et Theclae.
✠ 24. D. 18. p. P. 4 Sept. B. M. V. de Mercede *d. m.* c. Dom.
25. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. *Incip. Iudith.*
26. F. 3. Cypriani et Iustinae *simp.* — *vel.* Vot. Apostol. c. Mm.
27. F. 4. Cosmae et Damiani. *sem.*
28. F. 5. Wenceslai *sem. Incipit Esther.*
† 29. F. 6. Dedic. Michaelis *d. 2 cl.*
30. S. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

✠ 1. D. 19. p. P. 1 Octob. Rosarii B. M. V. *d. 2 cl.* c. Dom.
2. F. 2. Angelorum Cust. *d. m.*
3. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apostol. *Incip. lib. I. Machab.*
4. F. 4. Francisci *d. m.*
5. F. 5. Placidi et Soc. *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti c. Mm.
6. F. 6. Brunonis *d.*
7. S. De B. M. *simp.* c. Marci ac Sergii et Soc. — *vel* Vot. Immacul., c. Marci et Mm.
✠ 8. D. 20. p. P. 2 Octob. Birgittae *d.* c. Dom. — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. *d. m.* c. Birgittae et Dom.
10. F. 3. Francisci Borgia *sem.*
11. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
12. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
13. F. 6. Eduardi *sem.*
14. S. Callisti *d.*
✠ 15. D. 21. p. P. 3 Octob. Teresiae *d.* c. Dom. — *aliq. loc.* Puritatis B. M. *d. m.* c. Teresiae et Dom.
16. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
17. F. 3. Hedvigis *sem.*
† 18. F. 4. Lucae Ev. *d. 2 cl.*
19. F. 5. Petri Alcantar. *d.*
20. F. 6. Ioannis Cantii *d.*
21. S. De B. M. *simp.* — *vel* Vot. Immaculatae.
✠ 22. D. 22. p. P. et 4 Octob. de ea *sem.*
23. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
24. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
25. F. 4. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Ioseph. c. Mm.
26. F. 5. Evaristi *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti c. Evaristi.
27. F. 6. *Vig.* de ea — *vel* Vot. Passionis c. Vig.
† 28. S. Simonis et Iudae *d.* 2 *cl.*
✠ 29. D. 23. p. P. 1 Novemb. de ea *sem.*
30. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
31. F. 3. *Vigil.* de ea — *vel* Vot. Apostol.

NOVEMBER.

✠ 1. F. 4. **Omn. Sanctorum** *d. 1 cl. cum. oct.*
2. F. 5. De oct. *sem.* — Comm. Omn. Defunct. *d.*

3. F. 6. De oct. *sem.*
4. S. Caroli *d.* c. Vitalis et Soc.
✠ 5. D. 24. p. P. 4. p. Epiph. 2 Novemb. de ea *sem.* c. oct.
6. F. 2. De oct. *sem.*
7. F. 3. De oct. *sem.*
8. F. 4. Octava Omnium SS. *d.* c. 4. Coronat.
9. F. 5. Dedic. SS.^e Salvatoris *d.* c Theodori.
10. F. 6. Andreae Avell. *d.*
11. S. Martini *d.* c. Mennae.
✠ 12. D. 25. p. P. 5. p. Epiph. 3 Novemb. de ea *sem.*
13. F. 2. Didaci *sem.* *aliq. loc.* Stanislai *d.*
14. F. 3. Iosaphat *d.*
15. F. 4. Gertrudis *d.*
16. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti - *aliq. loc.* Didaci *sem.*
17. F. 6. Gregorii Thaum. *sem.*
18. S. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d.*
✠ 19. D. 26 p. P. 6. p. Epiph. 4 Novemb. Elisabeth *d.* c. Dom. et Pontiani.
20. F. 2. Felicis de Valois *d.*
† 21. F. 3. Praesentatio B. M. *d. m.*
22. F. 4. Caeciliae *d.*
23. F. 5. Clementis *d.* c. Felicitatis.
24. F. 6. Ioannis a ✠ *d. Inc. Ioel, Amos et Abdias,* c. Chrysog.
25. S. Catharinae *d. Incip. Ionas.*
✠ 26. D. 27. et ultima (24) p. Pent. et 5 Nov. Silvestri ab. *d.* c. Dom. et Petri Alex.
27. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. *Inc. Nahum.*
28. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apostol. *Incip. Habacuc.*
29. F. 4. Vigil. de ea — *vel* Vot. Ioseph. *Inc. Sophonias.*
† 30. F. 5. ANDREAE Ap. *d. 2 cl.*

DECEMBER.

1. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis 1 *Inc. Aggaeus* 2 et 3 *Inc. Zacharias.*
2. S. Bibianae *sem. Inc. Malachias.*

INCIPIT PARS HIEMALIS BREVIARII

✠ 3. D. 1. **Adv.** *1 cl. sem.* c. Francisci Xav.
4. F. 2. Petri Chrys. *d.* c. fer. et Barbarae.
5. F. 3. De ea c. Sabbae — *vel* Vot. Apost. c. fer. et Sabbae.
6. F. 4. Nicolai *d.* c. fer.
7. F. 5. Ambrosii *d.* c. fer. (et Vig. in Mis.)
✠ 8. F. 6. **Immac. Conceptio B. M.** *d. 1 cl. cum oct.* c. oct.
9. F. 5. De oct. c. fer.
✠ 10. D. 2. **Adv.** *2 cl. sem.* c. oct. et Melchiadis.
11. F. 2. Damasi *sem.* c. oct. et fer.
12. F. 3. De oct. *sem.* c. fer *aliq. loc.* Transl. Domus Laur. *d. m.* (f. 10. huius).
13. F. 4. Luciae *d.* c. oct.
14. F. 5. De oct. *sem.* c. fer.
15. F. 6. Octava Conceptionis Immac. *d.* c. fer.
16. S. Eusebii *sem.* c. fer.

CESSANT OFFICIA VOTIVA

✠ 17. D. 3. **Adv.** *2 cl. sem.* Ant. dup. *O Sapientia.*
18. F. 2. De ea — *O Adonai,* dupl.
19. F. 3. De ea — *O Radix,* dupl.
20. F. 4. QUAT. TEMP. Vig. de feria c. Vig. in Mis. Ant. *O Clavis.*
† 21. F. 5. Thomae *d. 2 cl.* c. fer. *O Oriens.*
22. F. 6. QUAT. TEMP. de ea — *O Rex.* dupl.

23. S. QUAT. TEMP. de ea — *O Emanuel.* dupl.
24. D. 4. **Adv.** et Vigil. Nativ. in Laud. et deinceps *dup.*
✠ 25. F. 2. **Nativitas D. N.** *d. 1 cl. cum oct. priv.*
✠ 26. F. 3. Stephani *d. 2 cl. cum oct.* c. oct. Nat. (et *aliq. loc.* Omn. Mart.)
† 27. F. 4. IOANNIS Ev. *d. 2 cl. cum oct.* c. octavar.
† 28. F. 5. INNOCENTIUM *d.* 2 *cl. cum oct.* c. octavar.
29. F. 6. Thomae Cantuar. *sem.* c. octavar.
30. S. De Dom. infra oct. *sem.* c. octavar.
✠ 31. D. (*vacat*) S. Silvestri *d.* c. octavar.

Hodie et Anno insequenti 1894 littera Martyrologii erit D *magna.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE CONCURSU DUORUM FESTORUM SECUNDAE CLASSIS RITU ET DIGNITATE PARIUM.

Accidit in quadam Ecclesia, ut duo concurrerent simul festa secundae classis: quae bene a calendarii eiusdem Ecclesiae redactore perpensa, in omnibus praerogativis aequalia inventa sunt. Etenim ambo erant eiusdem dignitatis et solemnitatis, ambo in die propria, ambo particularia, ambo secundaria, ambo eiusdem ritus, hoc uno discrimine excepto, quod alterum erat festum Sancti Martyris, alterum Sancti Confessoris. Anceps proinde aliquantum haesit calendarii redactor, seu ex decreto *Ordinis Eremit. Camaldulen. Mont. Coronae* d. d. 19 Ian. 1743 ad 2, seu ex tabella Con-

currentiae in Breviario posita; nihilominus accuratiori peracto examine, censuit Vesperas esse omnino dimidiandas iuxta Rubricas. Quod tamen caeremoniarum in eadem Ecclesia magistro haud arrisit, quippe qui sustinebat, Vesperas dimidiatas locum habere tantum in duplicibus minoribus et semiduplicibus iuxta Rubricam de Concurrentia Tit. XI, n. 2; sed in aliis ritibus superioribus agendas esse semper Vesperas de digniori cum commemoratione de minus digno. Vehementiori tunc calendarii redactor fluctuat dubio, et quodnam sibi consilium capessendum nesciens, ad sodalem suum Romae degentem, caeremoniarumque apostolicarum magistrum scribit, inquirens:

1. *Quomodo, Rubricarum spiritu, S. R. Congregationis decretis, et Liturgicorum auctoritate inspectis, Sanctorum dignitas attendenda? Et an iuxta qualitatem Martyris, Confessoris etc.?*

2. *An verum an falsum iudicandum sit, in ritu qui duplici minori sit superior, nunquam dimidiandas esse Vesperas?*

3. *Cui ex duabus opinionibus standum in praxi, calendarii redactoris, an caeremoniarum magistri, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Francisci Schaefer ex alumnis Pontif. Collegii Urb. de Propag. Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 4 Martii 1891: acta Epitoma per Rmum Dom. Calcedonium Mancini e Congregatione Missionis Academiae Moderatorem.

1. Quaeritur primo, quomodo Sanctorum dignitas sit attendenda, Rubricarum spiritu, S. R. Congregationis decretis, auctorumque liturgicorum iudicio inter

se collatis ; et utrum eadem attendenda quoque dignitas sit iuxta qualitatem Martyris, Confessoris etc.

Vix innuendum, Ecclesiam nonnisi illis subiectis suum liturgicum tribuere cultum, qui dignitate aliqua sunt insigniti. Cuius autem dignitatis obiectum, nonnisi sanctimonia est, quae in Sanctis omnibus caelesti gloria circumdatis plus minusve refulget. Adeo ut dignitas Sanctorum in illa excellentia consistat, qua Deo totius gratiae fonti plus minusve appropinquant, eiusdemque participes fiunt. Dignitate itaque huiusmodi universi ditati sunt Sancti, diverso tamen gradu, ut stella, cum Apostolo dici queat, a stella differat in claritate.Haec nihilominus dignitas, intrinseca nuncupari potest, quae ab alia discriminatur, quam Liturgici extrinsecam dicunt, et ex ritu constituitur.

Iam vero ab utraque praefata, seu videlicet intrinseca seu extrinseca, dignitate dependere festorum celebrandorum praelationem, quando simul vel occurrant vel concurrant festa, adeo explorata res est, ut nulla super eo suboriri dubitatio possit.

Ab occursu festorum abstrahentes, solumque eorumdem perpendentes concursum, de quo unice casus agit, videndum primo est, prout inquiritur, quomodo Sanctorum dignitas sit attendenda. Itaque ante omnia, Rubricis inspectis, tenendum certo est, duobus concurrentibus Sanctorum festis ritu inaequalibus, praelationem illi esse festo tribuendam, quod superius est ritu, etiam intrinsecae dignitatis ratione posthabita. Magis enim vix esse potest perspicua concurrentiae Rubrica, quae sic se habet : " Si (festa duplicia) non sint eiusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubrica de Commemorationibus et Translatione festorum assignata, ut scilicet festa maiora habeant primas et secundas Vesperas integras cum commemora-

tione minorum, quando de eis fieri debet (*Rubr. Gen. Brev. Tit. XI, n. 2*). „ Palam est, hoc loco Rubricam per verba *eiusdem solemnitatis*, ritum significare voluisse, ac si dixisset *eiusdem ritus*; secus enim sequeretur, festa Domini, Deiparae, Angelorum etc. esse quoque praeferenda Sanctorum festis, quando haec illis potiora sunt ritu, quod falsum est. Cum ergo Rubricae ponunt *festa maiora*, nonnisi festa potioris ritus significare valent.

Ceterum maxima id perspicuitate eaedem Rubricae declarant, seque ipsae quodammodo explicant in numeris 4, 5 et 6 Tituli IX, ubi de commemorationibus verba faciunt, et ad quas locus citatus remittit. Revera primae et secundae Vesperae ibi tribuuntur potioribus festis integrae, prae inferioribus, et ante occurrentiae tabellas tamquam festa primae et secundae classis indicantur. His autem, quando cum aliis concurrunt inferioris ritus, semper praelatio tribuitur, uti in eodem concurrentiae tabella unicuique videre est. Ex eodem pariter loco manifeste apparet, festum aliquod, si sit duplex maius, alii praeferri festo concurrenti, quod duplex minus sit, vel inferius. Ad alia autem duplicia minora et inferiora quod attinet, adeo Rubricarum leges et tabellae normae sunt perspicuae, ut inutile prorsus sit super hoc immorari.

Exceptiones quasdam nihilominus Rubricae exhibent huius Tituli XI (*num. 7*), sicut et aliae post tabellam concurrentiae positae, pro diebus octavis Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Corporis Christi: ut hi dies duplicibus etiam maioribus sint praeferendi, non tamen primae vel secundae classis. Negotium istud satis elucescit, ut nec Decreta in eius confirmationem adducere oporteat; cum cetera quae afferenda mox erunt, quam exhibuimus veritatem sem-

per supponant, et solum in aequalitate ritus quaestiones resolvant.

Exceptionibus Rubricae alia est addenda, quam S. R. C. eidem principio innixa sapienter facit, et in Vesperis consistit diei octavae SS. Trinitatis, quae, ubi cum octava festum recolitur, praeferendae sunt alii cuicumque concurrenti duplici maiori (*Maioricen. 13 Sept. 1704*). Quae tamen, seu Rubricarum, seu S. R. Congregationis, superius expositam regulam, nonnisi confirmare valent.

Quod si diversitas ritus in concursu festorum desit, intrinseca dignitas unice attendenda erit, iuxta Rubricas. Explicite enim dicunt: " Inter festa aequalis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini praeferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras, sicuti festa B. Mariae festis Sanctorum: item festa Angelorum S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis et Apostolorum ceteris aliis (*Loc. cit.*). "

Ex his patet, rationem praelationis duplicem assignari in Rubricis: nempe et ritum, et in ritus aequalitate dignitatem personarum, quas Rubrica enumerat. At inter has personas nulla fit mentio seu Martyrum, seu Confessorum Pontificum aut non Pontificum, seu Virginum, seu Viduarum. Quod summa quidem cum sapientia; etenim personae singulae, quae in Rubrica superiori recensentur, intrinseca ceterisque Sanctis potiori dignitate praestant. Est enim Christus Dominus Sanctus Sanctorum, omnium Sanctorum Angelorumque domina est Deipara, Angeli omnes hominibus natura excellunt, Christi Praecursore non est maior inter natos mulierum, Deiparae Sponsus Christique nutritius Pater Sanctus Ioseph, fundamenta Ecclesiae sunt Apostoli. Quorum proinde gratia longe

relative maior est illa, qua praediti esse potuerunt reliqui ex Sanctis, quos liturgico cultu Ecclesia prosequitur. Cum itaque praeter recensitas personas, alias Rubrica taceat, concludendum certo est, nullum alium ex Sanctis, superius nominatis exceptis, tali dignitate iuxtu sensum Ecclesiae pollere, ut appellari possit insignis, consequenter ut dignior prae aliis, secundum Rubricas, sit iudicandus. Nulla proinde qualitas, seu Martyris, seu Confessoris Pontificis, seu non Pontificis etc. argumentum valet suppeditare, ut in paritate ritus, alius sit alii praeferendus.

Igitur Rubrica in tabella concurrentiae posita, hoc haud alio sensu intelligenda profecto est, cum dicit dignius festum alii minus digno esse praeferendum, seu *Totum de digniori, commemoratio de minus digno.* Hinc est enim, quod plura hoc principium decreta statuunt, ut de eo dubitandi non detur facultas. Primo enim habetur Decretum *Tridentina* declarans, qualitatem Martyris aut Pontificis etc. non esse ullo modo attendendam in praelatione festorum, et docet: " Dignitas personarum attendenda est in solis eorum festis, quae expressa sunt in... Rubrica... INTER FESTA etc. (*20 Iul. 1686 ad 2*) „. Quam doctrinam evidentiorem reddit Cavalerius (*Tom. II, sap. 28, Decr. I, n. 2*), dicens: " In concurrentia plurium officiorum aequalis ritus, sive Martyrum, sive Confessorum, aut Virginum, seu Viduarum, dignitatem non esse attendendam „. Item Decretum *Ordin. Capuccinorum* primo loco inquirit, an dignitas Martyrum, Confessorum etc. attendenda sit in concurrentia, et S. R. Congregatio respondet: " Negative (*14 Dec. 1709*) „. Specialiter autem decretum *Florentina* a Sacro Tribunali poscebat: " An festum S. Ioachim Patris B. M. V. in concurrentia alterius festi aequalis ritus considerari pos-

sit ut Patriarchae, an simplicis Confessoris „. Responsum vero fuit: “ Cum festum S. Ioachim pertineat simpliciter ad illa Confessorum, in aequali ritu observari debere Rubricam de concurrentia festorum (*19 Dec. 1829 ad 4*) „. Ceterum, ad hoc quod attinet negotium, auctores omnes, nullo contradicente, conveniunt, uti, praeter Cavalerium, quem superius citavimus, Guyetus, Merati, De Herdt, A Carpo etc. etc.

Duobus suppositis criteriis, de quibus hucusque diximus, ritu videlicet et dignitate, aliud quoque a primis tamen dependens, Rubrica indicat pro concurrentia, nempe exterior solemnitas. Rubrica enim supercitata, postquam locuta est de festis Domini, Deiparae et Sanctorum quos supra memoravimus, addit, praeferenda quoque esse “ festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis SOLEMNITER CELEBRANTUR, aliis in Calendario descriptis (*Tit. XI, n. 2*) „.

Diximus tamen, criterium istud a primis duobus dependere: hoc est, vim suam habere, si concurrentia accidat inter festa, in quibus dignitas insignis non reperitur, secus omne robur amittere. Exterior enim solemnitas, cum sit extrinseca, solemnitati intrinsecae, quam seu ritus seu dignitas insignis constituit praevalere non debet. Ad rem loquitur Cavalerius super decreto superius citato, quod mandat, festa Martyrum, Confessorum etc. esse aliis in concursu praeferenda, *si celebrentur pompa solemniori*. Ait itaque: “ At si horum officiorum non praevalet dignitas, utique solemnitas (praevalet), unde decretum subdit, quod *festa posteriorum praeferenda sunt, si celebrentur pompa solemniori;* ergo a fortiori festa priorum festis posteriorum; hoc autem factum fuit, ut solemnitati et votis populi, qui ad Ecclesiam confluit, officium de festo auditurus, corresponderet officium.

At quibus praeferenda erunt? Iis, quorum decretum meminit, nempe Martyribus, Confessoribus, et Virginibus et Viduis, non vero festis Domini, B. Mariae (*S. Io. Baptistae, S. Ioseph*), Angelorum et Apostolorum: quae cum praeferantur ratione intrinsecae dignitatis, merito a Rubrica *Inter festa* praeponuntur festis, etiam in propriis locis et Ecclesiis solemniter celebratis, quae propterea ab eadem novissimo loco recensentur, et dicuntur praeferenda *aliis in Calendario descriptis*, non vero dignioribus, quae ipsa praecedenter enumeraverat (*Tom. II, cap. XXVIII, n. 3*). " Toto ergo iure concludendum, ita attendendam esse dignitatem Sanctorum, seu Rubricarum spiritu, imo et littera, seu Decretis, seu Liturgicorum auctoritate, ut primo considerandus sit ritus, secundo dignitas, tertio, a ritu et dignitate dependenter, exterior solemnitas.

2. Altero loco quaeritur, utrum Vesperae, in paritate ritus, dignitatis, et solemnitatis, semper sint dimidiandae, etsi festa concurrentia duplicia sint maiora, secundae vel etiam primae classis.

Ut petitioni fiat satis, consulamus ante omnia Rubricam, quae sic se habet: " Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici, si utraque sint eiusdem solemnitatis, regulariter a capitulo fit de sequenti (*Tit. XI, n. 2*) „. Quid clarius? Festa enim, quae duplicis maioris sunt ritus, vel etiam secundae aut primae classis, citra dubium sunt duplicia, ergo iis concurrentibus, Rubrica iubet, fieri a capitulo de sequenti. Nec nobis licet praefata duplicia limitare ad sola minora, ab iisque seu maiora, seu secundae, seu primae classis excludere, nisi evidens ratio suggerat aut ipsamet Rubrica aliter doceat, quod non comprobatur. Ubi etenim lex non distinguit, nec

distinguere nobis ullo modo licet. Neque obstat verbum *regulariter*, quod in Rubrica legitur; est enim unice positum, ut significentur exceptiones faciendae quando unum ex festis concurrentibus insigni prae alio dignitate pollet, aut alterum altero solemnius colitur, ut ipsamet Rubrica inferius explicat.

At dices, alibi Rubricam vere docere, Vesperas non esse dimidiandas in duplici maiori; nec in duplici secundae aut primae classis. Nam tabella concurrentiae, dum in duplicibus minoribus aut semiduplicibus cum aliis eiusdem ritus concurrentibus festis ponit dimidiandas Vesperas, in casibus e converso, de duplicibus maioribus, secundae et primae classis cum aliis eiusdem ritus concurrentibus, ponit tantum: " Totum de digniori, commemoratio de minus digno (*Tab. Conc. n. 6*) „. Speciosa quidem difficultas, quae certe omni soliditate destituitur. Et sane, si ex duobus festis concurrentibus ritu paribus, alterum sit altero dignius, plane conveniendum, tabellam concurrentiae esse omnino sequendam. Sequenda pariter, si ex iisdem festis ritu et dignitate paribus, alterum sit altero solemnius; tunc enim solemnius censetur dignius, utique dignitate extrinseca, ut supra expositum est. At si neutrum ex duobus ulla ratione et dignius, paria enim supponuntur, quomodo tabellae stari possit, nequit intelligi. Dignitas enim in casu nonnisi liturgica est, quam nempe Rubricae considerant; alia ergo quaecumque negligenda est, utpote ex arbitrio. Si ergo vi Rubricarum, aut etiam Decretorum, quod in idem incidit, alterum festum altero non est dignius, quo iure uni totae tribuuntur Vesperae, quae esse de digniori non possunt? Necessario ergo recurrendum erit ad primam Rubricam, de qua superius, et concludere,

Vesperas esse dimidiandas quia duplex cum duplici concurrit.

Haec est communis omnium fere Liturgicorum doctrina. Guyetus hoc idem sibi dubium proponit, et exposita dubitandi ratione, ait: " His tamen haud infringi putaverim Rubricae huius generalis vim, *duplici concurrente cum alio sequenti duplici*, si utraque sint eiusdem solemnitatis, seu ut explicat Gavantus, sect. 3, cap. 2, n. 2, si sint aequalia, *regulariter a capitulo fit de sequenti*. Quae verba aeque omnino intelligenda videntur de duplicibus primae et secundae classis et maioribus per annum concurrentibus: adeo ut si festum unius Apostoli v. g. concurrat cum festo alterius, aeque fieri deberet a capitulo de sequenti cum commemoratione alterius etc. (*Lib. IV, cap. XIV, quaest. 2*). "

Clarius quoque se exprimit Cavalerius: " Aperitur hic sensus tabellae concurrentiae, dum in mutuo concursu duorum duplicium primae aut secundae classis, aut maioribus per annum, e regione semper annotat numerum 5, cuius explicatio est: Totum de digniori, commemoratio de minus digno ; ex quo videtur inferri, numquam dimidiandas esse Vesperas. Sensus itaque est, quod in memorato concursu Vesperae semper integrae esse debent de digniori, si alterutrum dignius sit, secus vero si aequale utrumque esse contingat, et ratione dignitatis personae, et solemnitatis chori aut populi (*Lib. I, cap. I, Decr. XVI, n. XXVI*). " Atque idem plus minusve aperte auctores reliqui.

Verum quod magis praestat, auctoritas est S. R. Congregationis, quae in pluribus Decretis hanc authenticam exhibuit Rubricarum interpretationem. Namque in *Panormitana* docuit, concurrentibus Vesperis S. Antonii Patavini et Sancti Basilii duplicis maioris ritus,

VESPERAS DIMIDIANDAS (*17 Iun. 1648*). In *Tridentina* autem, in festis duplicibus maioribus, nihil attendendum edixit, *seu* NULLAM HABENDUM ESSE PRAEFERENTIAM, SED VESPERAS FORE DIMIDIANDAS (*20 Iul. 1686, 3*). In una *Hispaniarum*, concurrentibus festis SS. Iusti et Pastoris, ac S. Laurentii ritus duplicis secundae classis, iterum mandavit DIMIDIANDAS VESPERAS IUXTA RUBRICAM TIT. XI, N. 2, appellavitque ad anteriora decreta (*25 Sept. 1688*). Ergo de genuino Rubricae sensu iam amplius dubitare non licet. Denique, concurrentibus festis dedicationis et Patroni dup. primae classis, item S. R. C. statuit VESPERAS DIMIDIANDAS... UT PRAESCRIBITUR IN RUBRICA DE CONCURRENTIA N. 2 (*Aquileien. 21 Aug. 1688 ad 1*).

Obiicies vero, et Decretum adesse *Ord. Eremit. Camaldul. Mont. Coronae*, d. d. 19 Ian. 1743 ad 2, quo S. R. C. decernit, concurrentibus simul festis SS. Martyrum Ioannis et Benedicti, et Sanctae Gertrudis Virginis, cum ambo essent duplicia secundae classis, praeponendum cum secundis Vesperis integris officium SS. Martyrum officio S. Virginis. Quid ergo? Nullo negotio solvitur difficultas, si difficultatis rationem habet. Nam decretum istud non solum expositae doctrinae nullo modo opponitur, sed et robur addit ac firmitatem. Sane quaenam ratio est, ob quam festum SS. Martyrum praefertur Virginis? Si ratio huiusmodi esset qualitas martyrum, obiectio staret; sed cum alia longe illa sit, omnino labitur et ruit. Audiatur Cavalerius super citato decreto disserens: " Officio SS. Martyrum integrae conceduntur Vesperae, QUARUM DIVISIONEM IMPORTARET RITUS AEQUALITAS, non quia illud officium sit particulare, S. Gertrudis commune toti Religioni Benedictinae, sed quia praedictum officium SS. Martyrum, prae illo S. Gertrudis, maxima solemnitate apud Camuldulenses

celebratur. Et id iuxta Rubricam XI, n. 2, quae festa, quae in propriis locis seu Ecclesiis solemniter celebrantur, praefert aliis in Calendario descriptis (*Tom. II, ad cap. XXVIII, Append. Decr. I.*). „

Ergo dimidiandas non esse Vesperas in festis duplicibus, seu maioribus, seu secundae aut primae classis, quando ritus est aequalis, aequalis dignitas, et ratio externae solemnitatis non suppetit, falsum simpliciter est, verumque est oppositum, quod erat demonstrandum.

3. Cui ergo ex duabus opinionibus standum, an Calendarii redactoris, an caeremoniarum magistri? Responsio patet ex dictis; cum revera caeremoniarum magister erraverit, tam in tabella concurrentiae interpretanda, quam in intelligentia praefati Decreti. Hinc, anceps licet, optime se gessit, iuxta Rubricas et Decreta, rectumque sensum Calendarii redactor, qui Vesperas divisit. Casus enim fert duo festa duplicia secundae classis, quae, omnibus inspiciendis inspectis, paria inventa sunt, uno solo excepto discrimine, qualitate Martyris pro altero, pro altero autem ex Sanctis, Confessoris. Atqui ex expositis abunde constat, hoc discrimen nec posse nec debere alteri prae altero festo praelationem tribuere; ergo Vesperae omnino dimidiandae erant, iuxta Rubricas et S. R. Congregationis Decreta.

Consequenter principium certum, tenendumque in praxi, hoc unum est, duobus concurrentibus festis, cuiuscumque sint ritus duplicis, qualitate Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarumque neglecta, Vesperas esse semper dimidiandas, nisi aut disparitas ritus, aut dignitatis vel etiam externae solemnitatis, ritu et dignitate paribus, suppetat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis et e Thera in Graecia.* **De confessione a Diacono et Subdiacono facienda in Missa solemni cum assistentia Ordinarii.** Quaeritur primo: Utrum quando, assistente Ordinario, Missa solemnis celebratur, Diaconus et Subdiaconus, licet neque canonicali neque sacerdotali dignitate insigniti, alternatim inter se debeant confessionem facere.

Resp. De confessione facienda a Diacono et Subdiacono Missae, in casu, rationabiliter dubitari non potest. Ipsa enim Rubrica Missalis (*Rit. cel. Tit. III, n. 3*) praeter Caeremonialis (*Lib. II, cap. XVIII, n. 15*), docet, Celebranti faciendam esse confessionem cum Episcopo. Diaconus ergo et Subdiaconus, sicut et ipsi Diaconi assistentes, nonnisi inter se eamdem confessionem bini facere possunt, cum cedere dignioribus, Sacerdoti nempe celebranti Episcopoque assistenti, locum debeant. Hinc, ut ceteros praetermittamus auctores idem docentes, cl. De Herdt habet: " Diaconus et Subdiaconus Missae Episcopo non respondent, sed inter se confessionem recitant (*Prax. Pontif. Tom. II, n. 144*) ". Demum decretum *Bituntina*, quod ab eodem citatur auctore, legem confirmat, et sancit, statuens: " Hi vero (*ministri Sacrificii*) post Episcopum et Celebrantem stantes, inter se confessionem ipsam absolvent (*14 Nov. 1676 ad 6*).

At dubium supponit conditionem, ut Diaconus et Subdiaconus neque Canonici sint, neque imo Sacerdotes: idem ne faciendum in casu?

Respondemus pariter affirmative. Quid enim interest, si canonicali et etiam presbyterali dignitate ca-

reant? Nonne Diaconi alter, alter Subdiaconi officio funguntur? Lex autem de istis ministris loquitur, quibus confessio est inter se facienda. Sive ergo sint Canonici, sive Presbyteri, sive non, nihil, ad hoc quod attinet negotium, interest; agunt enim ut ministri, et tales sunt, nempe Diaconus unus, Subdiaconus alter, et lex non distinguit. Nota nihilominus, decretum *Bituntina* supercitatum, hoc inter ministros Canonicos et non Canonicos discrimen ponere, quod nempe, stant *medii inter Canonicos assistentes, si Diaconus et Subdiaconus fuerint Canonici: sin minus, a sinistro latere... post Episcopum et Celebrantem.* Sed hoc quaestionem non respicit nostram: ut proinde data solutio sit omnino certa et indiscutibilis.

Hoc posito, quaeritur praeterea, utrum Diaconus et Subdiaconus, neque Canonici neque Sacerdotes, debeant dicentes *Confiteor* consueta formula uti, nempe *Et tibi, pater,* atque *Et te, pater?*

Et respondemus etiam affirmative. Primo ex generali ratione, qua liturgicas immutare formulas prohibemur, nisi vel ipsa S. R. C. eiusmodi potestatem faciat, vel id eaedem Rubricae innuant. Et sapienter; quia tale arbitrium gravibus incommodis locum daret, uti perpendenti facile patebit. Secundo, quia *ly* **pater**, cum, vel quamdam superioritatis rationem importet, vel quasi ipsius auctoritatem Ecclesiae, cuius nomine fit confessio, vel etiam quia Diaconus repraesentat Celebrantem, optimo quoque iure alii, qui Sacerdotio caret, potest competere. Tertio denique, quia negotium implicite quodammodo est definitum. Namque minus profecto *ly* **pater** Diacono, utpote viro, dedeceret, quam Moniali, utpote feminae. Atqui S. R. C. declarat, Moniali haud *tibi Soror* esse dicendum, vel *te Soror, tibi mater* aut *te mater*, sed *tibi pater*, et *te pater etc.*

Ergo a fortiori etiam Subdiacono *tibi pater* dicendum est, et *te pater*, et non aliter. Consequenter cum S. R. Congregatione optimo iure concludimus: " Confessionem fieri debere, prout iacet in Breviario (*Breviarii Romani 18 Aug. 1629*) „.

Tertio denique inquiritur, quomodo lex Caeremonialis Episcoporum componi debeat cum iis, quae S. R. C. docet. Illa enim dicit: " Faciet confessionem (*Episcopus*) cum Celebrante: qua finita, revertitur ad suam sedem (*Lib. II, cap. XVIII, n. 15*)„. Haec vero ait: " Dicto per Episcopum ℣. *Indulgentiam etc.* Celebrans retrahit se, confessionem perficiens cum Diacono et Subdiacono: Episcopus vero stans in eodem loco confessionem absolvit cum Diaconibus assistentibus (*Olomucen. 5 Mart. 1870 ad VIII*) „.

Responsio facilis, quantum videmus, si de reditu ageretur Episcopi ad thronum post absoluta confessione, tam enim Caeremoniale, quam decretum, idem dicunt. Sed vere illud aliquid tacet quod clarius istud explicat; explicat nempe decretum, confessionem cum Celebrante faciendam ab Episcopo usque ad *Indulgentiam*, reliqua cum Diaconibus illi absolvenda esse: post quae ad thronum redire debet Episcopus, ut ipsum Caeremoniale dicit. Quaestio ergo ad hoc reducitur: Caeremoniale vult, confessionem ab Episcopo absolvendam cum Celebrante: decretum vero, illam absolvendam cum Diaconibus assistentibus: quomodo utraque lex componitur?

Respondemus, hoc vere aliquid praeseferre difficultatis, ut auctores inter se non conveniant: iuxta quod sentimus ratiocinabimur, et propositam solvemus difficultatem. Imprimis supponimus, et Caeremoniali adhaerendum, quod iubet, nonnisi post confessione cum Celebrante absoluta, ire ad thronum Episcopum;

et decretum servandum, quod iubet Episcopo confessionem cum Celebrante faciendam usque ad *Indulgentiam* inclusive, reliqua cum assistentibus Diaconis. Cl. Martinuccius utramque componit legem, dicens, confessionem esse completam ad *Indulgentiam*, etenim reliqua *respiciunt specialiter Celebrantem in introitu ad altare* (*Lib. V, cap. XIII, n. 40 in nota*). At credimus, illum fefellisse opinionem suam ; etenim, primo, integra pars Missae, quae ab initio in plano recitatur ab Introitu ad *Aufer* exclusive, communiter et ab omnibus *confessio* nuncupatur, quin partem ultimam post *Indulgentiam* separent. Secundo, psalmus *Iudica*, melius quam reliquae partes totius confessionis, respicit introitum ad altare. Nam in eo Sacerdos explicite dicit, se deduci in Tabernacula Domini, et, clarius, se introiturum ad altare Dei. Ergo ratio negotii componendi a Cl. Martinuccio allata, nulla videtur.

Magis nobis arridet, et iustior videtur cl. De Herdt sentiendi ratio, qui inter simplicem Celebrantem Sacerdotem distinguit, et Celebrantem usu Pontificalium gaudentem, seu pontificaliter rem sacram agentem. Adeo ut iste confessionem ad *Indulgentiam* usque, ille vero usque ad *Aufer* absolvere debeat; atque ita et lex Caeremonialis et decreta servantur. Nam Caeremoniale, De Herdt observat, de Praelato agit Pontificaliter celebrante: quo in casu retrahere se debet Celebrans ad *Indulgentiam*, quia manipulus ei imponitur (*Prax. Pontif. Lib. II, n. 145, 4.°*). Haec etiam in Urbe consuetudo, quando Emi Cardinales asassistunt Missis in eorum Titulis, quae per aliquem ex Episcopis celebrantur. Idem agendum docet Caeremoniale Marcelli, quod ex antiquis Ordinibus Romanis excerptum est, Caeremonias ritusque referens Pontificiae Cappellae. En quae ad rem faciunt textualia

verba: "Dicto per Pontificem *Indulgentiam etc.* Praelatus retrahit se, et a Subdiacono manipulum illi imponitur, cum quo et Diacono dicit, *Deus tu conversus etc.* usque ad finem (*Lib. 2, Ord. servand. quando cantat. Missa ordinar. coram Papa per Praelat.*). Huiusmodi autem caeremonia hodiedum in Pontificia Cappella fideliter servatur.

At si Sacerdos non celebrat pontificaliter, cum superius laudato De Herdt arbitramur, nullam adesse rationem, ob quam abrumpere confessionem Celebrans debeat ad *Indulgentiam*, et subsequentes preces cum ministris suis recitare, eo quod manipulo, more aliorum Celebrantium, indutus iam sit. Caeremoniale enim Episcoporum docet, tantum confessione finita, reverti Episcopum ad Sedem suam: cum autem de tali caeremonia nihil dicat, sequitur, ei confessionem explendam esse cum eodem Celebrante. Adde, *Memoriale Rituum*, cum de Missa agit, quam Mansionarius celebrat, ita se exprimere: "Episcopus facit INTEGRAM confessionem habens a sinistris celebrantem (*Fer. II, maior. hebdom. cap. 2, n. 3.*) „.

Re ita composita, et Caeremoniale explicatur, quocum concordat *Memoriale Rituum*, et illi decretum S. R. Congregationis non contradicit: secus negotium adeo confunditur, ut oppositio inter legem et legem vitari vix possit.

II. *Ex eodem loco.* **De benedictione domorum in maiori hebdomada.** Quum domus, ob aliquam rationem, feria tertia maioris hebdomadae benedicuntur, omitti ne debet "Gloria Patri „ post antiph. "Asperges me „ ?

Resp. Proposito dubio, sequens S. R. Congregationis responsum satis erit. Interrogata fuit S. R. Congregatio, num quando ob Paroeciae extensionem non possint in Sabbato Sancto Paschae, omnes fidelium domus

perlustrari aspergendo eas aqua fontis, valeat haec tam necessaria perlustratio anticipari iam inde a quarta Dominica Quadragesimae cum aqua de more solito benedicta? Respondit autem: " Benedictio domorum in casu *fieri nequit ante Sabbatum Sanctum*, poterit vero fieri durante hebdomada Octavae Paschae (*Isclana 30 Nov. 1885*) „.

III. *E Thracia.* **De cantionibus vulgari lingua in Missa.** Permitti ne possunt, aut saltem tolerari cantica, hymni, motteta in honorem B. M. V. aut Sanctorum, vel Mysteriorum tempore Missae, saltem lectae, vulgari in idiomate concenta?

Resp. Quod huiusmodi motteta, hymnos, cantica etc. infra Missarum solemnia, in vernaculo idiomate, omnino sint prohibita, neminem latere potest; nam S. R. Congregatio hoc super negotio expetita sub die 21 Iunii 1879 declaravit: " Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et Officiis liturgicis (*intellige saltem solemnibus*) non esse toleranda, sed omnino prohibenda; extra functiones liturgicas servetur consuetudo. „ Idem etiam iam inde ab anno 1639 sub die 12 Martii eadem S. R. Congregatio in una *Ariminen.* declaraverat. An vero cantica praedicta vulgari in idiomate, Missae lectae tempore, ita stricte sint prohibita, ut tolerari nequeant, haud evidens, in praesenti saltem (1), dicere possumus; cum, certa scientia sciamus pluribus in locis hanc consuetudinem huiusmodi motteta cantandi infra Missam lectam vigere, ipsa suprema auctoritate vidente et consentiente. Pariter certa scientia insuper scimus, hac super re S. R. Congregationis disciplinam aliquibus abhinc annis aliquantulum immutatam esse,

(1) Dicimus *in praesenti saltem*; ut si aliquid severiori sensu dictum alibi fuerit, iam mitiori sensu intelligi nunc possit.

ut in nova editione authentica Decretorum S. R. Congr. lucidius et clarius, fortasse, declarabitur. Potiori autem ratione dicta cantica, motteta etc. tolerari, imo et permitti possunt infra lectam Missam, ob aliquam specialem rationem, ut puta in prima puerorum communione etc.

Ex dictis pariter patet responsum tertio Rev. Inquirentis dubio, Benedictio enim cum Venerabili functio extraliturgica est; licet propterea, ubi talis vigeat consuetudo, cantica, hymnos, motteta vernaculo in idiomate canere infra talem functionem. Attente tamen advertas pro *infra*, intelligendum esse *ante, vel post* ipsum actum liturgicum benedictionis; nam positiva legis dispositio adest, in ipso Benedictionis actu, quemlibet cantum vetans, et altum servare silentium iubens, non obstante quacumque contraria consuetudine (*Decret. S. R. C. in Caputaquen. 9. Febr. 1762, n. 4159-4308*).

IV. *Ex eodem loco.* **De organorum sonitu in Missa privata**. 1.° In locis ubi Missa cantata non habetur, in ea Missa privata, quae locum cantatae tenet, pulsari ne possunt organa? 2.° Quaenam, si affirmative, regula, quoad tempus ea pulsandi sequenda est?

Resp. I. Nulla positiva lex, quantum nobis constat, nullumque Rubricae praeceptum, tali in Missa organorum sonitum vetat. Imo praxis universalis etiam Romae vigens fert, ut ubi commode fieri possit, organorum sonitus non omittatur, utpote non parum conveniens laetitiae et solemnitati, diei festi propriae. 2. Ad secundum similiter respondemus: Cum Codices liturgici circa huiusmodi sonitum in Missis privatis sileant, consequens est, ut nihil positivi vel praeceptivi habeatur circa organa pulsandi tempus. Attamen haud parum conveniens et rationabile esset, ut etiam

in istis Missis observarentur regulae, quae organorum sonitum dirigunt in Missa solemni. Scilicet ut organa taceant quoties a Sacerdote clara voce aliquid dicendum venit. Ad quid enim Ecclesia praecipit ut aliqua elata et clara voce in Missa dicantur, nisi ut fideles quae dicuntur intelligant, ac ita Sacerdoti coniuncti, cum eo orent, atque auditione Verbi Dei instruantur?

At, haec sapiens Ecclesiae dispositio, absque dubio frustraretur si organa per totum Missae spatium pulsarentur. Arroges, hanc esse consuetudinem pluribus in locis, scientia liturgica non parum conspicuis, vigentem.

Nota 1. Officium Passionis, quod populus in Ecclesia canit, de quo in alio dubio eiusdem Inquirentis, vetari non posse, arbitramur; cum de functione extraliturgica agatur, quae rite facta, devotionem certo fovere ac nutrire potest, nec legi opponitur.

Nota 2. Dubio ex Aesio circa nonam lectionem Simplicis in Vigilia Pentecostes, respondere non possumus. Patientia est opus cum res pendeat; et opportuniori tempore aequa solutio habebitur.

V. *Ex eodem loco.* **De commemoratione occurrentis Sancti, Feria V Maioris Hebdomadae.** In Vesperis feriae IV Maioris Hebdomadae fierine potest commemoratio de Sancto aliquo feria V occurrente, de quo tamen nihil ea feria fieri debet ob ritum duplicem 1.ae classis, quo ipsa gaudet?

Resp. Negative. Pars maior trahit ad se minorem. Cumque pars maior officii omittenda sit etiam alia minor omitti debet. Insuper ex eo ius ad commemorationem in primis Vesperis aliquis Sanctus habet, quod de eo festum fit. Atqui in casu festum omittitur. Ergo.

Nota 1. Benedictio Campanarum revera vulgo *Bap-*

tisma appellari: nomen quidem, quod ecclesia non adhibet, sed tantum aequo animo patitur, ut aliorum fidei et simplicitati indulgeat (*Vid. Ben. XIV, Instit. 47*, §. *4*). Hinc potissimum aliquae caeremoniae, nec non et patrinus et matrina, a Pontificali non praescripti, dimanarunt.

Nota 2. Ad dubium quod attinet e Thracia circa organorum sonitum in Missis de tempore Adventus et Quadragesimae, antiquum Caeremoniale et reformatum illum prohibet in Dominicis: antiquum, etiam in feriis, in quibus tamen reformatum videtur permittere, sicut et in Missis defunctorum cum musica (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 2, et 13*): Ulteriores declarationes inopportunae nobis apparent in praesenti, ut consultius iudicemus nihil dictis adiungere.

VI. *E Campania in Galliis.* **De variis dubiis circa officium Titularis, a Rectore duarum paroeciarum dicendum.**

Resp. Dubia exponere praeterimus, quae tamen ex responsionibus facile Rev. Inquirens et reliqui inlelligent. 1. Certum est, Sacerdotem duarum habentem curam Paroeciarum, ad utriusque Paroeciae Titularis officium teneri, cum utraque Paroecia sit sua. Definitum cetero est in *Collen.* (*5 Iul. 1698 ad 6*) pro duabus Ecclesiis unitis; ergo a fortiori, si sint divisae. De ritus qualitate non potest oriri dubium, agitur enim de Patronis; erit ergo duplex 1 cl. cum octava pro utroque. 2. Utraque Ecclesia suum calendarium habebit, hoc est, saltem ex commodo, eiusdem calendarii utraque habebit exemplar, dummodo in utroque respectiva sint festa vel officia Ecclesiae propria, uti Titularis, Patroni loci si fiat, Sanctorum quorum asservantur Reliquiae insignes etc. At sicut una Ecclesia non est altera, ita neque unus Titularis

est alius: ut proinde quando Titularis, in una occurrens celebratur, nullo pacto debeat in alia recoli. 3. Quando alterutrius Paroeciae Titulus occurrit, de hoc recitabit officium, cui in eadem Paroecia conformabit Missam. In alia vero Ecclesia se geret uti eius Parochus, est enim; et Missam celebrabit officio conformem ipsiusmet Ecclesiae suae. 4. Hoc autem in casu arbitramur, eum ad nullam commemorationem teneri, nisi ad calendarium pertineat Ecclesiae in qua celebrat: sicut diversus Parochus, si adesset, nullam de alio calendario commemorationem ageret. Quamvis enim ipse sit unus, duas repraesentat personas, ex quibus una ad unam, altera ad alteram pertinet Paroeciam: atque ita se geret in casibus similibus. 5. Numquam Parochus ad duo tenetur officia, quemadmodum nec ad binandum teneretur, nisi ratio adesset audiendi Missam in populo.

VII. *E Dioecesi Veronensi.* **De translatione officii duplicis min.** Faciendane est translatio S. Gabrielis Arch. in die sua impediti, ubi sub ritu dup. min. agitur?

Resp. Negative, nisi forte, quod difficile intellectu est, et nescimus, privilegio translationis gauderet. Lex enim Rubricae de duplicibus min. amplius non transferendis abunde nota est, nullamque constat pro Angelis exceptionem pati.

VIII. *Ex eodem loco.* **De occurrentia quorumdam festorum.** Communitas quaedam Regularis, quae in omnibus quae officium respiciunt, conformare se debet calendario dioecesis, ubi moratur, festum recolit SS. Cordis B. M. V. Dominica post octavam Assumptionis, ut in ipsa dioecesi, sub ritu dup. mai. At, ex privilegio, Dominica postrema Augusti recolere debet festum B. M. V. *de Salute* ritu dup. 2 cl. Iam nunc, cum mensi Augusto quinque sunt hebdomadae, res

benevertit: sed cum quatuor eidem mensi hebdomadae sunt tantum, quid agendum? Hoc enim in casu eadem in Dominica celebrari debet SS. Cor Virginis utpote post octavam Assumptionis, et simul B. M. V. *de Salute*, utpote ultima mensis.

Resp. En incommoda, quae oriuntur ex iudicii defectus abundantia in iis, qui et petunt huiusmodi festa ex devotione, et assignant. Ex quo etiam fit, ut S. R. C. innocens decipiatur, quae forte eiusmodi festa, si perspectae res essent, non concederet. Quidquid sit, respondemus, utrumque ex dictis festis esse Dominicae affixum, et particulare; ergo, aut habetur aut non, translationis indultum. Si alterum, quaestio finita est, et cum vera detur inter utrumque occurrentia, B. V. *de Salute* facienda est, utpote potioris ritus, et aliud eiusdem subiecti festum neque commemorandum est. Si primum, iterum videndum, an privilegium ferat translationem in aliam primam Dominicam liberam festo saltem aequalis ritus et dignitatis, an in aliam primam diem quamcumque non impeditam. In primo casu et altero transferatur SS. Cor iuxta privilegium, et fiat de B. M. V. *de Salute*. Notandum autem, festum SS. Cordis Deiparae non posse proprio marte transferri perpetuo, seu assignari in prima die libera, quia occurrentia non est perpetua.

Nota pro altero dubio: translatis festis, quae assignanda sunt, Patrocinii S. Ioseph et S. Philippi Neri, satis credimus probabilius, illud esse huic praeferendum ratione dignitatis, neglecta primarii et secundarii ratione: quae adeo impraesenti claudicat, ut proxima ei propemodum mors immineat.

IX. *E Syracusis.* **De concurrentia inter S. Barnabam et S. Georgium.** Concurrentibus SS. Barnaba et

Georgio translatis, nonne Vesperae dimidiandae in paritate ritus?

Resp. Ita credimus ex allegato momento, quod S. Barnabae, Apostolatus ratio severiori sensu non competat.

X. *Ex eodem loco.* **De ultimo Vale defuncti cadaveri.** Quid ultimum *vale* constituat dicendum defuncto?

Resp. Ius exigit, ut Parochus defuncti comitetur cadaver usque ad ianuam Ecclesiae, in qua aut tumulari deberet, aut officia exequialia sunt peragenda: quod pluribus decretis statutum est. Ad huius Ecclesiae fores sistere debet, ubi nihilominus consuetas preces Parochus recitare super defuncto non potest ex decreto in *Camerinen.* (*1 Sept. 1708*). Ex alio autem eiusdem nominis decreto (*17 Sept. 1750 ad 2*), ibidem debet *ultimum Vale defuncto dare*, utique aspergendo, ait De Herdt, plura decreta, et Martinucci autoritatem citans (*Pars 4, n. 227*). Est ergo ultimum *vale*, aspersio defuncti per eius Parochum, ad fores Ecclesiae in casu agenda, nec nisi per abusum ad portas civitatis.

Ultimum praeterimus dubium, quod resolvi fortasse non potest sine auctoritate legis. Ius enim deferendi stolam Parochi est proprium; sed hoc in negotio consuetudines maximam vim habent. Insuper nescimus, utrum Parochus sit de gremio Capituli, quo in casu conventiones praehabitae inter utrumque, servandae essent etc.

Nota. In ultimo Ephemeridum numero (*pag. 279 in nota*) dictum est, orationes aliqua Indulgentia ditatas, etsi in aliam versae sint linguam, non amittere Indulgentiam, *modo alia id lex non vetet.* Hinc principium expositum, quod ex S. Ind. Congr. est, applicari, uti fecimus, non potest Officio parvo B. M. V. cuius recitatio latina lingua fieri debet, secus Indul-

gentia lucrifieri nequit *(S. C. Ind. 6 Maii 1887)*. Similiter notatum volumus, principium aliud generale ad pag. 289 (*Dub. XIV*) expositum circa commemorationem Sacramenti in Missa tantum solemnis Expositionis, non esse applicandum cum de processione agitur, quae Missam sequitur. Hinc optime ea fieri potest et debet in casu processionis, ita alia lege disponente (*Fanen. 6 Decem. 1663*) ; imo nec omittenda, si eadem processio accidentaliter omitti debeat : quod ex alio decreto constat (*Pisauren. 15 Maii 1819 ad 3*).

APPENDIX.

E S. CONC. CONGREGATIONE

MELEVITANA. Missae pro Populo

Die 9 Aprilis 1892.

Leopoldus Farrugia parochus ecclesiae oppidi Hompesch vulgo Casal Zabbar in dioecesi Melevitana, S. C. exposuit « in sua « paroecia, nullum de clero praeter ipsum parochum, qui ratione « beneficii ecclesiae suae inservire tenetur, stricte addictum esse. « Tamen diebus dominicis et festis de praecepto duas ibi missas, « prouti in Collegiatis ecclesiis mos est, celebrari solere, quarum « prima summo mane lecta et absque ulla pompa, in qua fit expli- « catio S. Evangelii et cum applicatione pro populo ; altera vero « die iam facto quae, cantata hora tertia, postea decantatur so- « lemnis, cum ministris, interventu cleri etc., et haec missa paro- « chialis appellatur, uti conventualis in Collegiatis.

« Praeterea in dicta paroecia in nonnullis festivitatibus so- « lemnioribus, pro celebratione dictae missae parochialis solemnis « nonnulla adesse legata, quae vel ideo instituta verosimilius « fuere, ne celebrationes harum solemnitatum ex defectu cleri « intermitterentur. Et re quidem vera in diebus 2ae et 3ae festi- « vitatum tam Paschatis quam Pentecostes, quamquam hae sint « ex solemnioribus, tamen ante fundationem factam, nulla missa « cantata solemnis celebrabatur, et praeterea Ordinarii in Sacris « Visitationibus pluries mandarunt ut clerus ad functiones inter-

« terveniat, sed sub poena tantum privationis emolumentorum, « quae vulgo *communia* dicitur, pro hebdomada immediate se- « quenti. »

His vero aliisque praemissis, commemorabat quod licet « missa « pro populo onus sit reale et personale, tamen Benedictus XIV « in Const. *Cum semper*, nonnullos casus exceptionales statuit, in « quibus sufficit ut missa pro populo ab alio celebretur, quorum « casuum unus est ille quando parochus est etiam canonicus. » Hinc petebat:

« I. An casus exceptionalis pro canonicis parochis, applicari « etiam possit pro parocho simplici, ita ut legitime fundatione « accepta, possit parochus ut dignior celebrare missam cantatam « solemnem in similibus festivitatibus, et substituere sibi alium « pro missa pro populo.

« II. Et quatenus negative, an possit celebrare missam can- « tatam solemnem cum applicatione pro populo, et substituere « alium pro intentione legati.

« III. Et quatenus negative ad utrumque, humillime postulat « pro gratia speciali in maioribus festivitatibus et in missis quae « habent benedictionem aliquam adnexam, ut sic decor functio- « num servetur ».

Episcopus, ceu de more rogatus, retulit « revera praxim im- « memorabilem esse hac in dioecesi Missam conventualem canta- « tam in parochialibus ecclesiis singulis anni Dominicis et Festis « celebrandi, praeter illam a Parocho in aurora dicendam, et in « qua Evangelium explicat », attamen ex causis inferius exponendis opinatus est haud rationem inde erui, ob quam parochus possit hisce festis diebus vel in celebratione missae pro populo sibi alium substituere, vel applicationem commutare. Verum petitioni tertio loco expressae votum suum favorabile adiecit. —

Itaque quoad primum dubium, certum est, quod etsi parochi per seipsos missam pro populo sibi commisso celebrare teneantur, nihilominus haec iuris dispositio urgere desinit, si iusta causa concurrat. Revera in Mechlinien. *25 Septembris 1847*, cum a S. C. quaesitum fuisset sub num. 3°: « *An parochi ipsi SS. Missae « sacrificium pro populo offerre debeant si legitima causa non « impediantur, an vero per alium ex. gr. sacellanum aut presby- « terum advenam, huic officio satisfacere possint;* » rescriptum fuit: « *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, ex- « cepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica* ». Quod pariter definitum fuerat in Viterbien. *3 Martii 1708 ad 2. dub.* in Comen. *2 Maii 1720*, in Sylvae Ducis *diei 11 Martii 1843*, ac recenter in Policastren. *14 Decembris 1872 ad 3.um dub.* Tota igitur quaestio ad id coarctari posse videretur, num causa ab

archipresbytero Farrugia allata inter canonicas sit accensenda. Porro ut ipse innuit, in celebri Constitutione *Cum semper oblatas* § *17*, Benedictus XIV iussit ut qui praeter munus canonici vel beneficiarii, in eadem vel in alia ecclesia curam parochialem exercent, debeant missam conventualem pro ecclesiae benefactoribus in genere applicare, atque alterum substituere qui ea ipsa die pro populo missam celebret et applicet. Haec vero et in themate, cum pariter agatur de missa conventuali vim exerere forsan dicendum esset, nec omnino absonum videretur legis principium invocare, quod « ubi eadem est ratio, eadem debeat esse iuris dispositio ». Insuper animadvertendum est, quod licet missarum solemnium celebratio inter iura parochialia minime connumeretur, tamen ex De Luca *De parochis disc. 30*, nec non ex pluribus S. H. C. resolutionibus erui, eam ad parochum spectare, quatenus ille sit rector ecclesiae. Mantuana *Iurium parochialium 3 Iulii 1676*, Nullius seu Nonantulana *17 Februarii 1685*, Bononien. *17 Novembris 1691*, Regien. *5 Augusti 1719* etc. Unde argui posset, quod sicut parochi alium in applicatione missae pro populo substituere valent ut onera sui canonicatus vel beneficii adimpleant, ita prohiberi nequeunt ab eadem subrogatione, quoties munera rectori ecclesiae competentia exercere velint.

His accedit quod obligatio missae pro populo verbis Tridentini *Sess. 23 cap. 1 De reform.* praecipue innititur, ubi divino praecepto mandatum esse apparet « omnibus quibus animarum « cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium « offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum admini- « stratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, paupe- « rum aliarumque miserabilium personarum curam paternam ge- « rere, et in cetera munia pastoralia incumbere. » Iamvero cum hae officii parochialis partes una simul ibi describantur ac quasi eiusdem naturae et ordinis enuntientur, consequeretur earum singulas eodem prorsus modo quoad executionem urgere. Aequiparatorum enim eadem est ratio et disciplina, vulgatis iuribus; De Luca *De emphit. disc. 50 n. 7 in fin.* Rota *Iuris honorifici super petit. 24 Martii 1702* § *Quapropter cor. Molines.* Ast inficiandum haud videretur, munia de quibus Tridentinum loquitur quamvis parochi personam indubie onerent, exequi ab eo posse modo per seipsum, modo per substitutum, ut quotidiana praxis ostendit. Quare omnino respuenda non esset, saltem in themate, sententia Cavalerii, qui *Tom. 3 op. lit. cap. 8. ad decr. 15 n. 3.* tenet « ne- « cessarium non esse tam scrupulose in hac re parochos progredi, « sed levi etiam de causa non infrequenter supplere posse ».

Quod si his minime obstantibus, EE. PP. decernere placeat ut parochus loci Casal Zabbar in celebratione missae pro populo

alterius ministerio non utatur, illi forsan deneganda non esset facultas applicationem commutandi, de qua in secundo dubio agitur. Sane exploratum est, iuxta ea quae tradit S. Alphonsus *tract. 13 De sacram. Euch. lib. 6 num. 321*, permutationem missarum licitam esse, dummodo omne damnabile lucrum removeatur; hancque sententiam esse S. V. O. idem S. Doctor refert. Nec obiiciendum esset petitae commutationi voluntatem piorum fundatorum obstare. Nam si, ut parochus retulit, legata huiusmodi ideo instituta verisimilius « fuere, ne celebrationes harum solemnitatum ex defectu cleri intermitterentur: » dummodo celebratio non deficiat, pia dispositio semper finem volitum assequeretur. Praeterea observari etiam posset, missam cum cantu haud uberiorem prae lecta animabus defunctorum fructum afferre, ideoque nec iustitiae laesionem forsan inde esse timendam. Quin imo, cum sacrae functionis decor ob parochi ministerium augeretur et frequentior etiam populus ita ad missam solemnem conveniret, tenendum esset, huiusmodi permutatione testatorum voluntatem plenius finem obtinere.

Ceterum si rigor iuris haec omnia posthabenda suaderet, expostulat archipresbyter ut sibi venia celebrandi missam solemnem in maioribus anni festivitatibus et quoties aliqua benedictio missae adnexa sit, ex peculiari indulto tribuatur. Haud ille indigitat num id peragere cupiat substituendo alium pro missa pro populo vel applicationem permutando; ast si excipiantur preces, rationem omnem EE. VV. decernent. Quoad gratiae vero opportunitatem scribit Episcopus: « In maioribus autem solemnitatibus, opinor, « concedendam esse oratori facultatem, solemnem missam conven- « tualem per seipsum dicendi, maxime dum benedictio aliqua missae « adnexa sit. Nam, cum parocho utpote ecclesiae rectori spectet, « praedictis in solemnitatibus Vesperas et Matutinum decantare, « haud parum conveniens videtur, ut et missam conventualem ipse « dicat. — Ita etiam, quamquam benedictiones candelarum, cine- « rum, palmarumque stricti iuris parochialis minime sint, iuxta « S. R. Congregationis decisionem, sub die 12 Ianuarii 1704, in « nostro tamen casu parochi est veluti rectoris ecclesiae, in qua « fieri solent, tales functiones peragere ».

Contra tamen plura animadvertenda veniunt. Atque in primis extra omnem dubitationis aleam positum est obligationem, qua parochi devinciuntur sacrum pro populo litandi, esse personalem. « Omnes dies dominicos et festivos per hebdomadam.... tenetur parochus celebrare per seipsum, nisi ex iusta causa impeditus reperiatur, » ait Pitonius *Disc. Eccl. 142, n. 15*. Cui plures S. H. C. decisiones adstipulantur, et praesertim Fesulana *diei 16 Iunii 1770 et 26 Ianuarii 1771*, (de qua inferius) Castri Albi *diei 18 Iulii 1789*, Tiburtina *Applicationis Missae pro populo diei 21*

Novembris 1801 et recenter Claromonten. proposita inter supplices libellos *diei 9 Aprilis 1881.* Ex quibus praeterea eruitur non qualemcumque causam sufficere ut parochus sacri applicationem alteri committere valeat, sed requiri causas canonicas, ac tantum excipi casus verae necessitatis. Neque contra haec argumentum sumi posset ex *cap. 1 de Reform. Sess. 23.* Concilii Tridentini in quo pastoralia munia simul enumerantur, eo quia onus sacrificium pro populo offerendi ex officio mediatoris inter Deum et gregem sibi commissum, de quo Apostolus *cap. V ad Hebr.*, ut Doctores unanimes tradunt promanat. Hoc autem interest inter applicationem missae pro populo et cetera munia parochialia, ut in his, scilicet praedicatione et Sacramentorum administratione satis sit ut populus effectum consequatur, sive illa munera per parochum sive per alios exerceantur; in oblatione vero sacrificii, nedum spectetur effectus, sed implendum quoque est mediatoris munus, quod per alios adimpleri non potest. Sanchez *in select. de Sacr. disp. 47.* Pasqualigo *De Sacr. Missae tom. 2 quaest. 855* etc.

Iamvero his positis, causa ab archipresbytero Farrugia allata neque canonica dici posse, neque veram ostendere necessitatem videretur. Audiatur sane Melevitanus Episcopus: « Non est dubium quin, dum legitime est impeditus, parochus alteri missam « pro populo committere possit: ita sane S. R. Congregatio sub « die 22 Iulii 1848 respondit. Attamen Missa Conventualis, quae « singulis anni Dominicis et Festis in Parochialibus huius Dioecesis « Ecclesiis celebratur, minime causa legitima mihi videtur, ob « quam liceat Parocho, alteri Missam pro populo committere, ut « talem Missam Conventualem ipse dicat. Neque enim Episcopalia « decreta, talem praxim confirmantia neque legati fundatio, in « Parochi recursu memorata, ut Missam Conventualem praedictis « in diebus a Parocho celebretur, praescribunt: et huiusmodi sunt « obligationes, ut per alium, maxime per Vice-parochum, ut cae« teris omnibus Dioecesis Ecclesiis mos est, bene eis satisfiat. Ce« terum Parochus ad Missam pro populo per semetipsum dicen« dam a sacris canonibus adstringitur.

« Insuper S. C. Congregatio — In Fesulana *18 Iun. 1770 et « 26 Ian. 1771*, ad dubia: I. *An Parochi Dominicis aliisque festis « diebus, praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto « et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in « casu: Et quatenus negative :* II. *An saltem applicationi Missae « pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu*, re« spondit: ad I. et II. *Negative.* Nunc, si missae celebratio in exe« quiis parochiani praesente cadavere, pro Parocho haud legitima « causa est, ut ab alio se sufficere valeat in Missae pro populo « celebratione, multo minus suffectus esse poterit, mea sententia,

« in Missae Conventualis celebratione, singulis anni Dominicis et « Festis.

« Neque exemplum Parochi Canonici adducatur, qui Missam « Conventualem die festo celebrans, potest Missam pro populo « alteri committere. Nam, cum principalis istorum obligatio sit ea, « quam eis canonicalis pensio imponit, cum qualitas Parochi acces- « sorie tantum ad Canonicatum se habeat, Missae Conventualis cele- « bratio in ordine vicis suae, iuxta sacros canones legitima causa « est Canonico Curato, ut in Missae pro populo celebratione ab « alio se sufficere valeat. At idem minime de Parocho dici valet, « cum principale munus, illud sit, quod ei Parochi officium im- « ponit, et in casu Missae celebrationem pro populo ».

His praeterea addi posset, missam solemnem quae in paroeciis diocesis Melevitanae diebus festis celebrari solet, quamvis sub nomine conventualis ibi veniat, haud tamen revera talem esse. Scitum namque est, ex Constitutione Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, id substantialiter proprium esse missae conventualis, ut pro benefactoribus in genere, non vero specialiter applicetur; quod haud locum habet in paroecia Casal Zabbar, ut missae illae pro peculiaris legati implemento plerumque celebrentur. His accedit quod missa conventualis cum sit onus capitularium ecclesiarum tantum, adesse nequit in ecclesiis quae collegialitatis titulo carent, ut tenuit S. C in Montisfalisci *12 Februarii 1718*, in Praenestina *17 Aprilis 1779*, in Nullius Sublacen. *7 Iulii 1781* etc.

Quod vero attinet applicationum permutationem, licet quandoque non sit improbanda, non tamen idcirco pro lubito fieri posse videretur, praesertim si voluntati piorum testatorum sit derogandum. Id enim in utroque iure solemne est ut supremae voluntates ad unguem impleantur, cum publice expediat inania non fieri mortuorum iudicia, ut ait Rota *decis. 153, n. 5 cor. Riminaldo*. Neque facili negotio admittendum est discrimen nullum interesse inter missam quae legitur et missam cum cantu celebratam; nam, ut scribit Fagnanus *Cap. Cum creatura. De celebr. Miss. n. 9.* « plus suffragii capit anima defuncti ex missa solemni in choro cum interventu plurium sacerdotum, quam ex missa privata ». Unde iure Praesul concludere videtur: « rationem non video, ob quam fun- « dator, qui in dictis diebus Missam cantatam reliquerit, lectam e « contra habere debeat, ut commodum Parocho det muneri rigorosi « iuris satisfaciendi, dum praefata missa ab alio Sacerdote, ut su- « pra dicebatur, dici potest. Quapropter et ad secundum quaesi- « tum, mihi videtur, respondendum est *negative* ».

Haec omnia vero quae hactenus retuli, dum insufficientiam rationum ab archipresbytero adductarum demonstrant, profecto et gratiae ad quam tandem confugit obstare viderentur. At cum haec

a benignitate EE. VV. omnino dependeat, satius erit ut ab ulterioribus verbis abstineam. Quod praxim attinet, recolere praestat Celimonten. propositam in Congregatione diei 9 Aprilis 1891. In ea dioecesi cum missa pro populo singulis diebus festis cum cantu celebrari soleret, mos invaluerat ut parochus pluribus distentus curis frequenter huiusmodi munus alteri sacerdoti demandaret. Verum roganti Episcopo: 1° Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens ut parochus alii committat missam pro populo loco ipsius celebrandam; 2° Posito quod non sit causa sufficiens, ut pro gratia nihilominus concedatur facultas: S. C. rescripsit: Ad 1^{um} *Negative*. Ad 2^{um} *Non expedire*.

Ceterum erit EE. PP. rem definire, quibus idcirco proponuntur

DUBIA

I. *An parochus loci Casal Zabbar in festivitatibus in quibus missa solemnis celebranda est pro peculiaris legati implemento, possit alteri sacerdoti missam pro populo committere in casu.*

Et quatenus negative

II. *An iisdem diebus possit celebrare missam solemnem cum applicatione pro populo, et alium substituere pro intentione legati*.

Et quatenus negative

III. *An, et quomodo eius preces excipiendae sint in casu.*

Resp. Ad 1.^{um} et 2.^{um} Negative..

Ad 3^{um} Affirmative, iuxta votum Episcopi.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

I.

1. Pars, quae in Missae officio, uti in praesenti, ita in primaeva antiquitate cantari consuevit, est *Introitus.* Ita latino ritu pars ista nuncupatur, ambrosiano vero *Ingressa* dicitur, a divo Gregorio *Antiphona,* et ab omnibus fere Ordinibus Romanis, scriptoribusque antiquis, *Antiphona ad Introitum,* ab Ordine tamen Romano quinto, *Invitatorium.*

2. Hoc Introitus et Ingressa nomine sapienter appellata pars ista fuit Officii Missae, quod tunc canebatur, cum Sacerdos procedebat ad altare (1). Hinc Anonimi vetus *Expositio totius Missae ex concordia scripturarum divinarum,* quae extat in Ordine Romano scripto exarato Vallicellano (*Not. D. 5*) quaeritur: " Introitus Missae quare dicitur? „ Et responsum praebet:

(1) Iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam canendus non est Introitus, nisi cum Sacerdos ad infimum gradum altaris pervenerit: tum *cessat sonitus Organorum, et chorus incipit introitum.* Ita lex disponit Caeremonialis Episcoporum (*Lib. II, Cap. VIII, n. 30*). Confirmatur Decreto *Conimbricen.* Canonicos non posse Introitum incipere, *priusquam Sacerdos ad altare pervenerit (14 Apr. 1753, ad 7*).

" Eo quod per eum introitur ad eius officium. Quod si minus quidem usitate sub Invitatorii nomine quandoque venit, ideo fuit, animadvertit Amalarius (*Lib. 3 cap. 5*), quia cantorum dulcis vox huic operi (*decantandi scilicet Introitus*) dedita est, ut sua dulcedine idonea sit hortari populum ad confitendum Deo. „ Antiphona autem nuncupabatur, ut ostenderetur genus modusque modulationis, quibus sit concinenda. Hoc est duobus alternatim psallentibus (*choris*) ordine commutato, sive de uno ad unum: quod genus psallendi Graeci invenisse traduntur. Antiphona enim, uti notum est, vox reciproca vel adversa intelligitur, eo modo quo Anthomologesis accipitur pro ea reciproca laudis confessione, quam saepius canenti choro Levitarum coetus plebis succinebat, dicens: *Quoniam in aeternum misericordia eius* (1).

3. Saeculo quarto incipiente, originem habuit Introitus cantus in Missa a Sancto Caelestino Pontifice primo, ut communiter creditur. Auctor enim Libri Pontificalis in vita illius scribit: " Hic constituit, ut CL psalmi David ante Sacrificium psallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur Epistolae Pauli, et S. Evangelium „. Animadvertit tamen Emus Bona, huiusmodi textus intelligentiam quid obscuri praeseferre; vix enim intelligitur, quomodo centum quinquaginta psalmos cani ante Missam poterant. Hinc illius adnotator Sala (*not. 4*) ex Luca Hobstenio tenet, nunquam integrum Davidis

(1) Plorandum sane, ita tristissima aetate nostra, quibusdam in templis, primam hanc Missae partem decantari, ut irrequietum potius tibi appareat audire gregem sibi invicem adversantem: quonam effectu dicant qui audiunt.

psalterium fuisse ante Missam decantatum, sed unius tantum psalmi partem (*Lib. II, cap. III, § I*). Praefatus nihilominus Emus, Honorio potiusquam Amalario fidem adhibens, tenet, Caelestinum Papam alternatim cantum psalmorum statuisse, Gregorium vero magnum unam postea ex illis antiphonam pro Introitu selegisse. Idem sentit cl. Martene ex auctoritate Honorii (*Gem. anim. Lib. 1, cap. 87*), ac supracitati Libri Pontificalis, dicens: " Dum confessionem ad altare facit Sacerdos, chorus antiphonam ad *Introitum* dictam decantat (*Lib. I, cap. IV, art. III, n. I*). Additque, de psalmis, quos alternis choris modulando Caelestinus praescripsit, Graegorium Papam postea antiphonas ad Introitum Missae modulando composuisse (*Ib.*). Indubium ergo est, psalmorum, vel unius psalmi partis cantum nunquam ante Caelestinum fuisse adhibitum: ut pariter tamquam explorata res retineri possit, ab aetate Caelestini Introitus fuisse cantum invectum, cuius institutor fuit.

4. Introitum modulabantur cantores seu psalmistae (1). In Liturgia orientali Sancti Basilii ex vetustis codicibus latinae translationis descripta, legitur: " Et cantent cantores tres vel quatuor psalmos ". Exemplar Liturgiae S. Ioannis Chrysostomi dicuntur

(1) Arbitrandum non esse videtur, cantores seu psalmistas a tempore Caelestini Papae, multo minus antea, quid cecinisse in Ecclesiis, tamquam coetum a multitudine fidelium divisum. Vix enim sub initio saeculi sexti constat fuisse a Iustiniano (*an. 530*) statutum, ut clerici separatim et soli per se ipsos canerent, haud vero coniunctim cum laicis (*Cod. de Episc. et cler. § 10*). Tenendum itaque potius est, consuetudinem primaevam, ut totus caneret populus, sicut in aliis Missae partibus, ita in Introitu, nonnisi circa sextum saeculum incepisse.

tres in Missa antiphonas cantari: primo duo fiunt chori... Deinde postquam uterque chorus seorsim explevit se his deliciis, velut amore divino ebrii, unum chorum faciunt promiscuum. Hinc apud rerum ecclesiasticarum scriptores latinos, cantoribus vel choro indifferenter tribuitur officium istud decantandae antiphonae ad introitum, uti apud Amalarium (*Lib. III, cap. 5*), et Rabanum Maurum (*Lib. I, cap. 33 De Instit. clericor.*). Romae particularis extitit cantorum schola, cuius praecipui septem erant Subdiaconi (*Baron. ann. 1057*). Primus dicebatur *Primicerius,* alter *Secundicerius,* tum tertius et quartus scholae, qui et *Archiparaphonista* vocabatur (*Cari, De Antiph. ad Introit.*). Cl. Martene Ecclesiae Romanae consuetudinem referens, scribit: " Praeparato autem et ornato sacris vestibus Celebrante eiusque ministris, antiquus in Ecclesia Romana mos fuit, ut Praecentor stans ante faciem Pontificis, nutum eius ad psallendum expectaret; cumque ille annuisset, Praecentor ante fores secretarii egressus, ministris proclamabat: *Accendite;* accensisque luminibus, cantores antiphonam ad Introitum incipiebant (*Tom. 1, cap. IV, art. II, n. 1*).

5. Refert Amalarius, hos cantores indutos fuisse vestibus, quae communes erant aliis, qui in ecclesiasticis officiis deserviebant, hoc est, alba linea, et casula (*Lib. I, cap. 15*). Stantes erant et in binas classes seu choros discreti, obversis sibi invicem vultibus, aliis alii respondebant. Ordo enim Romanus secundus (*n. 3*) habet: " Statuuntur duae acies in choro per ordinem ab utroque latere, et mox incipit Prior scholae Antiphonam ad Introitum „. Et Durandus: " Unde clerici antiphonas cantantes non vertunt vultus ad altare sed se ad invicem versus vultibus respiciunt (*Lib. V, cap. II, n. 30*). Postquam Primicerius seu Prior

scholae antiphonam inceperat, statim elevabat planetam cum sinu. Ordo Romanus secundus (*n. 3*) ait: Incipit Prior scholae cantorum antiphonam ad Introitum: Subdiaconi vero de schola levant planetas cum sinu (1).

6. Antiphonam ad Introitum exequebantur modulando cantores eo in loco, qui chorus appellabatur, eratque prope altare, inter Sanctuarium videlicet et reliquam Ecclesiae aulam. Hunc peribolo (2) marmoreo, animadvertit Cari (*loc. cit.*), ad hominis altitudinem circumcinctum videre adhuc licet in Titulo S. Clementis: cuius etiam vestigia alibi apparent (3), dum veterum templorum ad unius gradus mensuram in quadrum editiora extant ante Sanctuarium. Antiquam Metropolitanam Ravennae Ecclesiam simili ditatam choro in Peribolo comprehensum, refert Fabri (*Le Sacr. Mem. di Ravenna antica*). Cantores itaque extra presbyterium manebant, sed intra chorum, atque in duas dividebantur classes. Historia Liturgiae, au-

---

(1) Elevare planetas cum sinu, ut arbitror, ait Cari (*loc. sup. cit.*), idem est ac retrahere planetam supra utrumque brachium, exertis manibus: ita tamen ut ante pectus sinus eiusdem planetae convolutus remaneat. Est enim sermo de planeta vetere, indumento amplo, rotundo, undique clauso, instar hodiernae cappae romanae amplae et rotundae, quam Cardinales et Canonici gestare solent.

(2) Antiquitus *Peribolus* appellabatur muri clausura, quae chorum Ecclesiae circumdabat, ubi ecclesiastici psallebant, quarum vestigia in nonnullis antiquis Ecclesiis adhuc extant. In primitiva Ecclesia *Peribolus*, id est paries, qui circuit chorum, non elevabatur, nisi usque ad apodiationem (*Macri ad verb.* Perivolium).

(3) Indubia res est, uti facile iis patebit, qui Ecclesias contemplare velint S. Caeciliae Mart. in Urbe, et S. Laurentii extra Urbis muros.

ctore Ferrigni-Pisone, ait, chorum fuisse situm in cappella, quae erat in medio prope Sanctuarii cancellos, ibique inferiores ministros cantorum munus obiisse (*Dissert. dell'orig. progr. e vicissit. della Sacr. Liturg.*). Sicut ergo Orientales in ambone antiphonas modulabantur, ita in choro Latini: quamvis et hi ambone, seu suggestu pro Epistola et Evangelio usi antiquitus fuerint.

7. Quomodo Introitum antiqui decantaverint, haud facile omni cum perspicuitate intellectu est. Graeci, uti ex Goario accipimus, bis illum canebant, ut eamdem, quam unus chorus partem decantaverat, alius repeteret (*Euchology. Graec. pag. 104*). Habebant autem primam, secundam ac tertiam antiphonam, ex quibus ultima veluti Invitatorii forma gaudet.

Apud Latinos certum est, ait Cari (*loc. sup. cit.*), antiphonam ad Introitum semper integram fuisse decantatam. Id tradunt vetusti Ordines Romani, cum absolute, Introitum cantandum dicunt ante psalmum. Utrum vero semel concenta vel etiam bis fuerit, ab uno videlicet et altero ex duobus choris, certo non constat. Animadvertendum nihilominus, antiphonam et Responsorium pro uno eodemque accipi ab Amalario (*Lib. 1, de Inst. Cleric. Cap. 33*), discrimine excepto, quod illam tota pars chori, istud vero unus ex cantoribus exequebatur. At pro indubio habetur, Responsoria bis fuisse decantata; ergo inferri potest, bis quoque fuisse decantatam Antiphonam Introitus. Ita praelaudatus Cari ratiocinatur (*loc. cit.*). Quod ceterum argui etiam potest ex ipso Antiphonae vocabulo, nisi dicamus partem unam ab uno, alteram eiusdem Introitus ab altero fuisse cantatam, quod et fieri potuit. Utcumque res se habeat, Antiphonarium S. Gregorii Papae, post integrum Introitum, qui inscribitur, sem-

per indicatur per prima Introitus iterum inscripta verba, ipsum esse iterum legendum, consequenter et decantandum. Quam consuetudinem universae retinuerunt Ecclesiae, ac postea demum lex Rubricalis statuit (1).

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI EXCALCEATORUM.

Rmus Pater Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum pro Hispania, Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Parochi Regulares in Philippinis Insulis Divinum Officium recitare teneantur iuxta Calendarium sui Ordinis?

(1) Praesens fert Ecclesiae disciplina, ut Introitus semel cantetur, si organa adhibeantur; lex enim generalis est, aliquarum partium Missae cantum, quae bis sunt dicendae, omitti posse, dummodo organis comitantibus legantur. Ita Decretum *Senen.* 22 Iun. 1848; at si organorum sonitus non habeatur, bis sunt sicut dicendae, ita et cantandae, sic eodem statuente Decreto. Cantui Introitus organa intermisceri posse lex silet, cum inter Missae partes, quas consociare Organa possunt, Introitum Caeremoniale Episcoporum non recenseat, neque ullum hac super re in authentica Gardelliniana Collectione Decretum extet. Nihilominus lauda-

Et quatenus Affirmative.

Dubium II. An Regulares recitare debeant Officium Sanctorum Titularium Ecclesiarum quibus praesunt uti Parochi etiamsi ea Officia ab Religiosis illius Provinciae non persolvantur?

Dubium III. An eiusmodi Officia Titularium recitari debeant a Parochis Regularibus sub ritu Duplicis primae classis cum octava; vel sufficiat ut ipsi Missam solemnem de Titulari Paroeciae celebrent?

Dubium IV. Quum a Sede Apostolica inde ab anno 1670 Insularum Philippinarum Patrona declarata fuerit Sancta Rosa Virgo Limana, quaeritur: an a Religiosis memorati Ordinis ibidem commorantibus Officium S. Rosae recitari debeat sub ritu Duplicis primae Classis, etsi in Calendario eiusdem Ordinis notetur festum ipsius Sanctae sub ritu duplici tantum minori?

Dubium V. Ab immemorabili tempore ab Alumnis Provinciae a S. Gregorio Magno nuncupatae Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum festum S. Petri de Alcantara recolitur sub Ritu Duplicis primae classis cum Octava, etsi in Calendario Ordinis adsignetur ritus Duplex secundae classis absque octava. Quaeritur: an Religiosi dictae Provinciae continuare possint in dictam consuetudinem; vel debeant sese conformare Ordinis Calendario?

---

bilis consuetudo in universis fere Ecclesiis invaluit, ut omnia quae in choro cantantur, si harmonicus adhibeatur cantus, vel mensura tantum musicali ordinatus, organorum sonitus comitetur. Hinc sequitur, ipsum organorum sonitum, si quidem periti fuerint organici, iure posse Cantum liturgicum comitari. Quod tamen intelligas, in iis tantum temporum adiunctis, in quibus organorum sonitus laetitia ex eadem Caeremonialis Episcoporum lege non prohibetur.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. et II. Affirmative, iuxta alias Decreta.

Ad III. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, saltem donec non constet de legitimitate privilegii. Atque ita rescripsit et declaravit die 13 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

II.

RHEMEN.

Ex Apostolico Indulto diei 28 Iunii 1889 in Archidioeceseos Rhemen. Ecclesiis, ubi feria sexta, quae prima occurrit in unoquoque mense, fiunt de mane pia exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu, Missa votiva de eodem Sacro Corde solet celebrari. Quum vero Sacra Rituum Congregagatio die 20 Maii 1890 rescripserit eiusmodi Missam celebrandam esse ritu, quo Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* atque unica Oratione celebrantur; hinc Rmus Vicarius Generalis Emi et Rmi Dñi Cardinalis Benedicti Mariae Langénieux Archiepiscopi Rhemen. eidem

Sacrae Congregationi sequens Dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum:

An haec verba *Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, ritu Missae votivae solemnis celebranda* intelligi queant etiam de Missa lecta, seu sine cantu?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, proposito Dubio rescribendum censuit: *Affirmative*. Atque ita rescripsit et declaravit die 20 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius*.

III.

CONGREGATIONIS

SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Rmus P. Nicolaus Mauron Congregationis Sanctissimi Redemptoris Superior Generalis et Rector Maior, Sacrae R. Congregationi sequens Dubium pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Sacra eadem Congregatio per Decretum datum sub die 30 Augusti anno 1883, Orationem et Lectiones historicas recitandas in festo S. Ioannis Damasceni Confessoris in usum Alumnorum Congregationis SSmi Redemptoris approbavit, atque in Proprio Religiosae Congregationis assignata fuit ab Apostolica Sede dies 13 Maii.

Quum vero per Decretum generale eiusdem Sacrae Congregationis diei 19 Augusti 1890, idem festum ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, addito S. Ioanni Damasceno titulo Doctoris, variisque immutationibus cum in Officio tum in Missa inductis, et assignata festo die 27 Martii; quaeritur: "An Alumni dictae Congregationis sequi teneantur posterius Decretum generale tum quoad Missam et Officium S. Ioannis Damasceni, tum etiam quoad diem pro Ecclesia universali memorato festo assignatam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet:

Ad primam partem Affirmative; ad secundam partem Negative in casu. Atque ita rescripsit, et declaravit die 20 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA PRAEF.
VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

IV.

VICENTINA.

Rev. hodiernus Prior Ecclesiae et Coenobii Beatae Mariae Virginis ad montem Bericum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis apud urbem Vicentiae, de consensu Rm̃i Dñi Episcopi Vicentini, sequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum: Quum ex publico civitatis Vicentiae et antiquissimo voto duae Processiones fiant ad praefatam Ecclesiam, quibus

Rmus Episcopus una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis, et Parochis stola decoratis, ceteroque Clero et Confraternitatibus interesse solet; mos est ut ad Ecclesiae ianuam Religiosa Familia Processionem excipiat, ac Prior superpelliceo stolaque indutus accedentibus porrigat aquam benedictam. Episcopo tamen ad limen templi pervento, Prior, stola deposita, ac praevio manus osculo, aspergillum tradit, ut Antistes populo benedicat.

Quaeritur 1. An liceat Superiori Regulari Ecclesiae in Monte Berico excipere ad ostium Processiones, indutus superpelliceo et stola?

2. An liceat Parochis, qui dictis Processionibus intersunt, Ecclesiam Beatae Mariae Virginis ad Montem Bericum ingredi cum stola?

3. Et quatenus Negative ad 1um et 2um, supplicibus et communibus votis expetitur, ut exposita consuetudo servari possit.

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis censuit rescribendum, videlicet: *Expositam consuetudinem servari posse.* Atque ita rescripsit die 20 Maii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius*

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 5, pag. 266*).

Quaeres 7. Utrum verbum DEINDE in Oratione *Dominus noster* omittendum vel dicendum?

Resp. Quaestio olim orta est ex eo, quod in quibusdam Ritualibus verbum DEINDE rubro charactere legebatur inscriptum, ac si Rubrica esset, uti in Rituali Romae edito typis S. Congr. de Propaganda Fide, an. 1847, et S. R. C. super hoc expetita, respondit tantum NIHIL ESSE INNOVANDUM (*Veronen. 11 Mart. 1837 ad V*). Cum tamen impraesenti hoc verbum in Rituali typico nigro charactere inscriptum sit, certe in forma Absolutionis, tamquam pars, minima licet, dicendum est.

Quaeres 8. Quid agendum Ministro dum verba Absolutionis profert?

Resp. Ad *Indulgentiam etc.* manum dexteram elevatam versus poenitentem tenet ad ultima usque essentialia verba *Ego te absolvo etc.*, dumque tres personas Trinitatis nominat, signo crucis poenitenti benedicit (*Rit. Rom., Tit. III, cap. 2, n. 2*).

Quaeres 9. Quid dexterae elevatio significet?

Resp. Dexterae elevatio in Ministro actum potestatis significat, suppletque manus impositionem, quae antiquitus fiebat super poenitentes (*V. Martene, Lib. I, cap. VI, art. V, et alibi*).

§ 3.

DE LOCO CONFESSIONIS ET HABITU CONFESSARII.

Quaeres 1. Ubi audiri confessiones debeant?

Resp. 1. Ordinarius confessionis locus est Ecclesia, non autem privata domus, nisi rationabili de causa (*Rit. Rom. Tit. III, cap. 1, n. 7*). Quod tamen de mulierum confessionibus peculiariter intelligendum est: quarum nempe confessiones, excepta infirmitatis causa, et tunc summa cum cautela, nonnisi in Ecclesia audiendae.

Resp. 2. In ipsa Ecclesia peculiares sedes esse debent pro confessionibus, maxime mulierum, audiendis; illaeque patenti, conspicuo, aptoque loco positae (*Rit. Rom., ib., n. 8*). Hoc autem antiquitati apprime respondet, in qua sedes quidem non habebantur confessionales, ad saeculum circiter XVI tantum ascendentes, sed elatiori loco et omnibus visibili confessiones Sacerdotes audiebant.

Inferes, virorum confessiones audiri quoque in sacrariis utpote Ecclesiis attiguis, ex laudabili consuetudine, iure posse, sicut et in Monasteriis domibusque Regularium, non vero mulierum, nisi ex aliqua incommodi, uti surditatis, causa, in solis sacrariis.

Quaeres 2. Quibus sacris indutus vestibus audire debet Sacerdos confessiones?

Resp. Sacerdos in confessionibus audiendis superpelliceo et stola esse debet indutus, quae sit violacei coloris (*Tit. III, cap. 1, n. 9*), uti omnino conveniens est in omnium administratione Sacramentorum.

Quaeres 3. An lex ista ritualis semper et ubique servanda?

Resp. Sacramentum poenitentiae, quandoque necessitatis, semper autem maximae est utilitatis, ut passim conferatur. Hinc Rituale, stola et superpelliceo praescriptis, addit, *prout tempus, vel locorum feret consuetudo* (*Loc. cit.*), vel: *nisi occasio vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat* (*Tit. I, n. 7*).

Itaque 1. In confessionibus, quae in sedibus poenitentialibus audiuntur, superpelliceum semper adhibendum a Presbyteris saecularibus, Regulares enim, sive monachi, sive non, ex privilegio Sanctae Sedis eo possunt non uti (1). 2. Stola in Sede confessionali, hoc est in Ecclesia, dum mulierum confessiones audiuntur, adhibenda est, nisi contraria vigeat consuetudo, iuxta Decretum *Ambianen.* (*31 Aug. 1867, Dub. III*). Etenim S. R. C. in una *Societatis SS. Sacramenti*

---

(1) Cl. De Herdt (*Pars 6, n. 171*) refert Catalanum, cui inhaeret docentem, distinguendum esse inter Presbyteros saeculares aut regulares, et Monachos aut Fratres mendicantes: illis autem superpelliceum et stolam, istis vero stolam tantum esse adhibendam. Equidem id Catalanus refert loco, quem indicat praefatus auctor, sed suam in fine sententiam promens, concludit: « Puto nihilominus, ubi in Ecclesia, et in Sede confessionali, Poenitentiae Sacramentum administretur, adhibendum esse superpelliceum et stolam a saecularibus Presbyteris; a Regularibus vero, QUICUMQUE ILLI SINT, stolam. Edicta autem plura Summorum Pontificum, et S. R. Congregationis decreta Regularium privilegiis opponi non possunt, quippe ab ipsa Summorum Pontificum auctoritate promanant. Iam vero Regularium esse privilegium, posse eos confessiones in Sede poenitentiali, sola indutos stola sine superpelliceo, indubia res est. Quidquid ergo huic privilegio opponitur circa superpelliceum, nonnisi saeculares Presbyteros respicit, haud vero Regulares ».

expresse docet: " In Ecclesia servetur Rituale Romanum " (*7 Iulii 1877, Dub. IV*). 3. In confessionibus autem virorum usus invaluit in pluribus locis, ut sola adhibeatur stola, quae etiam adhibenda profecto est, si commode haberi queat. 4. Vix innuendum, in quacumque necessitate, licet non gravi, ullo absque sacro indumento posse hoc Sacramentum administrari.

§ 4.

DE DOTIBUS IN MINISTRO
ET AGENDIS A POENITENTE.

Quaeres 1. Quot dotibus oportet sit praeditus Minister Poenitentiae?

Resp. Tribus, nempe: bonitate, scientia, et prudentia, munera enim praecipue obit in confessionibus, iudicis, doctoris, ac medici.

Inferes 1. Teneri huius Sacramenti Ministrum omnium se praebere exemplar virtutum, maxime caritatis, patientiae ac mansuetudinis. 2. Esse saltem sufficienter instructus in iis primum quae Rituale docet, atque in omnibus quae referuntur ad iudicium, quod de causa poenitentis ferendum est. 3. Poenitentem edocere si oporteat, in iis, quae ad illius statum officiumque pertinent. 4. Remedia adhibere, quae spiritu infirmos curare ac praeservare possunt.

Quaeres 2. Quid agendum poenitenti ante Confessionem?

Resp. Poenitens ante Confessionem tenetur conscientiam suam accurate discutere, ut Rituale docet, eum a Confessore esse, nisi aliter notus fuerit, super hoc interrogandum (*Tit. III, cap. 1, n. 11*).

Quaeres 3. Quid eidem agendum in Confessione?

Resp. Poenitens genuflexus, dicta primum Confessionis formula, sive latina sive vulgari lingua, peccata sua, ministro adiuvante, si opus sit, confitebitur: correctiones ac monitiones, quas a ministro audiet, humiliter recipiet: peccatorum suorum dolorem concipiet, et salutarem satisfactionem, quam Confessor ei tenetur iniungere, demisse acceptabit.

Quaeres 4. Quid poenitens agat oportet post Confessionem?

Resp. Quamprimum poterit, satisfactionem adimplebit, curabitque ea exequi, per quae acceptam in Sacramento gratiam custodire valeat.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Continuatio Tituli V: vid. n. 2. 1892, pagin. 84)

(120) *Si vero in eis occurrat festum simplex, de eo fit tantum commemoratio.* Cum enim officium feriarum maiorum praevaleat festis Sanctorum, quae ritu simplici recoluntur, agitur officium feriae et de his fit commemoratio. Advertendum tamen est, hic dici: *fit* tantum *commemoratio,* quia ly *tantum* in hoc casu, positum est ad excludendam lectionem historicam de

Sancto simplici. Regulariter enim, ut fusius suo loco dicemus, quando dicitur fieri alicuius officii commemoratio, quod lectionem historicam habeat, nisi aliud Rubrica praescribat, in commemoratione comprehenditur quoque lectio ipsa historica. In obsequium huius loci Rubricarum, Sancti mense Decembri simplici ritu occurrentes, carent omnes lectione historica; nonnulli autem mense Februario occurrentes hanc habentes lectionem, ea privantur in parte verna Breviarii, quia, uti patet, haec pars incipit cum Quadragesima, in qua locum non habent lectiones de Sanctis simplicibus.

(121) *Item per annum fit officium de feria illis diebus, quibus infra hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod festum duplex, semiduplex, vel simplex.* Siquidem officium feriae non maioris cedit omnibus festis etiam simplicibus.

(122)... *et non occurrit aliqua octava...* sit vel non sit in Breviario Romano comprehensa, uti cuique patet.

(123).... *vel officium S. Mariae in Sabbato....* Quia cum hoc officium Sancto simplici praestet, eo magis feriae non maiori praefertur.

(124)... *vel aliquod festum solemne aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalendario huius Breviarii non sit descriptum.* Necessario haec posita sunt, ut comprehenderentur festa quoque particularium Ecclesiarum, quae in Kalendario Breviarii desiderantur. Festa enim, non tantum *solemnia*, sed et *consueta*, quae saltem ritu simplici aliquo in loco recoluntur, praecedunt feriis non maioribus.

TEXTUS.

(Titulus V).

N. 2.

Officium Feriae in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, et prima die Rogationum incipit a Matutino (125): in aliis vero feriis per annum, inde fit de feria ubi desinit officium praecedentis diei, ita ut si praecedenti die fuerit duplex, vel Semiduplex, officium feriae incipiat sequenti die a Matutino; si praecedenti die fuerit festum simplex, de feria fiat a Vesperis illius praecedentis diei inclusive (126). Similiter et quando in feria quarta et sexta Quatuor Temporum Septembris (127), et in Feria quarta Cinerum, ac in Vigiliis (128) occurrit aliquod Festum Simplex (129) de quo fieri debet commememoratio (130), tunc praecedenti die [nisi fuerit festum novem lectionum (131)] in Vesperis fit de Feria ut in Psalterio sine precibus (132) cum oratione Dominicae praecedentis (133) et cum commemoratione Festi trium lectionum in sequenti Feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de concurrentia (134). Terminatur autem officium de Feria, subsequente duplici vel Semiduplici, ad Nonam (135); subsequente vero Simplici, de quo fieri debeat officium (136), ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo Simplici absque ulla deinceps commemoratione Feriae (137).

(125) *Officium Feriae in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis et prima die Rogationum incipit ad Matutino.* Nam officium feriarum non habet primas Vesperas, et licet ex. gr. pridie actum sit de feria, in Vesperis vel sumpta fuit oratio Dominicae antecedentis, vel si dicta est oratio Feriae, ut fit in Quadragesima, haec oratio pertinet ad feriam antecedentem, et non ad feriam cuius officium hic dicitur a matutino incipere.

(126).... *in aliis vero feriis per annum, inde fit de feria ubi desinit officium praecedentis diei... etc.* Scilicet, vel incipit a Vesperis, si die praecedenti actum est de Sancto Simplici, cuius officium desinit ad Nonam, vel incipit a Matutino si pridie actum est de Dominica, de duplici vel Semiduplici, vel de feria praecedenti.

(127) *Similiter et quando in feria quarta et sexta Quatuor Temporum Septembris....* Bene hic non loquitur Rubrica de aliis Quatuor Temporibus, quippe quae occurrunt in Quadragesima, vel octava Pentecostes, vel Adventus, in quibus feria quarta et sexta, necessario alia officia ferialia subsequuntur, ideoque quod hic fieri dicit Rubrica, prorsus abs re pro illis est.

(128) .... *et in feria quarta Cinerum ac in Vigiliis....* subintellige communibus infra annum, illis nempe quae occurrunt extra Quadragesimam et Adventum; exclusis quae celebrantur ritu Semiduplici, ut Vigilia Epiphaniae et Pentecostes.

(129) ..... *occurrit aliquod festum simplex....* Hodie, post Breve *Nullo unquam,* addi hic poterat, *vel ad instar simplicis recolendum;* cum enim in feria quarta Cinerum occurrere potest festum vel officium duplex aut semiduplex intransferibile, ut suo loco dicetur, commemorandum est ad instar simplicis; licet ergo in

nova Rubricarum recognitione nihil additum sit hoc loco, omnia tamen iure subintelligi debent verba a nobis adiecta.

(130) ..... *de quo fieri debet commemoratio,* quod positum est, non ad distinctionem, quasi habeantur festa simplicia de quibus *non debeat fieri commemoratio,* in casu, sed ad maiorem evidentiam eorum quae sequuntur. Et reapse, in feriis quatuor Temporum, quarta Cinerum et Vigiliis, semper commemorari debet festum Simplex occurrens.

(131) ..... *tunc praecedenti die (nisi fuerit festum novem lectionum)....* nempe duplex aut semiduplex prout supra docuimus.

(132)..... *in Vesperis fit de Feria ut in Psalterio, sine precibus....* ut in Psalterio, non tantum quoad psalmos hymnos etc., sed etiam quoad Antiphonam ad *Magnificat,* excipe in casu nostro Vesperas quae dicuntur pridie Feria IV Cinerum, in quibus habetur Antiphona propria ad *Magnificat..... Sine precibus,* nempe precibus ad Vesperas, quae dicuntur solummodo, ut infra videbimus (*Tit. XXXIV, n. 4*), in feriis Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum; preces namque ad Completorium dicendae sunt.

(133) ..... *cum oratione Dominicae praecedentis .....* in casu enim dies praecedens caret officio proprio, non exclusa oratione quae ideo sumenda est a Dominica praecedenti.

(134) ..... *et cum commemoratione Festi trium lectionum in sequenti feria occurrentis ut dicetur....* cum commemoratione scilicet festi simplicis in feria sequenti occurrentis. Siquidem cum festum in sequenti die officium non habeat, propter officium feriae quod recitatur in casu, *nec etiam convenit,* ait Rubrica (*Tit. XI n. 10*), *illud habere primas Vesperas in praecedenti die.*

Quod et dicendum venit de duplici aut semiduplici occurrenti in feria quarta Cinerum; in Vesperis enim feriae tertiae, licet fuerint de semiduplici aliquo, aut etiam de feria, de eo nihil aliud fit, nisi commemoratio.

(135) *Terminatur autem officium de feria, subsequente duplici vel Semiduplici, ad Nonam;* quia Vesperae in casu erant de sequenti duplici aut semiduplici absque ulla commemoratione feriae, cuius officium proinde desinit ad Nonam.

(136) ..... *subsequente vero Simplici, de quo fieri debeat officium;* scilicet de quo in crastinum, non sola commemoratio, sed totum recitandum fuerit officium, quod non potest occurrere in feriis de quibus hic est sermo, sed tantum infra annum quando agitur de feria per hebdomadam, et in crastino agitur de festo simplici. Patet enim quod aliis temporibus et in Vigiliis Vesperae necessario esse non possunt de subsequenti festo simplici.

(137) ..... *ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de festo Simplici absque ulla deinceps commemoratione Feriae.* In casu ergo officium feriae desinit ad Capitulum Vesperarum, nempe Psalmi et Antiphonae erunt de occurrenti feria, a capitulo autem fit de festo simplici sequenti, absque ulla feriae commemoratione, quia de feriis in Vesperis nulla fit commemoratio extra Quadragesimam et Adventum.

TEXTUS.

(Titulus V).

N. 3.

Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum, cum duodecim psalmis, secundum ordinem

feriarum in Psalterio, et tribus lectionibus, ut in Proprio de tempore.

N. 4.

Excipiuntur ab hoc ordine officii ferialis tres feriae maiores hebdomadae Sanctae (138), et Feriae octavarum Paschae et Pentecostes in quibus fit officium ut in propriis locis ponitur (139).

(138) *Excipiuntur..... tres feriae maiores hebdomadae sanctae....* quamquam omnes feriae huius hebdomadae *maiores* revera sint, in sensu supra a nobis exposito, nihilominus hic excipiuntur tres feriae *maiores*, nempe Feria V in Coena Domini, Feria VI in Parasceve et Sabbatum Sanctum, quae habent officium novem lectionum et ritu duplici recoluntur.

(139).... *et Feriae octavarum Paschae et Pentecostes...* de quibus agitur quoque officium proprium duplici ritu, vel semiduplici. Addi poterunt in hac exceptione feria quoque VI post Octavam Ascensionis et Vigilia Pentecostes, quorum officium licet sub feriali veniat, agitur tamen ritu semiduplici, ut suis locis ponitur.

TEXTUS.

(Titulus V).

N. 5.

Quomodo ordinandum sit officium de feria ad Matutinum et alias Horas, item de lectionibus et Responsoriis, et quando dicendae sint preces

feriales, ac de aliis quae ad officium feriae pertinent, habentur inferius de singulis propriae Rubricae (140).

(140) Ac proinde de hoc in earum edocemur expositione Rubricarum sequentium.

(*Continuabitur.*) Doct. Petrus Piacenza.

DISSERTATIUNCULA

DE MODO RECITANDI

OFFICIUM PARVUM B. M. V. IN CHORO

Necessarium iudicamus dubia ex Utino, quibus breviori calamo in quarto Ephemeridum numero (*Dub. XI, pag. 287*) responsum fuit, resumere, seu potius res clarius exponere, idque eo magis, quod aliqui ex Consociatis quid in dictis obscuri repererunt. Hinc cuncta in praesenti de eodem officio dicturi sumus, quae illius valent in choro recitationem attingere, ut omnibus faciamus satis.

1. Quinam ad illud teneantur. Indubium est, ex Bulla S. Pii V Breviario praeposita, solas ecclesias, quae chori obligationem habent (non tamen omnes) ad Officii parvi recitationem teneri, ut extra chorum nullus obligetur. Diximus, *non tamen omnes;* nam exploratum quoque est ex eadem Bulla, eos tantum ad idem obligari choros, qui tempore evulgationis praefatae Bul-

lae, illius recitationis consuetudinem habebant. Hinc, Cathedrales vel Collegiatae, quae institutae sunt post annum Bullae pianae (1568), ad Officii B. M. sicut ad Psalmorum Gradualium etc. recitationem non tenentur. Imo, si aliqua Collegiata Ecclesia, quae consuetudinem huiusmodi recitationis ante Pium V habebat, postea ad Cathedralis dignitatem evehetur, non amplius tenetur ad consuetudinem istam servandam. Ratio est, quia cum Sedes Apostolica Collegiatam ad Cathedralem elevat, capitulum Collegiatae extinguit, erigitque novum capitum Cathedrale; ideoque, licet quoad personas, in limine elevationis, Capitulum Cathedrale idem remaneat ac Capitulum Collegiatae, nihilominus novum revera Corpus efficitur, cum novis iuribus, ac proinde consuetudines prioris corporis non amplius ex praecepto retinendae sunt. Diximus *ex praecepto*, nam si novum Capitulum Cathedrale consuetudinem antiquam recitandi B. M. Officium etc. servare velit, nihil omnino obstat (1). Idem dicatur de Cathedrali quae in Metropolitanam elevata sit.

De ecclesiis regularibus vero aliud dicendum esse censemus. Etsi enim aliqua ecclesia regularis de novo erigatur, non tamen ex hoc recitationem Officii B. M. omittere potest. Videndum itaque est, si familia regularis, quae chori obligationem habet, instituta sit ante Bullam Pianam, vel post. Si ante, licet ecclesia in casu sit noviter erecta, familia tamen regularis quae in ea deservit antiqua est, ac proinde tenent eius consuetudines; si vero familia regularis recens

(1) Hisce ex rationibus Capitulum Collegiatae Burgi S. Domnini in Aemilia, quod post Bullam Pianam Cathedrale effectum est, consuetudinem Officii B. M. recitandi dimisit.

fundata est, tunc Officii B. M. recitatio non est de praecepto. Hanc nostram sententiam, licet in aliis scriptoribus non invenerimus, ex spiritu tamen legis hausimus, et tutam esse putamus.

Non omnes ergo ecclesiae, quae chori obligationem habent, Officium B. M. V. recitare tenentur; neque aliquid diversi unquam exivit a S. R. Congregatione, ut proinde citra omnem controversiam ita et non aliter res se habeat.

2. Quando recitandum. Rubrica seu generalis seu specialis praescribit non recitari in IX lectionum officio, nec quid magis explicite docet Bulla S. Pii V, contenta iubere, consuetudinem in choris esse servandam. Supplet S. R. C. sapienter S. Pii V legem exponens. Cum enim, animadvertit cl. Gardellini (*Nota ad decr. Hispalen. 22 Aug. 1818 ad IX*), loquatur lex Bullae generaliter de consuetudine, Sacrum Tribunal eidem inhaerens Bullae, eamdem consuetudinem generaliter servandam esse indixit, ipsam Breviarii specialem Rubricam extendens. Hinc certiores redduntur chori, consuetudinem ante Bullam servatam, servandam quoque esse post Bullae promulgationem. Itaque si ante praedictum tempus mos illis erat, Officium parvum recitandi in solis trium lectionum officiis, hoc est in festis simplicibus et feriis, exceptis excipiendis ut in Rubrica speciali, in his temporis tantum adiunctis, haud in aliis, dictum Officium iis recitandum est. Si vero illud etiam in semiduplicibus recitare consueverint, vel etiam in duplicibus, ante Bullam, etiam in semiduplicibus aut et in duplicibus post Bullam, illud recitare oportet, ita iubentibus Decretis *Troiana* 1. Sept. 1607, et *Hispalen.* quod superius citavimus. Nihilominus, seu ex speciali Rubrica, seu ex citatis decretis semiduplicia infra octavas

Paschae et Pentecostes excipienda sunt, in quibus recitari non debet. Idem de vigilia Nativitatis Domini, et de feriis maioris hebdomadae, et quando officium aliud de eodem subiecto recitandum est. Id quidem in choris, ubi viget consuetudo eiusmodi officium recitandi in feriis. Ubi autem recitari consueverit etiam in semiduplicibus et duplicibus seu minoribus seu maioribus, eadem consuetudo servanda erit, exceptis tantum triduo mortis Christi et octavis Paschae ac Pentecostes.

3. Quo ritu recitandum. In Rubrica nil dicitur, attamen ex Rubrica speciali, quae illud admittit in officio tantum trium lectionum, et ex antiphonis, quae ritu simplici aut semiduplici, hoc est non duplicatis, notantur in Breviario, licet inferre, ritum illius esse debere semiduplicem, vel potius ferialem, videlicet non esse duplicandas antiphonas. Verumtamen Decretum extat *Cenomanen.* declarans duplicandas antiphonas, quando Officium parvum in festo duplici recitatur (1). Nihilominus, ut ex eodem Decreto patet, distinguendum est inter recitationem Officii parvi, quae cum Horis officii festi aut diei coniungitur, et illam quae omnino ab officio eodem separata expletur. Prima in duplicibus ritum duplicem sequitur haud vero altera. Officium enim parvum quod cum officio diei coniungitur, unius est nocturni, uti ex Rubrica eiusdem officii post Invitatorium inscripta manifestum fit; est ergo trium lectionum, proinde de officii fe-

(1) Decretum citatum in authentica Collectione non legitur, est nihilominus certe authenticum, extat enim in regestis S. R. Congregationis, eiusque Dubia resoluta diligenter percurrimus habetque inscriptam diem 16 Iul. 1866; et illud in nova, quae disponitur, Decretorum Collectione cum aliis appariturum confidimus.

fundata est, tunc Officii B. M. recitatio non est de praecepto. Hanc nostram sententiam, licet in aliis scriptoribus non invenerimus, ex spiritu tamen legis hausimus, et tutam esse putamus.

Non omnes ergo ecclesiae, quae chori obligationem habent, Officium B. M. V. recitare tenentur; neque aliquid diversi unquam exivit a S. R. Congregatione, ut proinde citra omnem controversiam ita et non aliter res se habeat.

2. Quando recitandum. Rubrica seu generalis seu specialis praescribit non recitari in IX lectionum officio, nec quid magis explicite docet Bulla S. Pii V, contenta iubere, consuetudinem in choris esse servandam. Supplet S. R. C. sapienter S. Pii V legem exponens. Cum enim, animadvertit cl. Gardellini (*Nota ad decr. Hispalen. 22 Aug. 1818 ad IX*), loquatur lex Bullae generaliter de consuetudine, Sacrum Tribunal eidem inhaerens Bullae, eamdem consuetudinem generaliter servandam esse indixit, ipsam Breviarii specialem Rubricam extendens. Hinc certiores redduntur chori, consuetudinem ante Bullam servatam, servandam quoque esse post Bullae promulgationem. Itaque si ante praedictum tempus mos illis erat, Officium parvum recitandi in solis trium lectionum officiis, hoc est in festis simplicibus et feriis, exceptis excipiendis ut in Rubrica speciali, in his temporis tantum adiunctis, haud in aliis, dictum Officium iis recitandum est. Si vero illud etiam in semiduplicibus recitare consueverint, vel etiam in duplicibus, ante Bullam, etiam in semiduplicibus aut et in duplicibus post Bullam, illud recitare oportet, ita iubentibus Decretis *Troiana* 1. Sept. 1607, et *Hispalen.* quod superius citavimus. Nihilominus, seu ex speciali Rubrica, seu ex citatis decretis semiduplicia infra octavas

Paschae et Pentecostes excipienda sunt, in quibus recitari non debet. Idem de vigilia Nativitatis Domini, et de feriis maioris hebdomadae, et quando officium aliud de eodem subiecto recitandum est. Id quidem in choris, ubi viget consuetudo eiusmodi officium recitandi in feriis. Ubi autem recitari consueverit etiam in semiduplicibus et duplicibus seu minoribus seu maioribus, eadem consuetudo servanda erit, exceptis tantum triduo mortis Christi et octavis Paschae ac Pentecostes.

3. Quo ritu recitandum. In Rubrica nil dicitur, attamen ex Rubrica speciali, quae illud admittit in officio tantum trium lectionum, et ex antiphonis, quae ritu simplici aut semiduplici, hoc est non duplicatis, notantur in Breviario, licet inferre, ritum illius esse debere semiduplicem, vel potius ferialem, videlicet non esse duplicandas antiphonas. Verumtamen Decretum extat *Cenomanen.* declarans duplicandas antiphonas, quando Officium parvum in festo duplici recitatur (1). Nihilominus, ut ex eodem Decreto patet, distinguendum est inter recitationem Officii parvi, quae cum Horis officii festi aut diei coniungitur, et illam quae omnino ab officio eodem separata expletur. Prima in duplicibus ritum duplicem sequitur haud vero altera. Officium enim parvum quod cum officio diei coniungitur, unius est nocturni, uti ex Rubrica eiusdem officii post Invitatorium inscripta manifestum fit; est ergo trium lectionum, proinde de officii fe-

(1) Decretum citatum in authentica Collectione non legitur, est nihilominus certe authenticum, extat enim in regestis S. R. Congregationis, eiusque Dubia resoluta diligenter percurrimus habetque inscriptam diem 16 Iul. 1866; et illud in nova, quae disponitur, Decretorum Collectione cum aliis appariturum confidimus.

rialis ritu particeps, in quo nunquam duplicantur antiphonae. Quod etiam ex Decreto *Rhedonensi* constat, d. d. 27 Febr. 1883 ad II: quo declaratur in recitatione chorali Officii parvi B. M. V. antiphonam non esse duplicandas *si unum nocturnum tantummodo recitetur*. Quod si idem Decretum duplicandas decernat antiphonas quando integrum Officium parvum recitatur, id profecto intelligendum iuxta alterum supercitatum Decretum in *Cenomanen.* cum videlicet in duplicibus integre recitatur separatim ab officio diei: ut proinde nulla inter utrumque incoherentia detur (1). Officium ergo parvum de quo loquimur, in choro iuxta consuetudinem recitandum, eumdem habebit ritum ac officium feriale, et antiphonas non duplicat.

4. Quibus constet partibus. Petitionis obiectum primas Vesperas respicit et secundas, utrum scilicet in eo dentur. Namque certum est ex Breviario, habere hoc Officium parvum: Vesperas, Completorium, Matutinum cum uno pro singulis feriis determinato nocturno ac suis lectionibus, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam ac Nonam. Responsio sequitur ex dictis in praecedenti numero 4; cum enim ritum feriae sequatur, iisdem ac feriale officium gaudebit partibus. Atqui officium feriae Vesperas quidem habet, quae tamen nec primae nec secundae vocari possunt, cum primas et secundas Vesperas habeant tantum festa duplicia et semiduplicia; ergo neque primas aut secundas Vesperas habere potest Officium parvum B. M. V. Etenim primae et secundae Vesperae sibi relationem dicunt, ut

(1) Quod novum non est; licet enim praeparatio ad Missam et gratiarum Actio post ipsam non sit pars officii diei, nihilominus in diebus duplicibus antiphona duplicatur.

dici non possint primae, si desint secundae: sed neque Vesperae possunt appellari secundae, si primae desint. Hinc aut primae aut secundae Vesperae, tam in feriali officio, quam in parvo B. M. V. numquam nominantur, profecto quia neque primae sunt neque secundae, sed simpliciter Vesperae. Ex quo sequitur officium parvum B. M. V., sicuti feriae, a matutino incipere, et numquam a Vesperis diei praecedentis, quibus caret. In choris ergo ubi in simplicibus tantum vel etiam in semiduplicibus, Officii huius recitandi consuetudo viget, Vesperae Officii parvi praecedenti die, qua de duplici factum est, recitari non debent, incipit enim a Matutino, ait specialis Rubrica; et aliunde huiusmodi Vesperae essent primae, quas non habet. Quando autem fit de simplici, vel semiduplici, iuxta consuetudinem, duobus diebus continuis, tunc Vesperae dicuntur de Officio parvo, quae cum Completorio illud absolvunt. At sive aliud simplex vel semiduplex concurrat, sive duplex, aliae Vesperae de Officio parvo pariter omittuntur: quippe quae locum non habent, essent enim primae, ut diximus, quibus destituitur. Verbo, hae Vesperae Officium parvum B. M. V. uti Vesperae feriarum considerandae ac moderandae sunt. Ubi autem consuetudo est officii parvi recitandi etiam in duplicibus, eaedem sed unae Vesperae, non binae, dicendae erunt in omnibus duplicibus, eadem semper de causa, quia nec primae sunt nec secundae; et sicut in feriis, ita in hoc Officio parvo, concurrentia non datur.

5. Quomodo cum officio diei coniungatur. Satis coniunctio huiusmodi ex Rubrica patet. Eo die, quo Officii parvi obligatio urget, dicitur *Pater*, *Ave* et *Credo*, inde nocturnum feriae respondens Officii parvi cum Laudibus usque ad *Benedicamus Domino* inclusive: post quae statim ab Invitatorio recitatur officium

diei. Sequitur Officii diei Hora prima usque ad lectionem exclusive Martyrogii, inde Hora prima dicitur Officii parvi, quam sequitur, ante *Fidelium animae* quod omittitur, lectio Martyrologii, ℣. *Pretiosa* praemisso. Post Primam, recitatur Tertia Officii diei, quam, statim post *Benedicamus Domino* sequitur Tertia Officii parvi, atque ita ad Sextam et Nonam. Si eadem obligatio urgeat sequenti die, post *Pater* et *Ave* statim Vesperae Officii parvi recitantur, similiter usque ad *Benedicamus Domino* inclusive, deinde absolute dicitur Officium diei. Denique, absoluto Completorio officii diei, Completorium, ut supra, Officii parvi recitatur. Si vero sequenti die Officium parvum non sit dicendum, Vesperae non dicuntur eiusdem Officii parvi, quippe quod, uti feria post Nonam desinit; intrant enim 1 Vesperae festi excludentis officii parvi recitationem.

6. Num aliquid Officio parvo addi possit aut debeat. Satis est notum, Officium parvum, tam ad Vesperas quam ad Laudes, secum ferre commemorationem Sanctorum, prout in eodem Officio videre est. Inquiri autem potest, utrum praeter istam, alia addi ex devotione possit alicuius Sancti commemoratio. Sed negative reponimus ex lege generali, vi cuius nil addendum Breviario, et officia in eo inscripta prouti iacent sunt recitanda, et iuxta Rubricas. Officium vero parvum B. M. V. in choro recitandum, inscribitur in Breviario; ergo prouti iacet recitari debet a choralibus, et iuxta speciales, quae in eo leguntur, Rubricas. Consequenter nec aliquid in eo potest immutari, aut addi, aut demi, nisi quod Rubrica requirit, proindeque nulla in eo addi potest, praeter Sanctorum, quae debet, commemoratio.

At constat, Moniales *adoratrices de la justice divine* petiisse S. R. C. utrum commemoratio S. Ioseph adiungi posset in Officio parvo, et S. R. Congregationem affirmative respondisse, ergo (*Rhedonen. sup. cit. ad III*). Respondemus: Ante omnia videndum erit an dictae Moniales ad officium divinum recitandum teneantur, more religiosorum; quia si non tenentur, nihil contra nos habet citatum decretum. Officium enim parvum quod recitatur in Seminariis et a quibusdam monialibus, aliis potest ditare a S. R. C. privilegiis quae extendenda non sunt ad officium parvum quod in Choris persolvitur ex Rubrica. Sed datum quod Moniales in casu ad officium divinum teneantur, decretum tamen citatum nil facere contra negativam, quam dedimus, responsionem. Primo, quia Moniales praefatae non solum inquirebant de commemoratione S. Ioseph, sed etiam de septem Doloribus B. M. V. Iam vero S. R. C. illam ut fieri posset indulsit, istam agendi facultatem denegavit. Cum itaque omnium commemorationum, praeter praescriptas, par sit ratio, sequitur neque commemorationem S. Ioseph facere debuisse Moniales, nisi S. R. C. indulsisset. At indultum non omnibus favet, sed iis tantum, quibus concessum est. Secundo, in casu agebatur de longaeva consuetudine, uti in Dubio dicitur; nil ergo mirum, si Sacrum Tribunal, partialiter licet, consuetudini favit. Nos vero quaestionem non agimus de usu, multoque minus longaevo, sed de privata devotione. Optimo ergo iure commemorationem de S. Ioseph praedictae Moniales agere valent, non vero alii, qui nec usum habent nec indultum. Notandum autem cum A Carpo, commemorationem pro Sanctis agendam quoque, si Officium parvum disiunctim in choro ab officio festi recitetur, idque ex superius citato Decreto in *Cenomanensi*,

cui tamen commemorationi, idem auctor advertit, nullam aliam, nisi ex Apostolico indulto, adiungere fas est (*Biblioth. Liturg. pars 2, cap. XVIII, n. 214*).

Vix dicendum, utrum *alleluia* Officio parvo addi debeat tempore paschali; Rubrica enim generalis (*Tit XXXVII, n. 2*clarius se exp) rimi nequit, cum dicat: " Tempore paschali... non additur *alleluia* antiphonis, neque versibus, neque responsoriis ". Ex quo sequitur, ritum Officii parvi, non immutari secundum tempora, sed idem semper esse. Hinc, sicut *alleluia* omittendum semper tempore paschali, ita nec *Gloria Patri* omittendum in Invitatorio tempore Passionis. Brevi, nulla, ut iam diximus, facienda mutatio, nisi specialiter sit ordinata in Rubricis, de reliquo eodem semper modo Officium parvum B. M. V. recitandum est. Haec quidem satis superque sint, credimus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VII.

DE ORDINE PERGENDI IN CHORUM AD MISSAM ET VESPERAS PONTIFICALIA.

Caius vir laicus, sed pietate in Deum insignis, nimia, cum in Urbe degat, admiratione corripitur, Basilicas aliasque Ecclesias Urbis frequentans, difformitatum causa, quas cernit, cum clerus variarum Ecclesiarum ad Missas et Vesperas pontificalia in cho-

rum pergit. Etenim quandoque inferiorem conspicit clerum praeeuntem, quem sequuntur Canonici, denique sacros ministros paratos, et Episcopum pontificalibus vestibus indutum. Aliquando vero Episcopum videt ante ceteros incedentem, solo mantelleto indutum, quem reliquus clerus sequitur a maiori ad minorem et minimum usque. Denique casus non deest, quo clerum aspicit ad plura intervalla euntem in chorum, nempe: 1. Diaconum et Subdiaconum paratos, quos caeremoniarum magister comitatur, et sequuntur ministri inferiores inservientes Episcopo. 2. Aliqua post mora procedit Episcopus mantelleto pariter indutus, quem caeremoniarum magister, et duo tantum de clero presbyteri superpelliceo induti comitantur. 3. Denique aliquo post tempore pergunt in chorum reliqui de clero. Iam vero has difformitatis rationes haud valens intelligere Caius, quinimo et domus Dei decori contrarias iudicans, Titio sodali suo in una ex patriarchalibus Ecclesiis caeremoniarum magistro, rem comiter exponit. Qui meliori qua potest ratione, ei satisfacere satagit, serio interim inquirens:

1. *Quid de processione ad chorum tam in Missa quam in Vesperis solemnioribus ferat antiquitas Ecclesiae, seu Latinae seu Graecae?*

2. *Quaenam leges huiusmodi processionem dirigant iuxta Caeremoniale Episcoporum, ad Dioecesani Pontificalia quod spectat; et num sub aliqua limitatione pro Titularis quoque Episcopi Pontificalibus illae valeant?*

3. *Quid de triplici diversa ratione pergendi in chorum, et maxime de ultima, ut in casu, iudicandum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Felicis Ravanat ex alumnis Pontificii Seminarii Vaticani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis apud Curiam Innocentianam die 8 Apr. 1891: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Nicolaum D'Amico ex Apostolic. Caeremoniarum Magistris.

1. Primo quaeritur de antiquitate seu Latinae seu Graecae Ecclesiae circa processionem in chorum, tam in Missa quam in Vesperis solemnioribus.

Nomen processionis generice sumptum a *procedo* derivat, quod apud puros Latinos, ait cl. Quarti, incedere, ambulare, progredi significat, ut ortus vel originis ab alio tamquam a principio significationem sileamus, quae philosophos ac theologos spectat (*Biga aether. sect. 1, punct. 1*). Hinc cl. Zacharia: " Processio et processus idem sunt, et... significat incessum militum, populi, cleri ad locum aliquem ordinatim euntis. Hinc cum Imperatores aliquo irent, puta in villam, processionem aut processum facere dicebantur (*Onomastic. ad verb.* Processio) „. Hoc nihilominus in praesenti notandum, processionis nomen eiusmodi sensu acceptum, functionem plusminusve sacram exclusive significare, actusque alios profanos diversa modo adoptasse sibi vocabula. Super laudatus Quarti hanc processionem sacram describens, ait: " Est publica supplicatio facta Deo a communi coetu fidelium, certo cum ordine disposito, et procedente a loco sacro in sacrum (*Loc. cit.*).

Huiusmodi autem processiones tamquam forma externi cultus inspectae, antiquioris sunt instituti. Haud enim illae ethnicis latebant, et ab antiquo foe-

dere christianorum processiones habuere principium. Adumbratae nempe fuerunt, cum post instauratam Ierosolimam, solemnis instituta fuit processio in gratiarum actionem Deo (*Esdr. 2, 12*): cum David et Salomon ex uno in alium locum foederis arcam transtulerunt (*2 Reg. 6 et Lib. 3, 8*): item cum Christus Dominus solemniter cum discipulis ingressus et Ierusalem, et stravit populus vestimenta sua in via clamans: *Hosanna filio David etc.*

Processionum multiplex est divisio, uti ex. gr. ratione finis; et aliae ad gratiam aliquam instituuntur a Deo consequendam, aliae ad ipsum Deum placandum, etc. Ratione causae efficientis, aliae indicuntur a Romano Pontifice, aliae ab Episcopis: aliae ad clerum tantummodo pertinent, aliae ad Confraternitates, etc.

In praesenti, quod attinet ad propositum nostrum, de illa peculiariter disserendum, quae a Caeremoniali Episcoporum praescribitur et a Missali, pro altaris sacrificio inchoando, quod solemniter celebratur, eiusque ante omnia inquiritur antiquitas. Haec consistit in sacris ministris primo, inde in reliquo clero, comitantibus solemniori pompa Episcopum vel Sacerdotem ad altare celebraturum. Iam vero huiusmodi processionem antiquitus fieri consuevisse dubitandum non est. Maxima enim inter ipsam et *Introitum* Missae relatio est: ut quamvis hoc nomine antiphona tantum impraesenti significetur, quae initio Missae canitur, nihilominus ipsamet processio in primaeva Ecclesia eodem nuncupata vocabulo fuerit. *Introitus* enim ab *introire*, uti in Ambrosiano ritu *Ingressa* dicitur ab *ingredi*, et processionem optime significabat totius cleri, qui ad altare ordinatim pergebat, et ad illius in-

gressum sistebat. Hinc ipsa Graeca Ecclesia eamdem processionem εισοδον appellat.

Cetera compertum est, in primaeva Ecclesia, haud omnes Sacerdotes consuevisse Sacrum soli peragere. Episcopus celebrabat, cum eoque sui concelebrabant Presbyteri, uti in Syra quoque nunc fit Ecclesia, imo et apud Latinam in Sacerdotum et Episcoporum consecratione. Diaconi etiam circumdabant Episcopum tamquam illius ministri. Hinc Xystus Pontifex huius nominis primus (an. 117-127), nonnisi adstante Laurentio Diacono sacrificium offerre consueverat. Evaristus (an. 100-108) iussit, ut septem Diaconi Episcopo adstarent concionanti; sed concio locum inter Missarum solemnia habebat: " Hic septem Diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum praedicantem propter stylum veritatis (*Catal. Felician.*) „. Ex quo iure merito licet arguere, Episcopum celebrantem suis circumdatum ministris ad altare accessisse, unde simplex huiusmodi processionis origo. Quae prima aetate simplicior, sensim solemnior evasit ad mediam usque aetatem, quae vocari potest *aetas* Liturgiae *aurea*. Cathedrales Ecclesiae plures solemniori eam ratione peragebant, ut mox dicemus; eiusque temporis scriptores in mysticis referendis huius caeremoniae sensibus se placebant, uti Innocentius III (*De off. Miss.*), Amalarius (*Lib. 3, cap. 5*), Honorius Augustodunensis (*Gemm. anim. Lib. 1, cap. 7*), Durandus (*Rational. Lib. 4, cap. 6*), et alii.

Duplex erat processio, quam peragebat Episcopus ante Pontificalem Missam, altera e loco suae habitationis ad Ecclesiam, altera e sacrario ad altare, uti cl. Bona animadvertit: " Sacerdotis ad offerendum sacrificium euntis duplex est processio: una e propriis aedibus ad Ecclesiam, altera in ipsa Ecclesia a sacra-

rio ad altare (*Rer. Liturg. Lib. II, cap. II*) „. A Nicephoro (*Lib. 13, cap. 8*), et a Marco Diacono (*In vita S. Porphirii*) accipimus, harum processionem primam solemniorem altera fuisse: anteibant clerici, crucem gestantes et candelabra, sequebantur alii clerici et Presbyteri, qui prope sacrarium, quod ante Episcopum ingredi vetabantur (*Conc. Laodic. can. 56*), expectabant Episcopum.

Ad alteram quod attinet processionem, sic eam describit Pontificale Durandi, uti apud Catalanum videre est (*Comment. ad Caerem. Episc. Lib. II, cap. VIII, § XXVII*): " Pontifex processionaliter et solemniter ad altare cum ministris procedit, in qua processione praecedit thuriferarius, et post eum duo ceroferarii, deinde Subdiaconus cum libro Evangeliorum, et post eum aliquis ferens crucem: post quos sequitur Pontifex deducentibus eum Cappellano a dexteris, et Diacono gerente cambucam (id est baculum) a sinistris, et tobaliam pulchram ante eum tenentibus. Is vero qui mitram servat, et alii clerici superpelliceis induti subsequuntur „.

Solemnior erat processio Summi Pontificis, iuxta quod Ordo Romanus (*n. 11, apud Mabillon, Mus. italic. Tom. 2, pag. 84*) refert, et prout illa tempora ferebant, nempe S. Gregorii Magni. Ait enim, ante Pontificem super equum sedentem consuevisse incedere Acolythum stationarium, gestantem chrisma in mappula involuta cum ampulla, aliosque acolythos portantes sacculos, sindonen, aquammanus, calicem, patenam, schyphos, pugillares, gemelliones, colatorium, amas, cruces, evangelia et omnem sacram supellectilem.

Iacobus Eveillonius (*De process. ecclesiast. cap. V*) processionem describit fieri solitam in Turonensi Ecclesia, quae profecto maximae erat solemnitatis. Thesau

rarius praecedebat longo intervallo, cereum accensum deferens candelabro argenteo: sequebatur longo etiam spatio disiuncti septem pueri symphoniaci, albis et tunicis induti, singuli cum cereis ardentibus. His sex succedebant Subdiaconi sui ordinis cultu insignes; quorum unus crucem, tres Sanctorum reliquias, reliqui deferebant argenteos libros inauratos Epistolarum et Evangeliorum, tum Diaconus et Subdiaconus maiores, seu Missae: post eos alii qui crucem archiepiscopalem et baculum gestabant. Extremo loco Archiepiscopus pontificaliter indutus cum duobus assistentibus Canonicis, et totidem clericis pluviale Pontificis elevantibus etc. Eiusmodi processio *Ordo* antonomastice nuncupabatur.

Quandoque, seu Romae seu extra, etiam SS. Eucharistia hac in processione deferebatur, quae postea recludebatur in Conditorio, uti seu ex Martene, seu ex Ordinibus Romanis constat.

Haec quidem ad saeculum usque tertium decimum plus minusve in omnibus Ecclesiis servata sunt; et sacris paramentis seu Pontifex, seu Ministri induebantur in sacrario, a quo sacris amicti ad altare pergebant. At saeculo post quartodecimo processio saepe omitti coepit, ut Ordo Romanus XIV (*pag. 250*) dicat: " Quod si Pontifex ad altare induatur, non oportet eiusmodi precessionem fieri „. Hinc varietas in Ecclesiis consuetudinum, quas brevitatis ergo referre praeterimus. Quidquid nihilominus sit, indubium est, impraesenti eiusmodi processionem, nisi a sacrario, certe a secretario ad altare, eodem cum ordine procedendi, ab omnibus servatur Ecclesiis; et nonnullis vix exceptionibus actis, idem ordo plus minusve uniformis est. Quod autem de Missa, pariter de Vesperis, iisdem de causis, prope modum intelligendum.

Processionis autem solemniorem ritum, non tantum occidentalibus, sed et orientalibus Ecclesiis fuisse communem, non est ambigendum. Quod satis patet ex ipso εισοδος vocabulo: " non enim, *ait Goarius*, ingressum quemvis hoc vocabulum significat, sed eum, qui solemni procedendi ritu, a porta protheseos ad sacras usque fores percurritur, cum adoletur incensum, vel liber Evangeliorum, vel sacra dona cum pompa, in sanctum aditum inferuntur (*Euchology. Graec. In ord. sacr. minist. n. 29*) „. Id autem praecipue in Missa et Vesperis solemnioribus servatur. Namque eodem in codice legimus: " Cum Pontifex Sacrum facit, illum longo comitatu et multiplici apparatu pompa praecedit. In porta namque protheseos numerosi lectores cereas faces accensas praeferentes Diaconos egressuros excipiunt et praecedunt... succedunt Diaconi, et primus quidem eorum depositum a Pontifice pallium complicatum manibus defert: sequentes flabella, ultimi... thura suffumigant. Viam thure et odoribus fragrantem Diaconus vel Sacerdos panem sacrum in disco repositum et opertum velamine gestans capessit, et pone illum Sacerdos alius, qui calicem etiam opertum ante pectus defert. Hos sequuntur Sacerdotes Pontifici concelebrantes etc. etc. (*In Liturg. S. Io: Chrysost. notae, n. 110*) „. Ex quibus abunde innotescit vel pari vel forte maiori quoque solemnitate a Graecis, nec solum in Missa sed et in Vesperis, huiusmodi processionem consuevisse fieri.

2. Sed ad alterum pergamus quaesitum, seu ad leges inquirendas, quibus processio haec impraesentiarum dirigenda, in Pontificalibus sive Episcopi dioecesis, sive titularis tantum. Ratio pergendi in chorum pro Episcopo loci Pontificalia agente, clarior esse vix potest. Aut Episcopus sacris paramentis indutus acces-

surus est ad altare, aut tantum cum cappa. In prima hypothesi, en procedendi ordo ex Caeremonialis Episcoporum lege: " ... Parato Episcopo, procedetur ad altare processionaliter... Canonici parati... antecedent Episcopum immediate. Crux vero Capituli deferatur per alium Subdiaconum paratum tunicella inter duos ceroferarios, praeeunte acolytho cum thuribulo et navicula, ante omnes Beneficiatos, aliosque de clero illius Ecclesiae (*Lib. I, cap. XV, n. 8*) „. Eiusmodi est ordo procedendi cum Episcopus est sacris paramentis indutus. In altera vero hypothesi, videlicet: " quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum pluviali et mitra, vel cum planeta, sed tantum in cappa, tunc... ipse debet anteire, Canonici vero subsequi (*Loc. cit. n. 9*) „. Ratio autem huiusmodi diversi agendi modi est, *quia* in primo casu *itur sacra processione*, in altero vero *non est processio sacra* (*Loc. cit.*). Catalanus animadvertit, distinctionem istam in *sacram* et non *sacram*, antiquissimi esse instituti (*Comment. ad Caerem. Ep. Lib. I, cap. XV*). Hinc docet Crassus: " Regulare est, ut Canonici semper et ubique suum Episcopum Ordinarium quomodocumque sacris vestibus paratum praecedant; sed illum non paratum ubique sequantur: quam normam etiam Cardinales cum Summo Pontifice servant etc. (*Lib. 1, cap. 21*) „. Ex quibus patet, Episcopum loci, sit vel non paratus, semper una cum suo clero in chorum procedere. Episcopus enim potest semper paramenta sumere in secretario, quod maxime decet in solemnioribus festis, vel iisdem indui apud sedem suam. In primo casu clerus ipsum praeibit, in altero subsequetur, semper tamen una cum ipso procedet. Advertas hoc in postremo casu, quod *Subdiaconus cantaturus Epistolam paulo ante quam Episcopus veniat in chorum, capiet omnia para-*

menta sibi convenientia etc. ita praescribente Caeremoniale (*Lib. II, cap. 13, n. 3*); ante Episcopum itaque Subdiaconus perget in chorum.

Haec quidem ad Missam quod spectat; sed si de Vesperis agatur, ex lege Caeremonialis manifesto resultat, Episcopum sive cantaturum, sive non Missam in crastinum, secundo ex duobus praefatis modis se gerere (*Lib. II, cap. I, n. 4, et cap. II, n. 1*): ut non intelligatur, quare Bauldryus aliter doceat (*Pars 5, ex 2 Lib. Caerem. Episc. cap. 1, n. IV, et cap. 2, n. I*).

Hucusque diximus de processione agenda, si Episcopus fuerit dioecesanus: quid autem, si extraneus fuerit vel titularis, agendum? Caeremoniale Episcoporum de hoc penitus silet; videndum ergo, utrum quae pro loci Episcopo sunt praescripta, ad extraneum quoque aut titularem applicari possint, sub aliqua saltem limitatione, uti in quaesito exponitur. Itaque animadvertendum; principium esse communiter admissum, functiones liturgicas, deficientibus particularibus, normis generalibus esse moderandas, ac regulis, quas codices pro aliis actibus anologis exhibent. Iam vero maxima datur analogia inter Pontificalia quae Dioecesanus peragit, et ea quae ab Episcopo extradioecesano sunt exercenda. Ex quo sequitur, easdem sequendas esse regulas in utrisque, quas Caeremoniale Episcoporum tradit. Licet enim plures sint ritus ac caeremoniae in lege praescripti, qui Episcopis in propriis tantum Ecclesiis competunt, et competere nequeunt extraneis; nihilominus ad processionem quod attinet, de qua casus noster, nulla suppetit ratio, ob quam praefatae normae uni tantum, haud vero alteri applicari debeant. Excipe tantum Canonicos paratos, qui Episcopum tantummodo proprium,

nunquam alienum comitari debent, neque illi assistere. Itaque, Canonicis paratis exceptis, sicut et ipsis Diaconis assistentibus, in reliquis processio Episcopi extranei eodem procedet ordine ac Dioecesani. Adeo ut Episcopum clerus praeire debeat, si fuerit paramentis indutus, secus illum subsequetur et quidem normis superius expositis.

3. Ad tertium pergamus quaesitum, ad triplicem nempe diiudicandam rationem procedendi in chorum, prout in casu exponitur. Prima est, ut clerus inferior praecedat, inde Canonici, denique sacri ministri parati, cum Episcopo pontificalibus vestibus induto. Eiusmodi procedendi rationem non possumus quin probemus, utpote Caeremonialis legi apprime conformem, uti superius vidimus. Hinc eadem procedendi ratio communiter ab auctoribus traditur, uti a Martinuccio (*Lib. VIII, cap. IV, n. 20 et 21*), a De Conny (*Ceremon. Edit. 3, pag. 462*), a De Herdt (*Prax. Pontif. Tom. III, Lib. 4, cap. 1*), et ab aliis omnibus, tam pro Missa quam pro Vesperis. Hic quoque generaliter servatur modus in Patriarchalibus Basilicis Urbis, cum aliquis e Canonicis Episcopali insignitus ordine Pontificalia exercet. Hic denique idem fere est ac modus, quem simplex tenet Presbyter in Missa et Vesperis solemnioribus celebrandis.

Alter procedendi modus in hoc consistit, quod praecedit omnes Episcopus mantelleto indutus, quem a maiori ad minorem reliquus clerus sequitur. Et hic quoque probatione dignus est, cum legi respondeat, ut iam expositum fuit: adeo ut sicut cum Episcopus qui in sacrario paramenta induit, clerum omnem sequitur, ita si in choro iisdem indui debeat, omnes praecedit. Nulla autem lex prohibet, quominus Epi-

scopus, licet non Ordinarius sacris vestiatur in choro (1).

Ad tertium modum quod attinet, ad plura intervalla clerus procedit: primo Diaconus et Subdiaconus a Caeremoniarum magistro consociati, quos inferiores ministri sequuntur inservientes Episcopo: secundo, aliqua tamen post mora, Episcopus mantelleto indutus, quem pariter comitantur, praeter Caeremoniarum magistrum, duo e clero digniores superpelliceo induti: tertio demum, altera facta mora, sequuntur reliqui de clero. Huiusmodi procedendi ratio censura digna est, uti iure sustinet Caius; neque intelligitur, quare triplex fiat contra legem processio, vel ter eadem abrumpatur, dum una esse debet atque continua. Consuetudo ista ex hoc fortasse provenit, quod auctores generatim admittunt, Diaconum et Subdiaconum cum aliis inferioribus Ministris debere in chorum pergere paulo ante Episcopum, suaque loca occupare prius quam Episcopus adveniat: at iidem de reliquo clero non loquuntur, quem non supponunt adesse. Hinc fortasse prima et separata ministrorum processio, altera Episcopi, tertia quoque cleri. Verum nullus ex auctoribus hanc agendi rationem probat aut docet. Videatur ad rem Baldeschi (*Tom. III, pag. 6*), De Herdt

---

(1) Decretum in *Veliterna* d. d. 6 Sept. 1698 ad 1, vetat Episcopo suffraganeo paramenta in choro sumere, nisi in illum pergat in cappa. De Conny decretum exponit, dicens, Episcopum sine cappa, posse saltem in choro caligas et sandalia sumere (*Cerem. Rom. pag. 440, Nota 3*). Verum potius credimus, huiusmodi decretum omnino particulare, applicari non posse Episcopis titularibus, qui, Romae maxime, sine cappa in chorum procedunt, in eoque omnibus pontificalibus paramentis ex veteri et laudabili consuetudine induuntur.

(*Lib. IV, n. 286 et seq.*), Levavasseur (*Funct. Pontif. pars III, Lect. III, art. II*), De Conny (*loc. cit.*), Falise (*Ceremon. Edit. 5, pag. 248*), Martinucci (*Lib. VIII, De Functione*) aliique.

Itaque, licet non sit denegandum, posse aliquantulum prius Diaconum et Subdiaconum, aliosque inferiores ministros in chorum pergere, hi enim veluti privatim se gerunt, ut Episcopum excipiant; nihilominus processio, quam Episcopus et clerus efformant, una esse debet, haud plures. Nam, praeter recensitum incommodum de duplici contra legem processione, vel eiusdem abruptione omnino ex arbitrio, et nulla cohonestata causa, alterum habetur inconveniens, ut videlicet adigatur Episcopus ad expectandum clerum. Dum e contra fatentur omnes, haud superiori inferiores, sed inferioribus Superiorem esse expectandum.

Consequenter, aut Episcopus paramenta in sacrario induit, aut in choro. Si primum, praecedet clerus a minori ad maiorem, ultimo Episcopus inter suos ministros, et negotium nulli difficultati subiacet. Si vero alterum, duplici modo fieri processio poterit, prouti magis placuerit, vel tulerit consuetudo. Aut Diaconus et Subdiaconus cum inferioribus ministris in chorum soli, quasi privatim, cum ordine tamen, procedent, excepturi Episcopum, qui paulo post sequetur, quemque simul sequetur clerus a maiori ad minorem: aut Episcopus praeibit medius inter paratos Ministros superiores, quem sequentur clerici eidem Episcopo inservientes: deinde a maiori ad minorem reliquus clerus (1), eademque ratione redibunt in sa-

(1) Cl. Martinuccio verba faciens de Pontificalibus ab extraneo Episcopo agendis, cum paramenta in choro sumit, hunc tenet

crarium. Hic postremus procedendi ordo si excipias inconveniens quod respicit Episcopum solo mantelleto indutum inter paratos ministros incedentem, simplicior apparet, et fortasse magis quam alius probandus. Haec quidem seu in Vesperis, seu in Missa, mutatis mutandis, servanda.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Goritia.* **De Concurrentia in Officiis Passionis D. N. I. C.** Anno proxime venturo festum Lanceae et Clavorum D. N. I. C. dupl. 2. cl. in Archidioecesi Goritiensi, cadit in diem 25 Februarii. Quaeritur: quomodo ordinandae sint 2. Vesperae?

Resp. Omissa inter primaria et secundaria festa distinctione, quae S. Mathiae integras certo Vesperas tribueret, breviter repondemus, ad Officia quod attinet Dominicae Passionis, eiusdem S. R. Congregationis extare dispositionem specialem, quae statuit, huiusmodi Officia sive in occurrentia sive in concurrentia cum quovis festo principali sive primario eius-

---

ordinem: « Praeibit Caeremoniarius unus, deinde bini incedunt qui de clero sunt, praecedentibus minus antiquis, sequentur quatuor aut sex pluvialistae, bini et medius inter postremos duos ibit Episcopus: clerici inservientes pariter bini sequentur Episcopum (*Lib. VIII, cap. II, De functione, n. 14*). Haec de Vesperis, atque eodem modo de Missa loquitur (*Cap. III*). Eiusmodi vero ordo an legi Caeremonialis nec ne respondeat, ex dictis coniici abunde potest.

dem ritus praecedentiam obtinere (*Namurcen. 11 Augusti 1886*). Quapropter, in casu, die 24 Februarii Vesperae de sequenti, de SS. Lancea et Clavis scilicet, faciendae sunt, cum commemoratione praecedentis, S. Mathiae.

II. *Ex eodem loco.* **De Antiphonis propriis in feriis ante Vigiliam Nativitatis Domini.** Quaenam Antiphona anno sequenti 1893, die 22 Dec. fer. VI dicenda erit ad *Benedictus*, cum " *Ecce completa* " pro tali die assignata, die sequenti (sabbato, die 23) dicenda sit?

Resp. Satis compertum est, die decima septima Decembris, ad " *Benedictus* " Antiphonas proprias et ad " *Magnificat* " Antiphonas maiores incipere, quae feriae occurrenti convenire debent. Sed si dies decima septima incidat in Dominicam, uti eveniet anno 1893, eiusmodi Antiphonae feriales inchoantur die sequenti, uti specialis Rubrica Breviarii docet. Similiter quando dies vigesima tertia Decembris inciderit in Sabbatum Quatuor Temporum, quod anno 1893 evenit, ad " *Benedictus* " eo die sumitur Antiphona " *Ecce completa* ", quae semper die 23 dicenda est; et die 22 Antiphona dicitur " Ex quo " feriae sextae Quatuor Temporum (*Rub. post Off. Dom. 3 Adv. et in Sabb. Quat. Temp.*).

Nota. Dubiis in scheda postali inscriptis non possumus in specie respondere: satis sint generalia principia: certi errores in calendariis emendandi sunt: Calendaria approbata nefas est errata dicere.

III. *E Belgio.* **De validitate consecrationis cuiusdam Ecclesiae.** In quadam Abbatia una cum Ecclesia altare maius consecratum fuit, cuius tamen stipes seu basis nulla parte lapidea, sed ex toto erat lateritia. Quaeritur: Utrum de novo simul cum altari consecranda sit etiam ipsa Ecclesia?

Resp. Negative, ex decreto S. R. Congregationis in *Fanen.* diei 17 Iunii 1843, ad 2. Vide insuper *Ephemerides Liturgicas* volventis anni (*n.* 6, *pag.* 341 *et seq.*)

IV. *E Ferentino in Hernicis.* **De occurrentia inter mobile festum et fixum diversae dignitatis.** Apud nos festum mobile SSmi Redemptoris dupl. mai. Dominica 3 Iulii celebrandum est; at anno sequenti 1893 incidit in diem 16 dicti mensis, in qua festum B. M. V. a Monte Carmelo quadam cum exteriori pompa ac populi devotione celebratur. Quodnam ex duobus celebrandum, et quodnam transferendum?

Resp. Festum SSmi Redemptoris est celebrandum, et festum B. M. V. a Monte Carmelo transferendum. Nam in paritate ritus, officium faciendum est de digniori, et minus dignum est transferendum. Ita ex Rub. tit. X, n. 6. Nunc autem festa Domini primum locum in dignitate obtinent. At dices, festum B. M. V. a Monte Carmelo pompam quamdam populique devotionem prae altero habet adnexam; sed nihil interest. Solemnitatem enim externam in casu computandam non credimus, quod dispar sit in altero festo ratio dignitatis, quae dat alteri festo praelationem. Eodem modo alia, quae fieri potest, difficultas solvitur circa festum assignatum diei mensis, quod ex pluribus Decretis alteri praevalere debet in Dominica assignato. Decreta enim ista loquuntur de duobus festis paribus, seu ad ritum seu ad dignitatem quod attinet (*V. Decr. Senen. 22 Iul. 1848 ad 1*); sed casus noster alius est, cum de festo Domini agatur et de festo Deiparae, quorum utrumque minus principale est. Non videmus ergo rationem, ob quam festum inferioris dignitatis alteri superioris praeferri debeat. Celebrabitur proinde festum SS. Redemptoris, et transferetur in primam diem liberam festum Carmeli.

V. *E Melita.* **De quadam consuetudine in distributione SS. Communionis.** In distributione SS. Communionis aliquando accidit, ut dum Sacerdos sacram particulam superimponit communicantis linguae, hanc digitis tangat. Quapropter, licitum ne est purificatorium in manibus tenere ad abstergendos illis in casibus digitos?

Resp. Res in seipsa considerata non ita difformis nobis apparet, ut statim reprobandam iudicemus. Circumstantiis tamen perpensis, et praecipue quod raro praedictum incommodum, linguam scilicet communicantis tangendi, evenire potest, imo quod etiam minimo studio ipsum omnino praecaveri potest, respondemus, eiusmodi usum non esse probandum. Primo, quia sapit novitatem: secundo, quia a communi agendi usu difformis, et quid singulare praesefert, quod aliis inconvenientibus locum relinquit. Ad alterum quo attinet dubium eiusdem Inquirentis, cum agatur de casu necessitatis, affirmative respondemus.

VI. *Ex Utino.* **De rosaceo colore.** Apud nos quamplurimae extant planetae rosacei coloris, et quoties violaceus color praescriptus est, eis utimur: rectene?

Resp. Saltem ex usu universali promiscue rosaceum et violaceum colorem accipiente, affirmative respondemus. Diximus *saltem;* Caeremoniale enim Episcoporum (*Lib. II, cap. 13, n. 11, et cap. XX, n. 2*) quamquam in Dominica tertia et quarta Quadragesimae in defectu rosacei dicat, adhiberi posse paramenta violacei coloris, inferius tamen in eodem paragrapho etiam haec habet: " Quando in ea (*Dominica quarta Adventus*) inciderit Vigilia Nativitatis Domini, paramenta sint coloris *absolute violacei* „. Ex quibus verbis, Caeremoniale videtur innuere, rosaceum colorem quid solemnioris secum ferre, et ideo non licere rosaceum pro violaceo colore uti.

Nihilominus, ut iam diximus, ex praxi universali et eo magis ex defectu, rite rosacea paramenta adhiberi posse credimus, quoties violacea praescripta sunt. Animadvertendum est enim a rosaceo vix differre colorem violaceum; hic enim si dilutus, velut in rosaceum transit: si satur velut in nigrum. Hinc ex praxi abunde constat, inter plures violaceas planetas vix unam eiusdem reperiri coloris, adeo alius violaceus ab alio violaceo colore differt.

VII. *Ex Urbe N.* **De intelligentia Patroni loci.** De patrono loci agendum nobis est ritu dup. 1. cl. cum octava; at quis est iste patronus loci? Patronus Dioecesis? Patronus civitatis? Pagi? Paroeciae?

Resp. 1. Quando dicitur patronus loci, recolendus ritu dup. 1. cl. cum octava, de iure liturgico ille semper intelligendus, qui est principalis; alii enim minus principales, si habeantur, ritu inferiori ut plurimum gaudent. 2. Pro patrono loci ille intelligitur, cuius protectio respicit peculiariter incolas alicuius terrae, quae domorum plus minusve ingentem numerum possidet quas incolae habitant, et moeniis circumcingitur. Adeo ut patronatus, et populum tangat particularem, et particularem locum. Hinc vere loci patronus erit, patronus civitatis, patronus oppidi, patronus pagi, etc. haud vero patronus regni, provinciae, dioecesis, paroeciae etc., nisi latiori et mox exponendo sensu. 3. Si locus particularis patronum non habeat, tunc patronus regni, vel provinciae, vel dioecesis considerari potest tamquam patronus loci, rituque fruetur classico, prout de iure. Quinimo, etsi aderit patronus loci, fieri debet eodem ritu classico de patrono regni aut provinciae si aderint: quippe quod hic universalis, ille particularis est; et de duobus patronis, quorum unus particularis, alter universalis, fieri

in locis optime potest, et si habeantur debet. De duobus vero, si ambo universales, aut particulares fuerint, fieri de iure ordinario non debet, ritu, inquam, classico. Hinc si oppidum, pagus, civitas, suo particulari patrono, ritu maximo recolendo, gaudeat, patronum dioecesis eodem ritu recolere de iure non debet, utpote particularem. 4. Ad paroeciae quod attinet patronum, videndum est quid pro paroecia intelligatur? Paroecia enim saepe pro Ecclesia parochiali sumitur; et tunc, per se loquendo, patronus paroeciae non est patronus loci. Diximus tamen, *per se loquendo*, quia patronus paroeciae, esset in casu illius titulus: et fieri potest, ut titulus Ecclesiae sit etiam patronus loci. Insuper paroecia potest constituere totum pagum aut oppidum, nec non et aliquam civitatem; et tunc paroecia idem esset ac locus, proindeque patronus paroeciae esset patronus loci. Verum fieri quoque potest, ut paroecia, de cuius patrono quaeritur, sit una ex pluribus, quae oppidum, et multo magis civitatem aliquam constituunt; et tunc certum est, patronum paroeciae non esse patronum loci, ut consequenter in casu necessarium sit agnoscere quo paroecia sensu sumatur; et ex loci intelligentia quam dedimus, facile comprehensu erit, utrum patronus paroeciae sit nec ne patronus loci. Ex his iudicet adm. Rev. Inquirens, et ad casum peculiarem principia applicans, propositis dubiis faciet satis. 5. Notandum tamen, patronum loci non recenseri de iure inter Sanctos, quorum fieri commemoratio debet in officio: quod si eiusdem commemorandi consuetudo viguerit, nihil obstat, quominus servetur. Hoc ex pluribus erui tantum potest Decretis, in qua interpretatione concordem habemus etiam cl. De Herdt (*Pars 4, n. 370*). 6. Quod de commemoratione diximus in suffragiis San-

ctorum, intelligendum pariter de eius invocatione in Oratione *A cunctis*, videlicet, patronum loci non esse nominandum, sed tantum illius in qua celebratur, Ecclesiae titulum. Qui tamen si invocari non possit, puta si sit SS. Trinitas, SS. Sacramentum etc. de iure ei sufficiendus patronus loci, dummodo de eo fieri soleat commemoratio in officio, cum quo illa Oratio relationem habet: secus, ut par est, verba *ac Beato* sunt omittenda. V. etiam De Herdt (*Pars 1, n. 84*). Hucusque dicta Decretis pluribus S. R. Congregationis apprime cohaerent.

VIII. *Ex Aretio in Tuscia.* **De commemorationibus in Missa votiva solemni**. Ecclesia B. privilegio gaudet canendi in tertia Dominica Pentecostes Missam Solemnem ut in die Corporis Christi, ob festum populare, dummodo non occurrat aliud festum 1 aut 2 cl. et non omittatur Missa parochialis de festo currente. Ea in Missa debent ne fieri commemorationes occurrentes?

Resp. Negative. 1. Haec enim Missa, uti patet, non est de die, neque de festo, neque de festo translato, sed quae unice ex indulto in dicta Dominica conceditur; est ergo vere et sub omni respectu votiva. Praeterea conceditur ut in die festo; ergo cum *Gloria* et *Credo*. At praeterquam quod Missae votivae privatae, vel privatae rationem habentes, concedi haud solent in Dominicis, Missae votivae, quae cum hymno angelico et symbolo canuntur, maxime diebus Dominicis, nonnisi votivae solemnes esse possunt. Verum in Missa votiva solemni una tantum dicenda est Oratio, consequenter quaecumque occurrens excluditur commemoratio, etiam ex iis, quae nunquam omittuntur, quia Missa huiusmodi est omni prorsus sensu extra officium diei.

2. Admissa etiam distinctione cl. De Herdt inter Missam votivam solemnem pro re gravi, votivam solemnem ad instar pro re gravi, et votivam solemnem, quae privatae rationem habet, eadem sequitur conclusio. Nam si Missa, ut in casu, ad primam vel alteram pertineat, conveniunt omnes Decretis pluribus innixi, nullam in ea commemorationem faciendam. Si vero ad ultimam, nullam quoque commemorationem esse agendam satis perspicue docet *additamentum*, seu Instructio S. R. C. approbata in Decreto 4512, cum sit in cantu, et Missa de occurrenti festo non omittatur.

3. Duo prima Decreta in Dubiis citata, et nos reperire non potuimus in Collectione; ad duo altera quod attinet, nos quoque censemus, ea ad rem non facere. Inferes, in Missa votiva solemni, de qua in casu, unicam dicendam esse Orationem, proindeque et alias omnes, sive occurrentes commemorationes, sive imperatas Collectas, omittendas.

IX. *Ex Ostuno.* **De Missis votivis B. M. V.** Utrum Missa Deiparae immac. legi possit ut votiva? Et num aliae sint exceptiones?

Resp. Affirmative ad primum; certo enim constat ex Decreto *Neapolitana,* d. d. 9 Maii 1884, Dub. V ad 1, quod declarat prohibitionem in casu non includere Missam de immac. Conceptione B. M. V. *Gaudens gaudebo;* idem constat ex recentis Editionis Missalibus. Alias autem exceptiones, praeter Missam de Sept. Doloribus eiusdem B. M. V. extare non credimus, vel certe nescimus, et nullus etiam ex recentioribus auctoribus id docet.

X. *Ex eodem loco.* **De sonitu campanarum festivo in Septuag. Sexag. et Quinquagesima.** Quaeritur, utrum campanarum sonitus in Dominicis Septuag. Sexag. et

Quinquag., sicuti in 3ª Adventus, et 4ª Quadragesimae, debeat esse festivus?

Resp. Affirmative, quia et organa pulsantur in ecclesia; et licet quaedam liturgica in illis Dominicis moestitia incipiat, eiusmodi non est, sicut in Quadragesima. Ceterum festivum nolarum sonitum pro fidelibus convocandis, vel de functionibus, quae aguntur, monendis, nulla lex praefato tempore inhibet, ut nullo iure omitti aut possit aut debeat

Nota. Decretum XI calend. Novembr. 1863, nimia cum temporis iactura diligenter quaesivimus in regestis S. R. C. et alia inter plura eiusdem inscripti diei mensis et anni Decreta, illud reperire non potuimus. Praeterea Decretum in casu esset aperte contra Rubricas, generalem et specialem Breviarii (*Tit. VI, n. 2, et diei 7 Dec. sub fin.*) Hinc quoadusque idem Decretum non perspiciamus oculis nostris, apocriphum tenere officii nostri ducimus.

XI. *Ex Andegavo.* **De ℣. variatione in Vesperis diei 14 Ianuarii.** Quum anno proxime venturo, die 14 Ian. in 1ⁱˢ Vesperis festi S. Nominis Iesu omittenda sit com. S. Mauri Abbatis, utrum pro commem. S. Hilarii dicendus ℣. *Elegit*, vel *Iustum deduxit?*

Resp. Ratio diversitatis ℣. in Breviario inscripti, est eiusdem versus repetitio, quae vitanda est. Ergo cessante ratione, etiam diversitas finem habet, et versus dicendi ut in communi. Atqui anno 1893 eiusmodi ratio non datur, ergo neque versuum diversitas habebit locum, sed de communi sumendi, hoc est, *Iustum deduxit etc.* Ceterum, nonne Rubrica specialis docet: " Si festum S. Pauli transferatur, non variantur antiphona et versus? „ At si in casu nostro non transfertur S. Paulus, omittitur tamen S. Maurus, quod idem est, ergo.

XII. *Ex eodem loco.* **De tabellis secretarum in altari.** Missale typicum editionis Ratisb. 1884 suppressit in fine canonis textum Evangelii *in principio.* Inde ne concludendum, necessarium esse, necessitate dico rubricali, ponere ad cornu Evangelii tabellam secretarum, ut in medio altaris?

Resp. Ita credimus. Ratio simplicissima est: si nempe accidat, ut Sacerdotis memoria in Evangelio S. Ioannis recitando deficiat, nullus praesto esset textus, ut illa adiuvetur. Hinc, ne Missalis a parte Epistolae manentis, usus fiat in casu, consuetudo fere universalis invaluit Evangelium S. Ioannis in tabella ad cornu Evangelii posita inscribendi. Si ergo in Missali eiusmodi Evangelium amplius non inscribatur, consequens est, ad incommoda vitanda, ut tabella secretarum adsit.

Nota. Notitiam de Officio Ven. Bedae quaesivimus, et sequentia certa accepimus: Pustulatum fuit per Angliae Episcopos a S. R. Congregatione anno 1862, cum eidem S. C. a secretis esset Rm̃us, postea Em̃us, Bartolinius, ut Ven. Beda declararetur Ecclesiae doctor, eiusque festum extenderetur ad universam Ecclesiam. Circa primum responsum fuit, Ven. Beda praefato honore non indigere, cum ex se illo gaudeat. Revera in quibusdam Martyrologiis (*V. Adonem in Append. ad Martyrolog. Roman. d. 26 Maii*, appellatur *Doctor celeberrimus*: insuper antiquiorum Ecclesiae Doctorum seriem claudit. Ad alterum quod spectat, petitio inaudita mansit.

XIII. *E Thracia.* **De cantu GLORIA et CREDO in Missa cum cantu, vulgari idiomate.** Potest ne permitti, ut hymnus angelicus et symbolum lingua vulgari concinantur in Missa cum cantu, imo nec per integrum?

Resp. Negative, cum contra intolerabilem abusum omnia iura clament, Rubricae, Decreta S. R. C. Bullae Pontificum, ipseque rectus sensus.

XIV. *E Gallia.* **De Eucharistiae asservatione in pluribus altaribus**. Quomodo intelligenda et concilianda Decreta 5300 ad XIII, et 5874 ad VI?

Resp. Dubia citata pro solutione referre necesse est. Dubium primi Decreti, quod est *S. Iacobi de Chile*, sic se habet: " Utrum ferri possit consuetudo... asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus: et nonnunquam occasione novendialis, aut alicuius festivitatis, transferendi etiam ad aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur? „ Responsum est autem: " Ad XIII negative „.

Decretum istud, saltem ad primam partem quod spectat, nihil obscuri nobis praeseferre videtur, sed satis esse perspicuum. Vetat autem generaliter quominus Eucharistia aut in tribus, aut etiam in duobus altaribus, servetur, uti patet. Neque de hac intelligentia rationabile potest dubium oriri. Id enim abunde constat primum ex lege Caeremonialis Episcoporum (*Lib. I, cap. 12, n. 8*), quod manifeste supponit in uno tantum altari Sacramentum servandum esse. Constat secundo e S. Cong. Episc. quae exigit, ut in Ecclesiis parochialibus et regularibus asservetur Eucharistia in altari maiori, tamquam digniori (*10 Febr. 1579, et 27 Nov. 1549 apud Cavalicri, Tom. IV, cap. V, Decr. XII, n. 1*). Iam nunc pone, asservari Eucharistiam posse in pluribus altaribus, habebisque utramque, seu Caeremonialis seu S. Congregationis legem prorsus inutilem. Praeterea cl. De Herdt (*Pars 4, 179*) eamdem legem referens, aliud citat S. R. Congregationis Decretum 18 Iulii 1597, quod in Analectis Iuris Pontificii reperitur, nec non aliud minus anti-

quum, quod prostat in Collectione authentica, et iubet: " Sacratissimam Eucharistiam servandam esse IN UNO TANTUM ALTARI designando ab Episcopo (*Augustae Praetoriae, 21 Iul. 1696, ad 3*). " In hac autem referenda ac defendenda lege omnes auctores conveniunt; legisque spiritui omnino consonat, ut in Ecclesia eadem unus tantum esse debeat thronus amoris pro Christo, et in altari, quantum fieri potest, digniori. Decreto igitur *S. Iacobi de Chile* mire cohaerent anteriora Decreta, ac aliae leges apprime respondent.

At quoddam exurgit dubium circa alteram partem, quae respicit asservationem Eucharistiae in alio etiam altari, praeter superius dicta, in quod transfertur ob aliquod novendiale celebrandum, vel peculiarem aliquam festivitatem. Licet enim S. R. C. ad hoc quoque Dubium negative responderit, dubitari nihilominus potest, utrum negativa responsio quamcumque asservationem prohibeat, sive toto novendialis aut festivitatis decursu, sive etiam asservationem in ipso actu, quo novendialis vel festivitatis functio peragitur. Sed respondemus, illum esse, haud istum Decreti sensum: ut prohibita dicenda sit asservatio Eucharistiae in duobus altaribus toto decursu novendialis aut festivitatis, non vero actu, quo functio aliqua persolvitur in alio altari ab illo, in quo Eucharistia servatur. Et sane, potissima ratio, ni fallimur, prohibitionis est, ne fideles in pluribus conspiciantur eiusdem Ecclesiae altaribus, eidem obiecto adorationis tribuere cultum. Unus enim Ecclesiae est Dominus, uno ergo in loco, qui dignior sit, esse debet. Nonne duae eiusdem obiecti imagines prohibentur in eadem Ecclesia (*Ord. Praedicatorum, 24 Febr. 1890*)? A fortiori ergo prohibetur, ob expositam rationem, in duobus altaribus Sacra-

mentum. Iam vero eiusmodi ratio omnem vim possidet si de continua agatur asservatione, nullam vero si de momentanea, alicuius tantum tempore functionis agendae. Hoc enim in casu cuncti fideles Eucharistiae uno in loco recolendae operam dant, quae peculiari honoratur et solemniori modo. Praeterea, nonne Sacramentum in duobus asservare altaribus est prorsus inutile, quod fieri non debet? At in casu momentaneae asservationis ratio necessitatis excusat, quae tamen continuae asservationi nullo pacto favet. Adde, tempore alicuius functionis asservationem Sacramenti in alio altari mentes fidelium pene effugere, sed continua non posse quin advertatur: ut simplicitas fidelium induci etiam in errorem queat, ac si, haud unum, sed duo essent diversa Sacramenta. Denique, ratio antiquitatis Ecclesiae, quae semper in uno tantum altari, imo et extra altare, Eucharistiam custodivit, iure merito defensam veritatem absolvit: quae tamen binae asservationi, si momentanea, vix opponitur, sed vero continuae maximopere contradicit. Hinc ad rem Cavalerius: " Ad unum cuiuscumque Ecclesiae locum quod attinet, in quo iuxta decretum tantummodo Eucharistia conservari debet, sermo ibi est de asservatione continua, quae quidem ad fines omnes, ob quos conservatur, sufficit, non autem de temporanea, quae in alio etiam altari quandoque congruis de causis optime haberi potest, puta ad altare, in quo facienda est expositio, vel facta fuit repositio, donec consummatur, aut si ibi Sacramentum deponatur causa illud administrandi cum maiori commoditate tempore maximi concursus etc. (*Tom. IV, cap. VI, Decr. VIII, n. III*). "

Sic negotio explicato, et quidem, uti iure arbitramur, iuxta veritatem, alterum Decretum, quod est in *Cuneen.* nullam iam exposito oppositionem dicit, imo

cum eodem mire cohaeret. En textus: " Utrum occasione alicuius Festi, Tridui, Novendialis, aut Mensis, v. g. Maii... Iunii... liceat SS. Eucharistiam ab altari maiori in qua asservatur, ad altaria transferre in Ecclesiae lateribus erecta, ut in Festo, sive per Triduum, Novendiale, Mensem, et sacra communio in iis distribuatur, et populo benedictio impartiatur? „ Responsio fuit: " Affirmative, dummodo tamen SS. Eucharistia in duobus altaribus continuo non asservetur. „

Equidem hoc dubium potest duplici sensu accipi, ut aliud superius pro secunda parte, nempe: utrum liceat toto decursu Tridui, Novendialis aut Mensis Maii, etc. Eucharistiam asservare in duobus altaribus, vel etiam: utrum eadem in diversis altaribus asservatio haberi possit tempore, quo vel Tridui, vel Novendialis, vel Mensis Maii aut Iunii functio peragitur. Sed expositis in superiori Decreto inhaerentes nos primam intelligentiam respuendam esse censemus, admittendam alteram. Primo, quia ad idem fere Dubium in superiori Decreto S. R. C. simpliciter negative respondit; ergo citra dubium responsio negativa asservationem ad minus continuam tangit. At per recentius Decretum id permisisse S. Tribunal, quod in paulo anteriori negavit, non est credendum, quia responsio est ad tramitem iuris, uti vidimus; ergo hoc ultimum Decretum idem debet quod alterum dicere, videlicet continuam in duobus altaribus eiusdem Ecclesiae asservationem Eucharistiae prohibere. Secundo, quia ratio translationis Eucharistiae in Dubii expositione allata, duplex est, nempe et fidelium communio, et benedictio solemnis populo impertienda. Atqui haec duo momenta functionem temporaneam constituunt; ergo sufficit ut asservatio quoque Sacramenti in alio altari temporanea sit, per quam Oratores voti compotes fiant.

Tertio ipsa S. R. C. ita petitionem intellexit; dubitans tamen ne induci in deceptionem posset, perspicue et positive asservationem continuam exclusit, uti ex relato responsionis textu abunde patet. At asservatio Eucharistiae in duobus altaribus, per integrum, seu diem, seu Triduum, seu Mensem esset vere continua; ergo ea est excludenda in sensu Decreti. Consequenter utrumque Decretum ita est intelligendum, ut quando ratio alicuius functionis postulat Eucharistiam servari in duobus altaribus, a proprio altari in aliud transferatur Hostia maior pro expositione, in illo servatis adhuc Hostiis minoribus, et absoluta functione, iterum ad suum altare transferatur.

XV. *E Pace Augusta in Hispania.* **De modo deferendi Canonicorum cadavera.** Quibusdam in locis consuetudo viget deferendi cadavera Canonicorum e domo in Ecclesiam, media inter comitantes Canonicos. Insuper, cum Presbyterorum cadavera in Ecclesia capite versus altare maius, et pedibus versus templi fores, ponenda sint, dicta Canonicorum cadavera ducuntur e domo in Ecclesiam capite antea, pedibus retro. Quid dicendum?

Resp. Eiusmodi non laudabiles sunt consuetudines ut probari possint, sed potius vituperatione dignae et improbandae. Ad primam certe quod attinet, ea manifeste Rituali Romano contraria est. Porro Rituale (*Tit. VI, c. 3, n. 1*) minute describens modum et ordinem talibus in Processionibus tenendum, docet Clerum, sive regularem sive saecularem, *praecedere* debere feretrum, quod ipse praecedere debet Parochus stola indutus. Ergo cadaver ultimo loco procedere debet in hac processione: quod cetero Liturgici universi tradunt, illudque ut Canonici, vel alii quicumque e clero circumdent nefas est. Neque dicas, exposita vim

generaliter habere pro fidelium cadaveribus, sed hic de Canonicis quaestionem fieri. Etenim, si aliquid diversi agendum esset in Presbyterorum cadaveribus deferendis, Rituale dixisset, sicut advertit modum, quo deponenda sunt in Ecclesia. Cum ergo taceat lex in casu, id significat, communem esse sequendam legem, tam pro fidelibus, quam pro Canonicis. Itaque quod S. R. C. iubet pluribus Decretis suis, servandum nempe Rituale, id faciendum est.

Deferre autem cadaver Canonici capite antea, pedibus retro, profecto ridiculum sapit, ac si Canonico, qui vivus ambulavit pedibus, ius tribui velit, ut defunctus capite ambulet. Consuetudo itaque huiusmodi contradicit recto sensui non tantum liturgico, sed et naturali. Si Rituale exigit, ut Presbyter capite versus altare maius, et pedibus ianuam versus Ecclesiae collocetur, sua sapienti significatione non caret, uti universi auctores exponunt; at quid ritus iste significaret, praeter naturalem ordinis inversionem, plane nescimus. Ritualis autem legem id permittere, asseri sine iniuria non potest.

XVI. *E Regio Lepidi.* **De Hora canonica ante Missam solemnem et processionem.** In die solemni Paschae, si in tertiam Dominicam mensis incidat, Missa pontificalis canenda ne est post Nonam, quando habetur post illam processio?

Resp. Affirmative. Ratio cantus Tertiae, quam Caeremoniale praescribit dum Episcopus paramenta sumit, est ordo in Horis et Missa tenendus. Adeo ut si Missa quaedam solemnis post Horam a Tertia aliam canenda esset, haud Tertia, sed haec alia Hora ante Missam canenda foret. Hinc si Missa quaedam votiva pontificaliter sit canenda, ante ipsam Nona canitur, quia Missa votiva post Nonam dicenda est.

Cum ergo in tertia Dominica mensis processio haberi debeat cum almo Eucharistiae Sacramento, et processio locum habere debeat statim post Missam, quae ex dispositione sapienti S. R. Congregationis, canenda est post Nonam; abunde patet, ante Missam Pontificalem, etiam die Solemni Paschae, Nonam esse canendam, loco Tertiae, dum Episcopus sacris paramentis induitur. Hanc autem dispositionem sapientem diximus, post processionem enim solemnis benedictio impartitur, quacum tota functio explicit. Nonnisi ergo inconveniens esset Capitulo in chorum redire: quod accideret, si post Tertiam caneretur Missa.

XVII. *E Galliis.* **De quadam mutatione in officio ob repetitionem.** Oratio et versus, quae recitantur pro commemoratione S. Mariae usque ad Purificationem in Suffragiis Sanctorum, eadem sunt absolute, quam Oratio et versus post *Alma Redemptoris* usque ad Purificationem quoque. Mutatio ne aliqua facienda est v. g. *Concede nos* et *ora pro nobis* loco Orationis et versus, assuetorum in suffragiis, an non?

Resp. Negative. Ratio est, quia antiphonae finales recitantur post officium; ut partem ipsiusmet officii non constituant. Consequenter, cum in casu agatur de iisdem versibus et Oratione, repetendis quidem, sed post, non intra, officium, deest mutationis ratio. Ad rem Cavalerius: " Antiphonae, in Virginis honorem, quae *post canonicas Horas* dicuntur, respectivae pars Horae non sunt, sed additamentum quoddam, sero in Breviarium Romanum invectum; quaelibet enim Hora per collectam terminatur, unde ab Epiphania ad Purificationem idem versus *post Partum*, et Oratio *Deus qui salutis* dicuntur in suffragiis et post Antiphonam finalem, cum tamen si antiphona finalis esset pars Horae, ex mandato Rubricarum eidem versui et Ora-

tioni variatio adhibenda foret (*Tom. II, Decr. II, n. 1*).„ Cum itaque et pars non sit officii, et Rubrica taceat cum loqui potuisset, nulla mutatio facienda est.

CASUS LITURGICUS

Gerardus Plebanus, suos monet suffraganeos presbyteros, se deinceps fontis benedictionem agere velle, non tantum in Sabbato Sancto, sed et in Vigilia Pentecostes. Florentius parochus S. Liberatae, nulli plebano, uti asserit, subiectus, in Sabbato Sancto fontem non benedicit, quia adiutores non habet, sed tantum in Vigilia Pentecostes, in qua vicinus Parochus, tunc liber, eum adiuvat, sicque aqua baptismalis ab una Pentecoste usque ad aliam in ecclesia S. Liberatae adservatur.

Quaeritur 1.° Gerardus potestne suos suffraganeos cogere ad plebanam accedere, pro fontis benedictione bis in anno? — 2.° Florentius rectene se gerit in casu?

SOLUTIO.

Quamquam ad validitatem materiae in Baptismo aqua naturalis sufficiat, tamen iuxta Apostolicam traditionem, talis aqua requiritur, quae benedicta consecrataque esse debet. De hac benedictione, velut rei ab Apostolorum temporibus refluentis, S. Ioannes Chrysostomus, S. Basilius Magnus, S. Gregorius Turonensis in locis ab eruditissimo Lambertini (Benedict. XIV) in prima celebratarum Notificationum citatis loquuntur.

Sed, cum perantiquus mos fuerit primitivae Ecclesiae, uti neminem latet, baptisma solemniter conferendi tantum in duabus Vigiliis Paschatis et Pentecostes (mos, qui etiam nunc in oratione HANC IGITUR propria Paschatis et Pentecostes expresse memoratur, illis verbis *offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto*) », ita solummodo in illis duabus Vigiliis Fontis benedictio peragebatur. — Legi etiam potest hoc super negotio S. Augustini epistola *de Cereo Paschali*, ad Praesidium Diaconum Ecclesiae Placentinae, inscripta.

Ast, progressu temporis, etsi consuetudo invaluerit quocumque die baptizandi, mos tamen Fontem benedicendi in Sabbatis tantum Paschatis et Pentecostes semper retentus est, uti Catechismus Romanus (*cap. 2.° de Baptismo n. 61*), aperte testatur: « Sed quamvis Ecclesia hoc tempore propter communis vitae pericula eam consuetudinem (baptizandi scilicet, in Paschate et Pentecostes tantum) retinendam non iudicaverit, nihilominus solemnes illos dies Paschae et Pentecostes, *quibus aqua consecranda est*, summa cum religione adhuc observat. »

Et sane, tum Rubrica Missalis, tum Caeremoniale Episcoporum praescribunt, Fontis benedictionem in Sabbatis Paschae et Pentecostes faciendam esse. Idem, a S. R. Congregatione in decretis, *Lucana*, diei 12 Aprilis 1755, et *Urbevetan.* 7 Decembris 1844 confirmatum est: atque id, insuper faciendum etiam in casu, quo nullum Baptisma cum aqua in Sabbato Sancto benedicta adhuc datum sit, eadem Congregatio praescribit. Quapropter citra controversiam Gerardus Plebanus, bis in anno Fontem benedicere omnino tenetur. Quod si aliquis verbis innixus Ritualis Romani (*Tit. II*, *cap. 1*, *num. 3*): « Aqua solemnis Baptismi, sit eo anno benedicta in Sabbato Pentecostes » urgendo vellet arguere, Fontem, ad libitum in uno tantum ex praedictis diebus benedici posse, referre sufficiet nuperum S. R. Congregationis Decretum *Sancti Hippolyti* diei 13 Augusti, anni 1874, quod satis ad rem facit. Etenim de quibusdam Parochis agebatur, Dioecesis S. Hippolyti in Germania, qui consuetudini, et citatis Ritualis innixi verbis, se conferre nolebant ad respectivas eorum Ecclesias Plebanas pro benedictione Fontis, in duobus Sabbatis Paschae et Pentecostes. Episcopus tunc hoc modo ad S. Sedem rem exposuit: « Ad monitionem a Decano factam, Parochi isti, non solum antiquissimam consuetudinem invocarunt, sed etiam ad Ritualis Romani Rubricam provocarunt, quae habet: « Aqua vero solemnis baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis vel Sabbato Pentecostes »: unde inferebant sufficere, ut vel Sabbato Sancto, vel in Vigilia Pentecostes fieret benedictio aquae baptismalis, nec oportere eamdem ex Rubricae mandato fieri utroque Sabbato; et sic eamdem S. Sedem Episcopus interrogavit: « Utrum consuetudo ista tolerari queat, benedicendi aquam baptismalem in istis parochiis dumtaxat semel per annum, videlicet Sabbato Sancto Paschatis? »

Et S. Sedes per S. R. Congregationem respondit: « Aquam baptismalem in Parochiis esse benedicendam in Sabbatis Paschae et Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet ».

Ex hoc ergo peremptorio Decreto, manifeste sancitum manet, absque ulla omnino dubitatione: Plebanos ad benedicendum Fontem teneri tam in Sabbato Paschae, quam in Sabbato Pentecostes; et ideo suffraganeos Parochos ad Plebanas respectivas Ecclesias praedictis in Sabbatis conferre se debere. Sed iam, in citata Notificatione, doctissimus Lambertinius hoc suffraganeorum onus evidenter probaverat. Arroges, id moris fere in omnibus Dioecesibus vigere, ut tam in Cathedrali, quam in Plebanis Ecclesiis, quae sunt Collegiatae, iugiter fons benedicatur non solum in Paschate sed et in Pentecoste. Nec plures desunt synodi eamdem benedictionem praescribentes, uti ex. gr. de qua nobis certa scientia constat, Synodus Placentina anni 1879, pag. 52, n. 10: quae mandat: « Innovamus decretum, statuentes, quod Rectores Sabbato Sancto et Sabbato Pentecostes in Ecclesiam Archipresbyteralem conveniant, cui subditi sunt, ut assistant Fontis baptismalis benedictioni. »

Hisce positis, facile eruitur etiam huius casus secundae partis solutio. Etenim Florentius, si vere sui iuris est, et nulli Plebanae subest, quod probatione indiget, nullo modo ob carentiam Presbyterorum assistentium, in Sabbato tantum Pentecostes Fonti benedicere potest; sed etiam in Sabbato Sancto id peragere debet, Memoriali Rituum Benedicti XIII utens, apposite et studio digesto pro Ecclesiis, ubi unus tantum adest Sacerdos, vel a proximiori Plebana aquam baptismalem petere debet. De more autem qui illi est, ab una Pentecoste ad alteram eadem aqua baptismali utendi, dicimus ipsum omnino contrarium solemni praescripto Ecclesiae, quae per S. Pontificem Fabianum vetuerat, oleo sancto uti antecedentis anni. Si vero in praxi haud ita facile esset ubique praescribere et velle, ut suffraganei omnes ad Plebanam Ecclesiam, cui subiiciuntur, in Sabbatis tam Paschae quam Pentecostes se conferant; praescribi saltem ubique posset Plebanis, ut Memoriale Rituum sequentes, Fonti etiam in Pentecoste benedicant, et suffraganeis ut aquam baptismalem etiam in Pentecoste, nulla quacumque contraria consuetudine obstante, ex Plebana Ecclesia hauriant.

Ergo respondemus: 1.° Gerardum suos suffraganeos cogere posse ad Plebanam accedere, sive in Sabbato Paschae, sive in Sabbato Pentecostes.

2.° Florentium non recte se gerere neque culpa vacare, in solo Sabbato Pentecostes Fontis benedictionem peragentem.

Nota 1. In specimine Calendarii pro anno 1893 in proximo praeterito Ephemeridum numero notandum in festis nobilibus ad *Pentecostes*, *Maii* pro *Iunii* esse legendum. Ad diem 31 Ian. deme ✠. Ad diem 23 Iun. omissa fuit 9 lect. haud quia legenda non est, sed quia res perspicua erat; hinc et inscripta non fuit diebus 25 Iun. 2 et 16 Iul. Idem de initiis sentiendum: quae tantum necessaria erant, posita fuerunt, reliqua omissa: supplendum nihilominus ad diem 26 Oct. *Igitur Eleazar.* quod omissum contra voluntatum fuit. Item *Incipit Tobias* locum habere debet in die 19, haud 18 Sept. Denique die 30 Dec. legendum: De oct. Nativ. sem. com. octav. Consequenter die 31: Dom. Silvestri d. c. dom. et octav.

Nota 2. In 5 Ephem. numero dictum est de quodam Decreto in *Placentina*, quod invenire non potuimus; sed nunc lectores monemus, ipsum existere, inter Decreta tamen S. C. Indulg. uti oculis nostris perspeximus, et, quod magis refert, solutioni a nobis datae circa Indulgentiam lucrandam apprime favere. Hinc quod tantum opinantes argumentati sumus ad pag. 305, n. 11, videlicet Indulgentiam posse lucrifieri, etsi omittatur lectio litterarum Apostolicarum, ex positiva legis declaratione in praesenti omnino certum dicimus.

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

CALAGURRITANA ET CALCEATEN.
RESOLUTIONIS DUBIORUM.

Sac Liturg. summopere sollicitus Rm̃us Dñus Antonius Maria Cascaiares y Azara Episcopus Calagurritanus et Calceatensis, in votis habens, ut Ordo divini officii recitandi Sacrique peragendi pro sibi commissae Dioeceseos Clero adamussim concordet Rubricis, Sacraeque Rituum Congregationis Decretis, insequentia Dubia enucleanda Sacrae eidem Congregationi humiliter exhibuit, nimirum:

Dubium I. Differunt inter se Breviaria in assignando Officio S. Ildephonsi Pont. et Conf. quaeritur itaque an illud sit *Sint lumbi vestri,* prout assignatur in Appendice Breviarii typici Ratisbonae editi anno 1886, et in Codice SS. Hispanorum, vel *In medio* prout in proprio Archidioecesis Toletanae, et in communi pro tota Hispania?

Dubium II. In Officio SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C. quoad ℟. breve ad Primam " *Qui vulneratus es pro nobis* „ standum ne pro Breviariis, et Diurnali Ratisbonensi, vel pro ceteris alibi excusis?

Dubium III. Num corrigendum sit Breviarium ad normam Martyrologii Romani in fine 6ae Lectionis Officii SS. Hemetherii et Celedonii Mm.?

Dubium IV. Quaenam lectio est sequenda pro finali stropha Hymnorum SS. Cordis Iesu, seu Officio respon-

dente Missae *Egredimini*, et in Officio respondente Missae *Miserebitur?*

Dubium V. Cuinam Rubricae standum quoad Lectiones I. Noct. in Officio SS. Iustae, et Rufinae Vv. et Mm.?

Dubium VI. Et quaenam Rubrica sequenda quoad Lectiones I. Noct. in Officio S. Leocadiae V. et M.?

Dubium VII. Ex tribus lectionibus quae adducuntur pro Officio S. Eulaliae Emeritensis V. et M. quaenam est authentica?

Dubium VIII. Quoad lectiones I. Noct. in Officio S. Dominici Silensis et S. Nicolai Factoris occurrentium in casu quidnam recte est tenendum?

Dubium IX. Quaenam lectio retinenda pro tota Hispania circa Orationes proprias in Missa S. Prudentii?

Dubium X. Et quid retinendum, vel cui standum etiam pro tota Hispania circa Orationes proprias in Missa S. Paschalis Baylon, et S. Nicolai Factoris?

Dubium XI. Abstrahendo a particularibus concessionibus, quaenam Missae dicendae sunt universaliter in Festis S. Antonini ac Ss. Gabini et Sociorum, et undenam sumenda sunt Secreta, et Postcommunio?

Dubium XII. Pro Missa Ss. Germani et Servandi Fr. Mm. standum ne Missali Matritensi in tota Hispania, vel Codicibus Ratisbonen. Taurinen. et Barcinonen.? Et quatenus Missali Matritensi, undenam sumenda Secreta, et Postcommunio?

Dubium XIII. In Missa S. Raphaelis Archangeli quaenam lectio est sequenda pro tota Hispania?

Dubium XIV. In Festo Ss. Innumerabilium Mm. Caesaraugustanorum retinenda ne est quoad Orationes in Missa lectio Codicis Ratisbonensis, vel Matriten.?

Dubium XV. Quodnam Graduale est authenticum pro Missa Ss. Aciscli et Victoriae Fr. Mm.?

Dubium XVI. Pro tota Hispania, excepta Archidioecesi Toletana, quaenam Missa perlegenda in Festo S. Leocadiae V. et M.?

Dubium XVII. Exceptis peculiaribus concessionibus quoad 3. Noct., et Missam de Ss. Fructuoso, et Sociis num standum pro tota Hispania Codicibus Ratisbonensi, Taurinensi et Matritensi, qui assignant Homiliam in Evangelium " *Cum audieritis* „ et Missam *Intret* cum 1. Oratione propria: et hoc in casu undenam sumenda Secreta, et Postcommunio?

Dubium XVIII. Habendaene sunt Missae Sanctorum sub hoc numero descriptorum, et Officia propria eisdem Missis respondentia, ut communes pro tota Hispania, vel ut peculiares singularum Dioecesum pro quibus primitus fuerunt concessae?

Dubium XIX. An Sanctus perpetuo collocatus extra propriam diem in Calendario approbato a S. R. C. ob occurrentem Octavam, restitui debeat ad pristinum diem postquam elevatus fuerit ad ritum 2. classis, faciendo in perpetuum de die Octava sicut de Simplici?

Et quatenus negative, an idem dicendum ob occurrentiam alterius Sancti, sola hac differentia signanda, hoc in casu, nempe, ut Sanctus non simplificetur, sed perpetuo transferatur ad primam diem liberam?

Et quatenus Sanctus neutro in casu restitui valeat ad propriam diem, an saltem praeminentiam habeat super Sanctos ante ipsum, et post propriam diem perpetuo collocatos stricto ordine translationis?

Dubium XX. Quomodo Vesperae ordinandae sunt in concurrentia Festi secundarii B. M. V. cum Festo primario eiusdem ritus, nimirum S. Gabrielis Archangeli?

Dubium XXI. Quoad mutationem 3. versus hymni *Iste confessor*, quae non adnotatur pro Sanctorum Of-

ficiis descriptis in Breviario typico, an sit deficientia eiusdem, ita ut sit supplendum in ordinando annuali Kalendario?

Dubium XXII. Circa modum annunciandi in Kalendariis Missam pro Sacerdote, qui unam tantum vel duas vult celebrare in Festo Nativitatis Domini, quomodo intelligenda est clausula apposita in Decreto S. R. C. de die 19 Iunii 1875, videlicet *iuxta Rubricas peculiares eiusdem diei?*

Dubium XXIII. Considerari ne potest in Civitate Calagurritana Festum Ss. Hemeterii et Celedonii diei 3 Martii affixum, velut unum ex solemnioribus de praecepto, ita ut in illo prohibeantur exequiae, et Missa solemnis Defunctorum adhuc corpore praesente, non obstante Decreto 8 Aprilis 1808 in Compostellana, et an in eodem Festo censeantur prohibitae Missae in Oratorio privato in praedicta Calagurritana Civitate?

Dubium XXIV. Quoad Missas, quae prohibentur in Oratoriis privatis num praeter dies enumeratas a P. a Carpo in suo Opere Liturgico enumeranda sint inter prohibita quaecumque Festa modo solemniora, et praeceptiva?

Dubium XXV. Cum dicitur in Missa 2. Oratio *A cunctis*, eligi ne potest pro 3. Oratio pro Congregatione et Familia, idest *Defende?*

Dubium XXVI. Quaenam regula servanda est circa capitis inclinationes in Missa faciendas, quoties occurrat nomen de Sancto, cuius dicitur Missa vel fit commemoratio: an nempe in principio Epistolae et Evangelii, in festo ex. gr. S. Pauli vel Matthaei, an etiam in vigiliis Sanctorum? Et versum quem locum vel obiectum inclinandum est caput, etiam cum nomen B. M. V. aut Summi Pontificis occurrit?

Dubium XXVII. Quibusnam diebus permittitur Missa de Requiem insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum, et ob morbum contagiosum?

Dubium XXVIII. Cum ex Indulto Benedicti XIV, Sacerdotes in Hispania et Lusitania celebrare possint tres Missas in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, modo pro prima tantum stipendium accipiant (sub poena suspensionis): quamnam ex tribus Missis designatis in Indulto, nimirum 1.ª Missa ut in die, 2.ª ut in Anniversario, 3.ª ut in Quotidianis, dicere debeat in Hispania et Lusitania Sacerdos, qui unam celebrare voluerit, in die Commemorationis Defunctorum, sive applicet pro uno, sive non? Et quatenus duas celebrare voluerit, quasnam ex tribus eligere tenetur?

Dubium XXIX. Quoad Lectiones 1. Noct. in Officio Boni Latronis standum ne Decreto in Minoricen. de die 27 Augusti 1836, vel assignationi Breviarii etiam typici Ratisbonensis?

Dubium XXX. Tolerari ne possunt descriptae duodeviginti consuetudines, plus minusve a tempore immemorabili invectae in Cathedrali Calagurritana, quas ipse Episcopus Decretis S. R. C. ac dispositionibus Caeremonialis, ac Ritualis Romani innixus in antecessum reprobat?

Breviter eiusmodi consuetudines indicantur.

1. In solemnioribus Quadragesimae diebus Missa 2. de Feria non cantatur, sed legitur, et quidem in Altari Maiori, et dum in Choro cantatur Sexta, et Nona. Insuper praedicta Missa, licet lecta, dicitur cum Sacris Ministris.

2. In Missis cantatis de Requiem, licet de die obitus, non canitur nec una stropha sequentiae *Dies irae*.

3. Ad exponendum SS. Sacramentum in Festo, et diebus infra Octavam Corporis Christi suspenditur in

medio Altaris pallium rubrum ad instar magni conopei, in cuius centro collocatur thronus pro Ostensorio.

4. In Processione SS. Sacramenti Sacra Eucharistia defertur plurium Sacerdotum humeris.

5. In Feria 4. Cinerum, non Canonicus celebraturus, sed 1. Dignitas imponit cineres Episcopo.

6. In Missis Solemnibus (non Defunctorum) celebratis ab Episcopo, non adhibetur septimum candelabrum.

7. In Processionibus intra Ecclesiam, quibus intervenit Episcopus cum Mitra, Canonici incedunt capite cooperto.

8. Episcopo Divina pontificaliter paragente, Capellanus, sive dum ipse Episcopus legit, sive dum cantat, librum sustinet.

9. Tempore Passionis velantur tantum Cruces Altarium, minime vero Imagines.

10. Finito Evangelio Missae Solemnis, cui assistit Episcopus cum Cappa, thurificatur Episcopus non Celebrans.

11. Feria Sexta in Parasceve, rediens Processio ab Altari Sepulchri, SS. Eucharistiam accipit de manu Episcopi Diaconus assistens, et non Diaconus Evangelii.

12. Dum Sabbato Sancto proceditur ad benedictionem novi ignis et incensi, defert Crucem Subdiaconus alius a cantaturo Epistolam, et quidem cum ceroferariis.

13. Presbyteri Reliquias deferentes procedunt capite cooperto.

14. Personarum thurificatio fit duplici thuribulo.

15. Ad absolutionem cantandam ad tumulum corpore absente, Crucem non defert Subdiaconus Missae, sed Sacrista tonsura tantum insignitus, qui collocatur medius inter tumulum, et Altare.

16. Cum aliquis ex Capitulo aegrotat, Missam cantat pro infirmo, post Primam, capitularis alius, et Missa quae cantatur, est ipsamet de Festo canendo post Tertiam.

17. In Missa cantata duo apponuntur Missalia, unum in cornu Epistolae, et aliud in cornu Evangelii.

18. Ex concessione privilegii, quae ut dicitur certo non constat, in Dominica infra Octavam Ss. Hemeterii et Celedonii canitur Missa de iisdem Sanctis ad modum Votivae solemnis.

Ad Dubium 1. Servandam esse lectionem, quae prostat in proprio Archidioecesis Toletanae, utpote magis consonam, et correlativam ad Missam, quae communiter assignatur videlicet, *In medio*, praesertim pro universo Hispaniae Regno, in quo S. Ildephonsus merito habetur, et veneratur ut Ecclesiae Doctor, etsi uti talis non sit adhuc a S. Sede declaratus.

Ad 2. Standum pro Breviariis, et Diurnali Ratisbonensi.

Ad 3. Corrigendum Breviarium ad normam Martyrologii, nempe *quinto Nonas*, ut respondeat ad diem tertiam Martii.

Ad 4. Iuxta Decretum in Taurinen. diei 12 Septembris 1857, nimirum *Iesu tibi sit gloria* in Officio, cui respondet Missa *Egredimini*, in alio autem Officio, cui respondet Missa *Miserebitur*, conclusiones Hymnorum minime sunt variandae.

Ad 5. Standum Rubricae, quae legitur in Codicibus SS. Hispanorum.

Ad 6. Tenendam Rubricam codicis Ratisbonensis, utpote generaliter servatam.

Ad 7. In posterum habendam ut authenticam Rubricam, quae annuntiatur in codice Ratisbonensi.

Ad 8. Utroque in casu legantur lectiones habita ratione ad aetatem.

Ad 9. Exceptis Dioecesibus Calagurritana et Calceaten. retinendam lectionem codicis Ratisbonensis.

Ad 10. Standum pro primis.

Ad 11. Abstrahendo in casu a particularibus concessionibus factis uni, vel alteri Dioecesi, quibus standum est, servandos codices Ratisbonenses in assignandis Missis pro utroque ex laudatis Sanctis.

Ad 12. Ut in praecedenti.

Ad 13. 14. 15. Authenticam lectionem codicis Ratisbonensis retinendam.

Ad 16. Excepta Archidioecesi Toletana quoad Missam S. Leocadiae, in tota Hispania retinendam lectionem, quae traditur in Codicibus Ratisbonensi, Taurinensi, et Barcinonensi.

Ad 17. Servatis peculiaribus concessionibus pro tota Hispania, adhibenda Missa *Intret*, et Secreta ac Postcommunio sumenda ab ea.

Ad 18. Cum non constet de Decreto extensionis Missarum descriptarum et Officiorum eisdem respondentium ad universam Hispaniam, sequitur ipsas Missas esse habendas uti peculiares singularum Dioecesum, quibus primitus concessae fuere.

Ad 19. Negative in omnibus:

Ad 20. Dilata.

Ad 21. Supplendum in redactione Kalendarii.

Ad 22. Servandum Decretum diei 19 Iunii 1875, idest Sacerdos qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam respondentem circiter horae diei, nimirum *primam* Missam si in media nocte, *secundam* si in aurora, *tertiam* si post auroram celebret.

Ad 23. Iuxta Decretum 12 Decembris 1867 Negative ad primam et secundam partem.

Ad 24. Standum indultis particularibus.

Ad 25. Negative.

Ad 26. Inclinationem capitis faciendam in festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur, minime vero in initiis Epistolae et Evangelii; et ad nomina B. M. V. aliorum Sanctorum et Summi Pontificis inclinationem dirigendam versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali altaris habeatur statua vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam, quia expressius repraesentant, caput inclinatur.

Ad 27. Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humanum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut Missa exequiatis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittitur.

Ad 28. Quoad primam Missam, ut in die Commemorationis: quoad secundam, ad libitum.

Ad 29. Servandum quod praescribitur in typico Breviario.

Ad 30. Descriptas consuetudines non esse prorsus tolerandas, imo tamquam abusus et corruptelas reputandas, et ab Episcopo gravissimis rationibus adductis suffulto, pro sua prudentia sensim sine sensu penitus tollendas, exceptis tamen insequentibus iuxta respondentes resolutiones, nempe:

Ad 3. Posse servari.

Ad 16. Reprobanda; sed addi poterit in Missa conventuali de consensu Episcopi collecta pro infirmo: salvis Rubricis.

Ad 18. Conceditur privilegium vigore facultatum a SS. D. N. Leone XIII specialiter tributarum S. Cong.

Ad 19. Attentis loci adiunctis, tolerandam.

DUBIA ADDITIONALIA.

Dubium I. Non obstantibus Decretis diei 2 Maii 1867 et 12 Decembris eiusdem anni, quaeritur:

1. An S. Dominicus annuntiandus sit in posterum Patronus totius Dioecesis, vel tantum Civitatis Calceatensis?

2. An hoc Festum sit praeceptivum pro Civitate Calceatensi?

3. An colendum sit sub ritu duplici 1. cl. cum sua Octava in universa Dioecesi extra Calceatensem Civitatem?

4. An in Missa dicendum sit *Credo* extra Civitatem Calceatensem?

5. Cum hic sit consuetudo recitandi commemorationem Patroni Dioecesis inter suffragia, an comprehendenda sit commemoratio S. Dominici inter communes commemorationes Sanctorum?

Dubium II. An in Missa SS. Angelorum Custodum diei 2 Octobris facienda sit commemoratio S. Angeli Regni Hispani Custodis. cuius Festum celebratur die praecedenti cum Octava?

Dubium III. An in administranda infirmis S. Communione non per modum Viatici, servandae sint tam extra quam intra cubiculum infirmi omnes caeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione Viatici, exceptis tantum verbis " Accipe Frater, vel Soror? „

Dubium IV. In Offertorio Missarum Dominicae 2. Adventus, et Feriae 6. post Dominicam 3. pariter Adventus, quaenam lectio est recta, *Deus tu convertens*, vel *Deus tu conversus?*

Dubium V. In Oratione propria SS. Prudentii Ep. Conf. et S. Pantaleonis M. praeponendum ne est nomen adiectivum *Beato, Beatum?*

Dubium VI. Quaenam lectio est sequenda post Introitum Missae S. Isidori Agricolae?

Dubium VII. An in Graduale Missae S. Ferdinandi Regis, tempore Paschali addendum sit ℣. *Iustus germinabit?*

Dubium VIII. An novum Festum S. Silvestri Abbatis assignatum in die 26 Novembris sit praeferendum Festo Desponsationis B. M. V. reposito in praefato die?

Dubium IX. Utrum usus, qui fere evasit communis, non leviter imbuendi amylo Corporalia, retineri possit?

AD DUBIA ADDITIONALIA.

Ad 1. Quoad 1 quaestionem, S. Dominicus annuntiandus tantum uti Patronus secundarius civitatis Calceatensis: ad 2 Negative: ad 3 Negative etiam in civitate Calceatensi: ad 4 ut in praecedenti: ad 5 Negative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative, iuxta Ritualis Romani praescripta, exceptis excipiendis.

Ad 4. In casu recte legendum *Deus tu conversus.*

Ad 5. 6. Servandam typicam editionem.

Ad 7. Affirmative.

Ad 8. Negative, eo quod pro tota Hispania Festum Desponsationis Deiparae ab Apostolica Sede affixum fuit diei 26 Novembris tamquam in die propria.

Ad 9. Usus utpote communis in casu potest retineri.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 13 Febr. 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

ADNOTATIONES

SUPER RELATO DECR. *CALAGUR.* ET *CALCEAT.*

1. Plura relati Decreti dubia prorsus particularia sunt, quorum proinde utilitas vix omnibus ecclesiasticis favet, ut ea retulisse contenti, nihil super iisdem animadvertere iudicemus. Nonnulla vero Rubricas quasdam tangunt, et, quod magis refert, ius liturgicum respondentes resolutiones mutant; adeo ut opportunum censeamus, super haec aliquid peculiarius notare.

2. Primum quod se exhibet, est responsorium breve ad Primam, de quo in Dubio II, in officio Quinque Vulnerum. Hucusque enim *Qui vulneratus es pro nobis* legebatur tantum ad Primam officii de Lancea et Clavis D. N. I. C. In praesenti vero placuit S. R. Congregationi hoc idem responsorium proprium addere etiam ad eamdem Horam in officio Quinque Vulnerum eiusdem D. N. I. C. Ea propter omnibus obligatio inest ecclesiasticis, qui ad Horas canonicas tenentur, haud communi responsorio utendi in praefato officio recitando, sed proprio, sicut in recentioribus Editionibus typicis prostat, quibus standum, et in aliis quibuscumque Editionibus imprimendum est. Quanta autem haec mutatio sapientia sit invecta, vix dicere oportet, cum de quinque agatur vulneribus, quae Christus in suo corpore dignatus est pati; nil ergo magis congruit, quam ut eorum peculiaris ad Primam memoria fiat.

3. Dubii IV ratio est discrimen Breviariorum circa conclusionem hymnorum SS. Cordis Iesu, ius tamen certum est, ut proinde Dubium istud inquirat id, quod perspicuitate maxima iam fuerat declaratum. Sane Dubium II Decreti *Taurinen.*, 12 Sept. 1857, quaerebat: " An hymni in festo Sacratissimi Cordis Iesu concludi debeant per stropham: *Iesu, tibi sit gloria*, etc. „. Responsum fuit vero: " Affirmative in officio, cui respondet Missa *Egredimini*; negative vero in alio officio, cui respondet Missa *Miserebitur*, in quo conclusiones hymnorum minime variandae sunt „. Negotium itaque iam certum nulla ulteriori declaratione indigebat; sed discrepant Editiones, ergo emendentur. Decretum in Calagurritana et Calceaten. quod ad idem Decretum in *Taurinen.* sapienter appellat, observandum proinde erit in omnibus futuris Editionibus Breviarii ad normam typici, quod iuri liturgico perfecte respondet.

4. Animadvertendum etiam aliquid circa responsionem ad Dubium VIII. Inquiritur quaenam lectiones legendae in primo Nocturno officii, seu S. Dominici Silensis, seu S. Nicolai Factoris. Ratio est, uti ex ampliori Dubii expositione constat, quia in Codice Ratisbonensi assignatur *Beatus vir*, pro S. Dominico si venerit in Quadragesima: pro S. Nicolao, si occurrerit in Sabbato Quatuor Temporum, assignatur *Iustus si morte;* alia quaedam nihilominus Breviaria pro utroque Sancto non conveniunt. Responsum est autem: " Legantur lectiones, habita ratione ad aetatem „. Ut sapientiam responsi huiusce inferamus, animadvertendum est, iam ab anno 1835 fuisse exquisitam S. Congregationem, unde essent sumendae lectiones primi Nocturni pro officio S. Raymundi de Pennafort, si forte in Quadragesimam translatus esset; responditque: " Regula in casu desumatur ex le-

ctionibus tertii Nocturni (*Namurcen. 23 Maii 1835, ad 4*) „. At idem Tribunal, die 5 Maii 1736 aliud pro S. Alexio responsum dederat in Decreto *Einsidlen.* ad 21. Dubium enim: *Quae lectiones primi nocturni sint legendae in festo S. Alexii*, sic resolverat: " Omnino de communi, et quae positae sunt primo loco, nisi aliae sint in eodem communi, quae magis sint accommodatae virtutibus et rebus gestis Sanctorum, de quibus ea die fit officium „. In praesenti vero Decreto edicitur lectiones legendas, habito respectu ad aetatem. Quid ergo concludendum pro generali norma in similibus tenenda? En noster sentiendi modus. Decretum *Namurcen.* docet regulam desumendam ex lectionibus tertii Nocturni; at lectiones pro tertio Nocturno officii S. Raymundi assignatae in Breviario Romano, sunt *Sint lumbi vestri*. Ex quo sequeretur in primo Nocturno dicendas esse *Iustus si morte* etc. At quomodo hae lectiones convenire possent S. Raymundo, qui prope centenarius obiit in Domino, uti Breviarium Romanum refert? Praeterea, quomodo id cohaereret cum alterius Decreti lege, lectiones seligendas, si aderint, virtutibus gestisque Sanctorum magis accommodatas? Denique, nec cum praesenti Decreto eiusmodi doctrina conveniret, quae mandat ut in lectionibus eligendis respectus ad aetatem Sanctorum habeatur. Hinc arbitramur, legem quidem esse generalem, ut lectiones primi Nocturni, vel e primo vel e secundo loco sumantur, secundum quod, vel primo vel altero loco habeantur lectiones tertii Nocturni. At in casibus particularibus pro Ss. Confessoribus, eae sunt legendae, quae virtutibus ac gestis uniuscuiusque Sancti magis respondent. Quod idem est ac dicere, in lectionibus primi Nocturni legendis aetatem considerandam esse, uti praesens edicit Decre-

tum. Itaque ab alia peculiari lege abstrahentes, quae si fuerit, servanda citra dubium erit, pro Ss. Confessoribus, qui in Domino obierunt plus quam quadragenarii, lectiones primi Nocturni erunt *Beatus vir;* pro iis qui cesserunt e vita ante annum quadragesimum, erunt lectiones *Iustus si morte.* Id credimus erui certo posse ex Decretis, maxime *Calagurritana*, de quo agimus. Optandum sane interim, ut calendariorum redactores explicite in tot casibus, qui accidunt, seu ratione Quadragesimae, in quam nonnulli Ss. Confessores incidunt, seu ratione translationis, in calendariis indicarent, quaenam lectiones legendae in primo nocturno, ne officium recitantes, pro munere fungendo angelorum studere cogantur.

5. Aliud Dubium, cuius gravitas, responsione inspecta, ad omnes spectat, maxime calendariorum redactores, est XIX. Quaeritur itaque de Sancto, qui ratione diei octavae perpetuo occurrentis, amotus fuit a sua propria sede, et in alia non propria assignatus, utrum si evehatur ad ritum duplicem secundae classis, restituendus sit in suam diem, etsi dies octava perpetuo redigenda foret ad ritum simplicem. Porro S. R. C. absolute respondet negative, et quidem sapienter. Est enim omnino inconveniens, ut dies octava, quae translationem nullam patitur, perpetuo redigatur ad instar simplicis. Ratio petitionis fortasse fuit, quia duplex secundae classis praevalet in occurrentia diei octavae, dum haec, licet duplex minus, duplici alii minori et etiam maiori non cedit officium. At aliud est temporanea, aliud occurrentia perpetua, de qua hic agitur, et quae supradictum afferret inconveniens, quod in casu saltem admitti non debet. Adeo ut quamvis Sanctus extra diem suam positus, ad propriam quodammodo clamet; nihilominus, ra-

tione translationis perdurante, scilicet illa sede ab octava die iure occupata, adhuc extra diem propriam Sanctus manere debet; et iure revertendi in diem suam tum solum gaudet, cum haec libera evaserit, uti universi docent auctores. Stat ergo sapiens sacri Tribunalis dispositio, ut Sanctus in die non propria manere debeat, propria ab octava die impedita, haud obstante eius evectione ad ritum duplicem secundae classis.

At ulterius inquiritur, utrum idem quoque sit dicendum, si dies propria, non ab octava die esset impedita, sed ab alio Sancto, qui proinde non esset redigendus ad instar simplicis, sed in primam diem liberam transferendus. Et S. R. C. huic quoque dubio negative respondit. Dubium de ritu, quo gaudet Sanctus, qui alterius Sancti constituit impedimentum, penitus silet; sed evidenter inferioris est ritus, secus petitio non inveniret locum. Item tacet dubium, utrum Sanctus idem sit nec ne in die sua, quod tamen fortasse supponit; secus vix intelligeretur quare ipse sedem alterius Sancti propriam occuparet. Equidem si Decretum consulas in *Brugen.* reperies a die 25 Maii fuisse perpetuo translatam S. Mariam Magdalenam de Pazzis, ut locus fieret S. Gregorio VII; quia illa, etsi in die propria, ritus semiduplicis erat, iste vero duplicis (*23 Iun. 1736 ad 4*). Nonne casus noster identicus? Discrimen forte est, quod in illo de novo agebatur Sancto superioris ritus, cuius festum erat statuendum pro universali Ecclesia, ut S. R. C. communem legem sequi voluerit tribuendi potiori festo diem natalem, alteri inferioris ritus aliam diem stabiliens pro festo: in isto vero de duobus Sanctis agitur in particulari calendario insertis, qui nescitur utrum ad universalem Ecclesiam spectent, et ex quibus unus ad

potiorem ritum evehitur. Hinc opportunius, quantum videmus, iudicatum est, in casu, negative respondere.

Ni tamen fallimur, regula quae ex citato Decreto in *Brugen.* infertur, in iisdem, inquam, casibus, est sequens: Quando eadem dies est propria pro duobus Sanctis, illi tantum eadem dies propria assignatur, qui potioris est ritus, a fortiori si addatur et maior dignitas. Ita nuper quoque factum est Romae et alibi, diei 11 Februarii affigendo festum Apparitionis B. M. Immaculatae a *Lourdes* dictae, et in primam diem liberam reponendo festum Ss. Septem Fundatorum, vel S. Anteri. Ceterum, quaestio haec est, quae adhuc insoluta agitatur.

Denique hunc Sanctum in die non propria repositum, nulla edicitur gaudere debere praecedentia super alios Sanctos, qui sedes occupant post illam, a qua amotus fuit. Nam, ut quid ista praecedentia? Sanctus iste in die non sua stat, et ob eiusmodi praecedentiam non acquirit diem suam; ut quid ergo calendarium perturbare?

6. Dubium XX solummodo Dilata pro responsione habuit. Agit enim de nota inter primaria et secundaria festa quaestione, quae impraesenti apud sacrum Tribunal Rituum omni cura, studio ac gravitate pertractatur. Hinc nonnisi expectandum, ut illa exeat e S. Congregatione dispositio, quae suae sapientiae melior videbitur.

7. Notatu peculiariter digna est solutio Dubii XXI. Agitur de quibusdam Ss. Confessoribus, quorum officium extra diem mortis, seu natalem, celebratur, et fere omnes Editiones, Ratisbonensi haud excepta, consuetam tertii versus mutationem in hymno *Iste Confessor* haud inscribunt. Quaeritur itaque, utrum calendariorum redactores supplere defectum debeant, et af-

firmative resolvitur. Ex quo palam sequitur, in futuris Editionibus, haud typica exclusa, esse addendam mutationem, ut defectus emendetur. Sancti Confessores, quos Rmus Episcopus Calagurritanus notat, sunt: Braulius Ep., Turibius de Mogroveio, Commemoratio S. Iuliani Ep. et S. Froiolani pariter Ep. nec non S. Petrus Damianus. De hoc ultimo, qui 22 obiit, et 23 Februarii celebratur, notum est mutandum esse tertium versum, quia sola fit commemoratio in primis Vesperis, concurrit enim perpetuo cum Cathedra antiochena S. Petri.

8. Sed maximam Dubium XXVII eiusque resolutio praeseferunt gravitatem. Equidem fatendum aliquid obscuritatis apparere in Decretis inter se collatis, *Caurien.* 9 Iunii 1884, et *Palmae in Balearibus*, 11 Mart. 1862. Quidquid nihilominus sit, per praesens Decretum res mirum in modum elucescit; ita ut omnibus praeteritis Decretis posthabitis, hoc unum teneri ab omnibus possit; imo debeat, cum de bono animarum agatur, quae piacularibus flammis sunt addictae. Itaque, si ex tristitia temporum vel ex aliquo contagioso morbo, cadaveris praesentia haberi non possit in Ecclesia, ad Missam cum cantu quod attinet nihil interest. Imo, nil quoque refert, si vel ex lege, vel ex morbo, humari cadaver debeat antequam Missa exequialis cantari queat. Etenim, humato quoque cadavere, Missa cum cantu permittitur, nec plus nec minus, ac si physice praesens foret. Limes tamen ponitur *dummodo non ultra biduum*, ne dies obitus cum die tertia, quae suis privilegiis gaudet, confundatur. Super quo benigniori indulto notabimus, diem mortis et depositionis, seu sepulturae, posse pro uno eodemque sumi. Ergo biduum, de quo Decretum, triduo ab obitu aequivalere etiam potest: quo in casu nil vetat quo-

minus dies tertia, ut intacta maneat, quatriduo consequenter aequivaleat. Sic fidelium pietati in defunctos, sicut et ecclesiasticorum, satisfacere voluit S. R. Congregatio, quod profecto erit omnibus gratissimum.

II.

BELLUNEN. ET FELTREN.

RESOLUTIONIS DUBIORUM

Rmus Dñus Salvator Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. Sacrae Rituum Congregationi haec quae sequuntur humiliter exposuit.

Pontificale Romanum de Altaris portatilis consecratione agens, nusquam de caementi benedictione ad firmandum parvi sepulcri operculum verba facit; et solummodo praecipit ut Episcopus, sacris in eodem sepulcro Reliquiis repositis, illud claudat. Hinc Episcopus Orator hac in re obsequens iis, quae tradit cl. Martinucci in Manuali sacrarum caeremoniarum, quamplura Altaria portatilia pro utraque sua Dioecesi consecrans, neque caementum benedixit, nec sepulcra ipsemet lapideo clausit operculo; id muneris adsistentibus Sacerdotibus relinquens, qui fortasse aqua non benedicta in caemento conficiendo saepe usi sunt: de episcopali vero sigillo super sepulcra imprimendo ne quidem cogitavit: et in Pastoralibus visitationibus si quando lapidem sepulcri reperiit minus firmiter caemento connexum, illud novo addito caemento, a Parocho, vel alio Sacerdote firmari iussit. Perlectis deinde recentioribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis, praesertim in *Policastren.* diei 23 Iunii 1879, in *Lucana* diei 3 Septembris 1879, in *Vivarien.* diei 28 Fe-

bruarii 1880, *S. Ioannis in America* diei 15 Decembris 1882 et in *Ravennaten.* diei 18 Maii 1883, dubium exortum est, utrum recte quae exposuit gesta fuerint. Hinc idem Rm̃us Episcopus insequentia dubia pro opportuna declaratione eidem Sacrae Congregationi enodanda proposuit, nimirum:

Dub. I. *An in posterum coementum pro firmando in Altari portatili sepulcri lapide, benedicendum sit ritu pro Altari fixi consecratione praescripto?*

Dub. II. *An ipse Episcopus idem sepulcrum coemento linire et lapide claudere debeat?*

Dub. III. *An Episcopale sigillum super parvum sepulcrum Altaris addendum sit?*

Haec porro dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum votum typis cusum protulit, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto, proposita fuerint in ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis; Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Si agatur de unico Altari portatili consecrando, affirmative; si vero agatur de pluribus aris portatilibus consecrandis, satis est ut Episcopus liniat coemento labium sepulcri unius Arae; et dum ipse prosequitur in Sacrarum Reliquiarum repositione, adsistentes Sacerdotes lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragant.*

Ad III. *Iuxta Decretum in Vivarien. diei 28 Februarii 1880, sigillum Episcopale apponi posse, sed non debere.* Atque ita rescripserunt et declararunt die 10 Maii 1890.

VOTUM

RMI D. D. BALTHASSARIS BACCINETTI
APOSTOLICARUM CAEREMONIARUM MAGISTRI
SUPER RELATO DECRETO.

Emi et Rmi Patres,

Iam inde a mense Novembri proxime elapsi anni, obsequentissimis litteris ad Emum huius S. R. Congregationis Praefectum datis, Rmus Episcopus Bellunen. et Feltren. difficultates quasdam dubiaque, quoad altaris portatilis consecrationem, exponebat, simulque et methodum pluries ab Ipso, tali in sacra actione peragenda habitam, describebat. Hinc praelaudata S. R. Congregatio munus accurate examinandi totum obiectum memoratae Epistolae mihi committere dignata est, ut meam inde aperirem mentem. Ea qua par est diligentia vere honorificum hoc munus perficiens, iam ab initio meum puto, omnia sapientissimo et competentis auctoritatis vestro iudicio subiicere.

Et imprimis notare mihi liceat, quod etsi in quibusdam dispositionibus, ac Rubricis Pontificalis Romani maior perspicuitas desiderari posset, eamdem illud exhibens se exprimendi rationem contractam ac ante Reformationem; nihilominus, cum prudentem sanamque non excludant interpretationem, Doctorum explanationibus, ac S. R. Congregationis declarationibus Decretisque roboratam, facile enodari possunt difficultates et dubia, quae ut plurimum apparentia, aut nullius momenti iudicanda sunt.

Certum est, Pontificale quum de Altaris portatilis consecratione loquitur, et peculiariter post unctionem S. Crismatis in interiori sepulcruli parte factam, haud

clare loqui, dum dicit: *Pontifex, deposita mitra, recondit reverenter Reliquias cum tribus granis thuris in tabula sive Altari, et sepulcrum Reliquiarum huiusmodi claudit.* Si materiali sensui horum novissimorum verborum inhaerendum esset, modus proprius sepulcruli claudendi comprehendi nequiret: maxime. cum in Rubrica, quae describit quidquid parari pro dicta consecratione debet, de caemento mentio non fiat. At ob hoc Rubricae silentium, dicendum ne erit, caementum locum non habere, aut minime esse necessarium in sepulcrulo claudendo? Non ita sane. Etenim si illud arctum strictumque nexum mature perpendatur, quod substantialiter Altaris portatilis consecrationem altaris fixi consecrationi coaequat (quibusdam differentiis quoad formam exceptis), sive in aspersionibus. sive in unctionibus ac thurificationibus, sicuti et in SS. Reliquiarum repositione; necessitas consequenter exurgit interpretandi modum, quo Pontificale se exprimit, nec non Rubricam ipsam superius enunciatam, iuxta praescriptum eiusdem Pontificalis, circa medium Ss. Reliquias claudendi in sepulcrulo Altaris fixi: ut inde eadem eliciatur conclusio, eamdem scilicet esse methodum tenendam dicta in actione, etiam cum altare portatile consecratur.

Necessarium existimavi, hucusque dicta praeponere, ut sic nervos potioris difficultatis Rm̃i Episcopi Bellunen. super benedictione nempe caementi, melius recidere valeam.

Extra controversiam est, quidquid altaris consecrationi inservit, benedici debere; ea propter specialis benedictio in Pontificali reperitur, et pro aqua, pro sale, pro vino, pro cinere, pro granis thuris, pro caemento etc. Si ergo specialis benedictio etiam pro caemento praescripta est, liquido patet, ipsum adhiberi

minime posse ante eius benedictionem, haud solum in casu consecrationis Altaris, tum fixi tum portatilis, sed nec quoties extra dictum solemnem actum eo utendum est. Nempe, si accidat vel integra vel partialis aliqua fractio sepulcruli SS. Reliquias recondentis, et Episcopus a S. Sede dispensationem obtinuerit execratum Altare denuo privatim consecrandi, vel ad eam solummodo quod spectat partem, quae repositionem SS. Reliquiarum respicit: vel, Reliquiis haud remotis, neque ipso lapide, ad exactam tantum quod pertinet sepulcruli conclusionem caementum applicans benedictum, hisce, inquam, in casibus caemento utendum est benedicto, uti constat ex declarationibus S. R. Congregationis. Posito ergo, modum loquendi Pontificalis parum esse perspicuum, interpretandus est, comparandusque cum aliis eiusdem Pontificalis loquendi modis; nec non ad aliam, si dubium oriatur, eiusdem Pontificalis partem pergendum erit, quae de simili agit caeremonia, vel affini. Insuper, posita indubia lege omnia benedicendi, quae pro consecratione altaris occurrunt, iam soluta mihi videtur Emi Ep. Bellunen. difficultas super caemento in consecratione Altaris portatilis adhibendo.

Neque ut benedictionis, de qua in casu, necessitatem excludat, eidem Rmo Episcopo suffragari ullo pacto valet, aut Pontificalis silentium, aut auctoritas Manualis, quod ipse citat, Martinucci; auctor enim supponit ibi caementum iam necessario benedictum esse, ideoque *aliquantulum aquae sacratae* infundendum super caementum eo in loco solummodo docet. Insuper, ut iam ostensum est, eadem methodus sequenda est in Altaris tum fixi tum portatilis sepulcruli conclusione. Pontificale enim dum de sepulcrulo Altaris fixi loquitur, haec habet: " Pontifice incipiente, caementarii cum caemento benedicto firment ipsam tabulam, seu

lapidem super sepulcrum „. Ergo manifeste apparet, quid Episcopo agendum sit post repositionem SS. Reliquiarum una cum tribus granis incensi, et quid etiam ab aliis agendum sit in consecratione unius aut etiam plurium tabularum. Notandum nihilominus est, in hoc secundo casu, Episcopum postquam parum caementi primae tabulae immiserit, in aliis tabulis nonnisi SS. Reliquiarum repositionem agere, dum Sacerdotes assistentes *caementi lituram, et cuiusque sepulcri clausuram peragunt.*

Ut autem alteri eiusdem Rm̃i Episcopi observationi faciam satis, dicam, Pontificale (multoque minus eiusdem Interpretes ac Expositores) mentionem facere haud posse de sigillo cera hispanica imprimendo super Altaris portatilis sepulcrulum. Etenim necessarium minime est, et facile ex tobaleis atteri potest; imo ex Constitutione Alexandri III, in textu Canonico inserta, sigillum Altaris nonnisi parvus lapis est caemento linitus, qui sepulcrulum SS. Reliquias recondens claudit. Quod si aliquibus in Dioecesibus praefatum sigillum cera hispanica confectum adhibetur, ipsum tamen haud est in praecepto ob allegata momenta; et S. R. Congregatio, de hoc negotio rogata, declaravit, tantum “ (sigillum) *apponi posse* (1) „.

Rm̃us Episcopus Bellunen. tandem rationem se exprimendi, ad caementum quod spectat, Pontificalis minus recte accipiens, ac nimis fortasse literaliter doctrinae Auctoris Manualis inhaerens, minute me-

---

(1) Nil praesenti animadversione sapientius, huiusmodi enim sigillum ex arbitrio est. De illo agunt Decreta *Cenomanen.* n. 4805, *Cadurcen.* 5037, et *Vivarien.* 5803. Optandum sane, ut Pontificale adamussim servetur, nihilque hac in re novi inducatur, ne cum lege libertas confundatur (*Redactio*).

thodum, quam Ipse sequutus est in consecratione plurium Altarium, describit, necnon dispositiones in Pastorali Visitatione suae Dioecesis emissas, cum aliquem in consecratione Altaris portatilis defectum agnovit. Ceterum idem Rm̃us Episcopus ex quibusdam postea S. R. Congregationis Decretis cognoscens, quandoque limites se suae potestatis praetergressum fuisse, ante ipsam dubiorum solutionem, humillime Apostolicam sanationem (1) implorat, quam SSm̃us D. N. Leo Papa XIII benigne concessit, dubiaque S. Congregationi enucleanda remisit. En itaque dubia et responsiones, quae, meo iudicio, dari possent.

DUBIA.

I. An in posterum caementum pro firmando in Altari portatili sepulcri lapide, benedicendum sit ritu pro Altaris fixi consecratione praescripto?

Resp. Affirmative.

II. An ipse Episcopus idem sepulcrum caemento linire et lapide claudere debeat?

Resp. Si agatur de unico Altari portatili consecrando, affirmative.

Si vero agatur de pluribus aris portatilibus consecrandis, satis esse ut Episcopus liniat caemento labium sepulcri unius arae, et dum ipse prosequitur in SS. Reliquiarum repositione, assistentes Sacerdotes lituram et cuiuscumque sepulcri clausuram peragant.

III. An, et quomodo Episcopale sigillum super parvum sepulcrum Altaris addendum sit?

Resp. Iuxta Decretum in *Vivarien* diei 28 Februarii 1880 sigillum Episcopale apponi posse, sed non debere.

---

(1) Per peculiares litteras S. R. C. providit.

Ad Postulatum tandem quod attinet, Episcopus scilicet facultatem petit simplices Sacerdotes delegandi tum in actu consecrationis Altarium portatilium ad claudenda, tum alias, si casus occurrat, ad firmanda sepulcrorum opercula:

Resp. In àctu consecrationis Altaris non indigere; extra vero consecrationem, si occurrat necessitas firmandi caemento sepulcrorum opercula, servandum Decretum in *Ravennaten* diei 18 Maii 1883.

BALTHASSAR BACCINETTI
Apostol. Caerem. Magist.

III.

SEDUNEN.

Hodiernus Cancellarius Curiae Episcopalis Sedunen. de mandato Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: " Rituale Romanum exhibens benedictionem simplicem campanae, addit haec verba: *Quae tamen ad usum Ecclesiae non inserviat* ". Hinc quaeritur:

Dubium I. Utrum quoties benedicuntur campanae, quae ad usum Ecclesiarum vel Sacellorum inserviunt, adhibendae sint ab Episcopo caeremoniae et unctiones in Pontificali Romano praescriptae?

Et quatenus Affirmative.

Dubium II. Quibusnam campanis benedictio simplex proprie adhibeatur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apo-

stolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative*:

Ad II. *Omnibus campanis quae ad usum sacrum non inserviunt, et pro his adhibeatur adnexa formula nuperrime adprobata.* Atque ita rescripsit et declaravit die 4 Martii 1892.

BENEDICTIO

SIMPLEX NOVAE CAMPANAE QUAE TAMEN AD USUM ECCLESIAE NON INSERVIAT

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Ps. 50. Miserere mei Deus, secundum magnam...

Ps. 53. Deus in nomine tuo...

Ps. 56. Miserere mei Deus, miserere mei...

Ps. 66. Deus misereatur nostri...

Ps. 69. Deus in adiutorium meum intende...

Ps. 85. Inclina Domine aurem tuam...

Ps. 129. De profundis clamavi...

℣. Kyrie eleison.

℟. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison.

Pater noster (secreto) ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Sit nomen Domini benedictum

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui rerum omnium cursum in mundo ineffabili sapientia disposuisti: praesta quaesumus, ut hoc vasculum ad actionum seriem indicandam destinatum, tuae bene✠dictionis rore perfundas, quo cuncta iuxta ordinem fiant, et quaevis inde maligni spiritus perturbatio arceatur. Per Dominum...

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit, et primum aspergit circumeundo campanam, choro dicente:

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Tum producto Officians super Campanam signum crucis, discedit cum Ministris.

IV.

LINCIEN.

Rmus Dnus Franciscus Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Cum varia sit interpretatio circa ea, quae per Decretum S. R. Congregationis diei 10 Februarii 1860, favore Augustissimi Imperatoris nostri Francisci Iosephi I statuuntur, ut gemino praefati decreti sensui uniformiter satisfiat, quaeritur:

1.° An Sacertodes exteri (v. g. Galli, Hispani etc.)

in itinere celebrantes in Ecclesiis intra ditionem Austriacam, debeant in Canone addere verba: " *Et Imperatore Nostro N.* "?

2.° An iidem Sacerdotes orationem pro eodem Augustissimo Imperatore, quando est ab Ordinario imperata, debeant sumere prout iacet, vel omittere pronomen " *Noster* "?

3.° An in eodem Decreto, ubi praecipitur Collecta pro eodem Augustissimo Imperatore in Missis, ea verba: " diebus tamen quibus per Rubricas licebit " sic intelligi debeant, ut aliqui volunt, ut haec Collecta nequeat omitti in Missis Parochialibus lectis festorum secundae classis; vel potius ita sint accipienda, ut in his Missis eadem Collecta omitti debeat, seu, ut de Collectis imperatis in Missis lectis festorum secundae classis communiter valet, sit ad libitum?

4.° Quoad Missas vero solemnes dubitatur, an eadem Collecta, permittentibus Rubricis, sumi debeat: *a*) Dominicis et aliis diebus, si Missa (quamvis Ministri facile haberi possint) canitur sine Ministris, ad distinctionem Missae solemnis diebus maioris festivitatis? *b*) An in Missis solemnibus seu cantatis de festo tantum, an etiam de illis Dominicis et Feriis ac diebus infra Octavas privilegiatas, quae orationes imperatas admittunt? *c*) An in Missis votivis, quae, permittente ritu, simpliciter vel solemniter canuntur. v. g. initio et fine anni scholastici, vel in Missis Neopresbyteri etc., et pariter orationes imperatas admittunt? *d*) An etiam in Missis conventualibus, quae in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis quotidie canuntur (vel quando canuntur) sine ministris? *e*) An in Missa solemni seu cantata de Officio occurrente in Nuptiarum benedictione diebus Dominicis (sive fiat

de ea, sive in ea fiat de festo duplici non classico), diebus infra Octavam Epiphaniae, Feria IV, V, VI, et Sabbato infra Octavam Ssmi Corporis Christi? *f*) An demum eadem Collecta sumi debeat in Missa solemni seu cantata, si ea die, in eadem Ecclesia, Missa canatur praeter Missam parochialem lectam, quando in hac Collecta praedicta iuxta citatum Decretum addi debet?

Dubium II. An Decretum in Ravennaten diei 18 Maii 1883 ad VII, et VIII sic sit intelligendum, ut commemoratio Anniversaria Electionis et Coronationis Summi Pontificis, ac Electionis et Consecrationis Episcopi, in Missis lectis prohibeatur etiam illis diebus festa duplicia excludentibus, qui tamen Orationes imperatas admittunt, ut sunt Dominicae Adventus et Quadragesimae, Feria IV. Cinerum, et dies infra Octavas privilegiatas sub ritu semiduplici?

Dubium III. Quaenam oratio dicenda est in Officio Defunctorum die depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario Sacerdotis: an semper dicenda Oratio " *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* "?

Dubium IV. In Missa de Requie pro defuncto in loco dissito cum primo nuntius mortis accipitur, aliqui putant sumendam esse Orationem de die tertia, omisso verbo " *tertium* " (quae tamen minime convenire videtur, quando accepto nuntio per telegraphum, Missa canitur ante ipsius defuncti depositionem), vel dicendo " cuius obitus diem commemoramus ", Alii vero putant in casu esse semper dicendam Orationem de die obitus, omisso forte verbo " hodie " si depositio iam facta fuerit. Quaenam ex his opinionibus est in praxi sequenda?

Dubium V. In Exequiis pro depositione defuncti,

quando unicum recitatur Nocturnum, debet ne dici illud, quod feriae currenti respondet (1)?

Dubium VI. Quotiescumque unicum Nocturnum Defunctorum dicatur horis vespertinis, quod feriae respondere debet iuxta Rubricam Breviarii Romani, de qua feria erit sumendum?

Dubium VII. An pro hymno " *Te Deum* " (qui v. g. ob primam Missam Neo-presbyteri, vel ob aliam causam solemniter canitur immediate post Missam, quae iuxta Rubricas celebrari debet colore violaceo, ut in festo SS. Innocentium et Dominicis Adventus etc.) retineri possint paramenta coloris violacei, vel in casu cum aliis coloris albi permutanda sint?

Dubium VIII. An quando immediate post Missam solemnem exponitur SS. Sacramentum pro cantu hymni " *Te Deum* " vel pro aliis precibus (aut etiam simpliciter pro Adoratione eiusdem ad plures horas duratura), liceat Celebranti benedictionem quoque cum

---

(1) Perpendant lectores oramus Dubium istud, et cum responsione conferant; palamque fiet vel revocatum Dubium III Decreti in *Guatimala* (*V. Ephemer.* an. *1889, pag. 71*), vel ad nocturnum praesente cadavere canendum aut recitandum, non esse extendendum. Hinc nihili facienda incerta animadversio ad pag. 566 (*Dub. VI, 1*) supercitati Voluminis, et veritati conformia iudicanda quae alibi dicta fuere nempe Volumine 1890 ad pag. 132, maxime sub fine (*Dub. IV*). Consequenter elucet lex, vi cuius, praesente cadavere, primum cani debet nocturnum, posita quidem angustia temporis, officii defunctorum iuxta Rituale Romanum (*Tit. VI, cap. 3, n. 16*). Cum Ritualis lege cohaeret responsio ad praesens Dubium: utrique autem non opponitur Dubium Decreti *Guatimala*, aut si hoc affirmare volueris, illud revocatum necessario iudica. Nocturnum autem unum feriae respondens tunc dicendum, nisi fiat integrum officium, cum agitur de diebus III, VII, XXX, et de anniversario (*Rit. Rom. Tit. VI, cap. V. n. 1*).

eodem SSmo Sacramento in fine daturo, retinere casulam cum manipulo, vel debeat potius adsumere Pluviale (1)?

Dubium IX. An pro Missis votivis S. Ioseph Sponsi B. M. V. quando non recitatur eius Officium votivum in Feria IV, debeat sumi formulare ex Missa diei 19 Martii, vel formulare ex Missa, quae correspondet officio votivo eiusdem Sancti feriis quartis per annum?

Dubium X. An in Missa votiva Sacri Cordis Iesu (" Miserebitur ") extra tempus paschale omitti debeant " Alleluja ", tum ad Introitum tum ad Offertorium et Communionem?

Dubium XI. An eadem Missa votiva de Sacro Corde licita sit privilegio utentibus, iis diebus, in quibus recitant Officium votivum de SSmo Sacramento, Feria V, vel de Passione Dñi, Feria VI. Item, an iisdem licita sit Missa votiva de Passione Dñi, quando recitant Officium votivum de SSmo Sacramento et viceversa; vel Missa votiva de S. Cruce quando recitant alterutrum horum Officiorum votivorum? Et quatenus affirmative, quaenam erit in praedictis casibus secunda oratio: an de Officio votivo, vel de tempore (quando non occurrunt aliae commemorationes)?

Dubium XII. Quaenam oratio debet dici tertio loco in Missa votiva SSmae Trinitatis infra aliquam Octavam B. M. V.; an de Spiritu Sancto?

---

(1) In num. Ephemeridum mensis Februarii praesentis anni hoc idem resolvimus Dubium, Liturgicae scientiae principiis generalibus innixi, et ex aliquo Decreto conclusionem inferentes. Sententiam nostram sua cum responsione ad praesens Dubium S. R. C. confirmat. Ergo ex lege palam fit, benedictionem cum SS. Sacramento in Ostensorio recluso non posse in casula impertiri, sed omnino requiri pluviale, et quidem cum velo, uti notum est.

Dubium XIII. An stola Concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de S. Ioseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec festa occurrunt in hebdomada maiori, debeat esse coloris albi, vel violacei? Et an die 2 Novembris (vel Dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere stolam coloris nigri?

Dubium XIV. An pro distribuenda SSma Communione Monialibus, quae habent Chorum retro post Altare, debeat aut possit Sacerdos post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus " *Confiteor* " deponere Ciborium ad fenestellam Chori, et ibi, ad Moniales conversus dicere " *Misereatur* " etc., et " *Ecce Agnus Dei* " etc., vel potius debeat haec omnia dicere ad Altare versus populum de more; et dein per medium Altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad Moniales sancto Christi Corpore reficiendas? Et an idem valeat etiam si Chorus non sit retro post Altare, sed in aliqua parte laterali Presbyterii?

Dubium XV. Duplex viget praxis pro ablutione digitorum in prima et secunda Missa die sancto Natalis Dñi. Alii nempe in duabus his Missis digitos abluunt in vase mundo, vacuo, Ministro vinum et aquam de more infundente, interim dicendo " *Corpus tuum Domine etc.* " quam ablutionem sumunt in tertia Missa una cum ultima ablutione. Alii vero digitos abluunt in vasculo cum aqua iam prius parato, ut fit post distributionem SSmae Communionis; quam aquam vel sumunt cum ultima ablutione in tertia Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam relinquunt. Quaeritur: quaenam ex his praxibus sit, utpote Rubricis conformior, sequenda?

Dubium XVI. Quinam Versiculus sumendus est in Officio votivo SS. Angelorum Feria II tempore pa-

schali ad II^{um} Nocturnum: an *" Adorate Deum "* ex Nona (1)?

Dubium XVII. An quando festum Septem Dolorum B. M. V. in hebdomada Passionis caret primis Vesperis, hymnus Vesperarum debeat coniungi cum hymno Matutini, prout innuit Rubrica Breviarii, etiam si habeat integras secundas Vesperas; vel in hoc casu, debeant hymni (ut docet A Carpo) transponi, ita ut ad Matutinum dicatur hymnus Vesperarum, ad Laudes hymnus Matutini, et ad secundas Vesperas hymnus ex Laudibus?

Dubium XVIII. An pro quolibet Sancto Confessore Pontifice et Ecclesiae Doctore, pro quo in Missa Orationes sumuntur ex Communi Doctorum " *In Medio* " in Postcommunione loco dicendi " *Confessor tuus et Doctor* " dici debeat " *Pontifex tuus et Doctor* " prout in editione typica Missalis die 21 Aprilis pro Festo S. Anselmi Ep. C. Doct. invenitur?

Dubium XIX. Viget usus in hac Dioecesi (sicut et in aliquibus aliis) addendi tempore paschali in exercitiis devotionis, quae extra Officium canonicum, maxime coram SSmo Sacramento habentur, " *Alleluia* " ad Versiculos; v. g. ad ℣. " *Ora pro nobis* " post Litanias Lauretanas, ad ℣. " *Benedicamus Patrem et Filium* " post " *Te Deum* " etc., quinimmo et addendi in diebus Paschatis vel infra Octavam Paschae duplex " *Alleluia* " ad " *Benedicamus Domino* " quod in his regionibus solet cantari finitis orationibus, quibus praecessit solemnis cantus hymni Ambrosiani. An usus iste tolerari possit?

---

(1) Hoc idem Dubium iam Ephemerides resolverunt (*ann. 89, pag. 222, V*). Gaudemus nobis, quod S. R. Congregationi placuerit eodem sensu ac ipsimet praesenti Dubio facere satis.

Dubium XX. Episcopus Ordinarius, qui in aliena Dioecesi celebrat, tenetur ne in " *Memento* „ Canonis nominare Episcopum huius alienae Dioeceseos, an semetipsum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Posse, sed non teneri, quoad primam partem: quoad secundam, Affirmative ad primum, Negative ad secundum; quoad tertiam: Negative ad primum, Affirmative ad secundum; quoad quartam: Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Serventur Rubricae Ritualis Romani, nempe Tit. VI. cap. 3, n. 5, pro die Depositionis, et Tit. VI, cap. 5, n. 2, pro diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria:*

Ad IV. *Recitanda oratio prout est in Missali.*

Ad V. *Dicatur primum Nocturnum.*

Ad VI. *Nocturnum debet respondere Feriae, qua canitur Missa.*

Ad VII. *Affirmative quoad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad VIII. et IX. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Affirmative et secunda oratio sumatur de tempore.*

Ad XII. *Affirmative.*

Ad XIII. *Stola concionatoris sit coloris Officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris.*

Ad XIV. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; ad tertiam, Provisum in prima.*

Ad XV. *Secundus modus purificationis magis expeditus, et conformis est praxi universali.*

Ad XVI. *Loco primae Antiphonae usurpetur altera "Immittet Angelus".*

Ad XVII. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad XVIII. *Dicenda Oratio prout extat in Missali.*

Ad XIX. *Negative.*

Ad XX. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit die 3 Iunii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Vincentius Nussi, *Secretarius.*

INSTITUTIONES LITURGICAE

(Contin. V. n. 7, pag. 401).

§ 5.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE SUSPENSIONE ET INTERDICTO ET DISPENSATIONE AB IRREGULARITATE.

Quaeres 1. Utrum quivis Confessarius ab excommunicatione, suspensione et interdicto valeat absolvere?

Resp. Affirmative, si de iis censuris agatur, de quibus in forma Absolutionis sacramentalis; haec namque absolutio nonnisi ad cautelam datur. Negative, si de iis agatur, quibus vere innodatus esset poenitens; tunc enim specialis a Superiore accepta facultas omnino requiritur.

Quaeres 2. Quotuplici in foro dari potest absolutio ab excommunicatione?

Resp. In duplici foro: vel nempe in *interiori*, seu in actu sacramentalis Confessionis; vel in *exteriori*, seu extra Confessionem.

Quaeres 3. Quotuplex huius Absolutionis servanda forma in foro externo?

Resp. Huiusmodi forma vel specialis esse potest, vel communis; et aut illa servanda est, si a Superiore praescribatur, aut communi utendum, quam Rituale statuit (*Tit. III, cap. 3, n. 1*), seu forma Ecclesiae communi. Haec eadem quoque servanda erit, si sub nulla praescripta forma dabitur absolvendi facultas, cum de re plus minusve gravi agitur; si vero de levi, minor adhibetur forma, quam idem Rituale exhibet (*Loc. cit., num. 7*).

Quaeres 3. Quid, si facultas habeatur absolvendi in foro interno?

Resp. Hoc in casu Sacerdoti utendum consueta forma pro Absolutione sacramentali praescripta (*Rit. Rom., loc. cit., n. 8*).

Quaeres 4. Quid a poenitente exigendum Ante absolutionem?

Resp. 1. Ut ei, ob cuius offensam excommunicationem incurrit, satisfaciat, si potest: secus sufficientem cautionem praebeat, aut, si eam praestare non potest, iuret, se cum primum poterit, satisfacturum.

2. Posita gravitate criminis, iuramentum ei imponendum, ut iis quae ab Ecclesiae pro tali causa statuentur, observet, ac praecipue ea vitet, pro quibus excommunicationem incurrit (*Rit. Rom. loc. cit. n. 2, 3*).

Quaeres 5. Utrum Absolutio ab excommunicatione dari possit defuncto?

Resp. Affirmative, non enim eiusmodi censura tollitur per mortem censurati (*Cap.* Sacris, *De sent. Excomm.)*. Hinc si quis ea innodatus obierit, Ecclesiae suffragiis et ecclesiastica sepultura nonnisi per Absolutionem dignus efficitur. Ritus autem in casu ab habente facultatem adhibendi, in Rituali Romano praescribuntur (*Tit. III. cap. 4.*).

Quaeres 6. Num determinata adhibenda sit forma pro Absolutione a Suspensione vel Interdicto?

Resp. Negative; eiusmodi tamen forma extat in Rituali Romano quae est facultativa tantum. Quod si in foro interno danda sit Absolutio, nonnisi forma adhibenda est communis, quam pro sacramentali Absolutione Rituale statuit.

Quaeres 7. Quid in dispensando ab irregularite servandum?

Resp. Sive in interno, sive in externo foro haec dispensatio detur, adhibenda est forma in Rituali praescripta, et nonnisi post Absolutionem a peccatis impartienda; in eaque cavendum praesertim, ne facultatis acceptae Dispensator terminos excedat (*Rit. Rom. loc. cit. n. 5.*).

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

§. 1.

DE EUCHARISTIAE ASSERVATIONE ET CULTU.

Dico 1. Sacramentum Eucharistiae servandum est in Ecclesiis. Prob. seu ex primaeva Ecclesiae antiquitate, seu ex plurium Conciliorum praescriptis, atque ex ipso Tridentino (*Sess. XIII, Cap. VI*): seu denique ex sapientissimis rationibus, ut nempe et tantum Sacramentum cultum habeat, et fideles, tam sani quam infirmi, solatium habeant et iuvamen.

Dico 2. Eucharistia in aliquibus tantum determinatis Ecclesiis servanda est. Prob. ex pluribus Decretis S. R. C. sicut et aliarum Congregationum, ex Constitutione *Quamvis Iusto* d. d. 30 Apr. 1749, Benedicti XIV, et ex communi omnium auctorum sententia. Hae autem Ecclesiae, eiusmodi iure gaudentes sunt: 1.° Cathedrales, 2.° Parochiales, 3.° Regularium utriusque sexus Ecclesiae. Inferas reliquas Ecclesias nonnisi ex peculiari Indulto servare Eucharistiam posse.

Dico 3. In uno tantum et elegantiori Ecclesiae altari Eucharistia servanda est. Certo constat ex Congregationum Romanarum dispositionibus, seu Episcoporum (*13 Oct. 1620*), seu S. Rit. (*18 Iul. 1597 Augustae Praetoriae ad 3*). Inferendum, asservationem continuam, etiam occasione cuiuscumque festivitatis, in pluribus altaribus esse vetitam (*S. Jacobi de Chile 21 Mart. 1861 ad XIII*), non tamen temporaneam ratione functionis. Hoc autem altare debet esse maius, utpote

ceteris ornatius; ut ubi in eo functiones Sacramentum servari vetant, in alio *quod decentius videatur* esse servandum docet Rituale Romanum (*Tit. IV, cap. 1, n. 6*): confirmat decretum Congr. Episc. et Reg. 28 Nov. 1594.

Dico 4. Sacramentum Eucharistiae in tabernaculo affabre confecto custodiendum est. Prob 1.° Ex antiquitatis exemplo, quae in argenteis vel aureis columbis illud servabat ad altare appensis. 2.° Ex dignitate illius qui sub speciebus panis et vini in Eucharistia, continetur, seu Christus Dominus. 3.° Ex S. C. Episc. et Reg. quae exterius exigit tabernaculum inauratum, et intra, saltem panno serico contectum (*26 Oct. 1575*), albi quidem coloris, ut Sacramento convenit.

Quaeres. 1. Quid praecipue animadvertendum circa tabernaculum?

Resp. Cum nihil dignius, sanctius atque admirabilius Eucharistia habeat Ecclesia, omnis adhibenda cura, ut quae circa illius asservationem et cultum statuta fuere, vel laudabilis consuetudo fert, adamussim servetur. Hinc pretiosa, quantum fieri potest, materia, vel saltem ornatus, forma elegantior cum decenti saltem conopeo, quo operiatur, tentorii instar, amplitudo congrua, ut optime valeat, reliquis exclusis, sola Eucharistiae continere vasa, mundities exquisita, proindeque ostiolum serico albo intra contectum, quod clavi obseratum maneat. Obiecti autem dignitas omnino requirit, ut pars superior pro basi reliquiis non inserviat, in medio altari inter hinc inde candelabra collocetur, lampas saltem una ante Sacramentum diu noctuque ardeat, oleo ex oliva nutrita (1), aliaque

(1) Alia olea adhibere non licet ob defectum symbolicae significationis, ut generatim solum olivarum debeat adhiberi. Reli-

plura, quae vel Rituale Romanum docet, vel S. R. Congregatio praecipit, quae omnia servanda sunt.

Quaeres 2. Quid lex praescribat circa sacras species?

Resp. 1. Sacrae species, quae in tabernaculo habentur, in pyxide reponendae sunt, cuius materia solida esse debet, decens ac munda, suoque operculo clausa, veloque albo cooperto (*Rit. Rom. Tit. 4, cap. 2, n. 5.*). 2. Sacrae species frequenter renovandae, ut et materiae vitetur corruptio, et Sacramenti honori consulatur; sunt etiam consecrandae particulae recentes (*Rit. Rom. loc. cit. n. 7.*). 3. Congrua adhibenda est diligentia, ut particulae in pyxide ponendae a fragmentis sint detersae, integrae, tantaeque granditatis, ut fini ob quem servantur, apprime respondeant. 4. Veteres particulae novis ne admisceantur, ne frequentis renovationis finis frustratus fiat (*Rit. Rom. loc. cit. n. 7.*).

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

DE OFFICII REPOSITIONE IN QUADAM DIE OCTAVA.

In quadam dioecesi concessum est, ut Dominica secunda post Pascha festum recolatur *Divinae Matris*

qua permittuntur tantum, si illud haberi nequeat, et ex Episcoporum prudentia (*Plurium Dioecesum 9 Iun. 1864*). Non ergo audiendi venales homines, qui nonnisi turpe lucrum sectantes, quodcumque oleum absolute permissum dictitant.

Pastoris sub ritu duplici secundae classis. Cum vero in aliquibus eiusdem dioecesis Ecclesiis secunda Dominica post Pascha festo altioris ritus esset impedita, ut rite calendaria ordinarentur a S. R. Congregatione quaesitum fuit, ut festo illi alia assignaretur dies libera. Porro S. R. Congregatio respondit: *Reponatur in prima Dominica, quae non sit impedita ritu maiori.* Iam nunc in praefatis Ecclesiis Dominica tertia post Pascha recolitur Patrocinium S. Ioseph sub ritu duplici secundae classis cum octava. Hinc peritior inter redactores calendarii illarum Ecclesiarum, cum vidisset cunctas Dominicas post Pascha a prima ad ultimam impeditas, iudicavit posse reponi festum *Divinae Matris Pastoris* in Dominica quarta post Pascha, videlicet in die ipsa octava Patrocinii S. Ioseph, eamdem proinde octavam diem perpetuo redigens ad instar simplicis. Quod cum audisset unius ex illis Ecclesiis magister caeremoniarum, gravissimis momentis sustinuit id fieri non posse, et esse aperte contra Rubricas. Quaeritur:

1. *Quot octavarum species in antiquitate fuerint, modo eas celebrandi inspecto, et num impraesenti inter octavas Ecclesiae universalis et octavas Ecclesiarum particularium aliquod intercedat discrimen?*

2. *Utrum dies octava, sive universalis sive particularis Ecclesiae, sit nec ne impedita pro repositione festi duplicis secundae classis?*

3. *Cuiusnam iudicium probandum, an redactoris calendarii, an caeremoniarum magistri, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Aloisi Zenati alumni ex almo Collegio Capranicensium, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 22 Apr. 1891: acta Epitoma per Rmum P. Bonaventuram a Collepardo ex Ordine Capulatorum.

1. Quaeritur primo de diversarum numero octavarum in antiquitate Ecclesiae, modo eas celebrandi inspecto, et de discrimine inter octavas Ecclesiae universalis et particularium Ecclesiarum in praesenti disciplina.

Quosdam recolendi quotannis singulares eventus necessitatem mens humanumque cor continuo persenserunt; idque apud omnes populos, cuicumque religioni inservirent. Hinc festorum citra dubium institutio, quae minori maiorive celebrata solemnitate fuere, prout eventus plus minusve praeclari iudicati fuerunt. Inter haec autem, sicuti nonnulla apud Hebraeos, ita et alia plura festa apud Christianos selecta sunt, ut solemniori celebrarentur ritu, eorumque nunquam memoria deperiret. Quod ut obtineretur, prima festorum dies ad octo usque prorogata est, ut eorum memoria altius menti haereret. Hinc octavae, quibus celebriora fuerunt decorata festa, tam in Synagoga quam in Christi Ecclesia. Harum igitur octavarum inquiritur utrum extiterit in primis saeculis diversitas, modo inspecto, quo tunc celebrabantur.

Profecto si ad Christi Ecclesiae redeundum est exordia, Apostoli se nobis exhibent, Paschae et Pentecostes octavas instituentes, uti Gavantus refert (*Praef. ad Octav. Rom.*). Hi autem id a Christo edocti fuerunt, qui exemplo suo octavas confirmarat, seu ad celebran-

da Encaenia, seu ad Scenopegiam, Ierosolymam pergens (*Ioan.* *X*, *22:* VII, *14*). Apostolis autem gerentes morem apostolici viri alias instituerunt: uti ex. gr. Nativitatis et Epiphaniae Domini, de quibus Ordo Romanus, Pipini et Caroli magni cura sub Stephano Papa IV editus: Ascensionis, de qua mentionem agit Rodulphus Tungrensis (*Prop. 19, ante ann. 1400*) etc.

Iam nunc, tam recensitas, quam reliquas octavas, dubitari vix potest, haud eodem, sed diverso, solemnitate inspecta, fuisse ritu celebratas: ut id prae oculis habentes, eorum diversas veluti species fuisse dicendum sit. Revera, uti notum est, Pascha et Pentecostes tamquam celebriores in Ecclesia semper festivitates sunt habitae, ea propter solemniori quoque ratione pariter celebratae fuerunt. Namque Micrologus (*cap. 40*) animadvertit, inter octavas, quarum officii psalmi infra illas de feria erant, licet invitatorium, antiphonae ac responsoria de festo, minime recensebantur octavae Paschatis et Pentecostes. En itaque satis notabile harum octavarum prae ceteris discrimen, ut nempe per totam octavam, de eadem totum celebraretur officium, quod de aliis nequaquam comprobabatur. Ex quo sequitur, quasdam octavas utpote solemniores, officium novem lectionum per integrum decursum habuisse, erat enim de festo, alias vero trium lectionum, quippe quod de feria. Praeterea nonnullae octavae propria commemoratione nunquam carebant: aliarum vero, praeter primum diem et ultimum, in quibus de festo recitabatur officium, nulla infra eas admittebatur commemoratio. Hinc supercitatus Micrologus (*cap. 44*) ait: " Iuxta romanam auctoritatem nonnullorum Sanctorum octavas observare debemus.... Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacentes dies agimus....

exceptis de S. Maria et de S. Petro, quorum memoriam et alio tempore non cessamus celebrare (*V. Cavalerium, Tom. II, cap. XVIII, n. VII*) „. Hinc antiqua octavarum divisio in solemnes seu maiores, et non solemnes seu minores, de qua Guyetus (*Lib. I, Cap. XVIII, quaest. 9*), et ipsemet Cavalerius (*loc. cit.*). Hinc vetustior Dominicanorum consuetudo celebrandi quatuor octavarum species, videlicet diverso, seu plus minusve solemniori eas recolendi ritu, uti adhuc in Rubricis illorum Breviarii adnotatur.

Quae quidem diversitas a S. Pio V Pontifice sublata est: ut nihilominus satis et impraesenti plures inter se, maxime Domini, solemnitatis ratione differant. Earum discrimen affert Macri (*Hierolexic. ad verb. octava*), dicens: " Inter octavas... Domini fit aliqualis differentia; in primo enim gradu sunt Pascha et Pentecostes, quae alias festivitates, nec Titularis nec Patroni admittunt „. Eiusmodi octavae sunt, quas iuxta vocabulum usus *clausas* nuncupamus. (1) " Secundi gradus est octava Epiphaniae, quae solum Patronos, et Titulares, et Dedicationis diem admittit, sed non in die octava, quia in ea celebratur baptismus Salvatoris.., „ Addas, ex nova dispositione Rubricae, certum et indiscutibile, hanc octavam, non tamen octavum diem, admittere etiam quodcumque aliud duplex praeter tria recensita festa, quod sit primae classis. " In tertio vero gradu habetur octava Corporis Christi, quae admittit duplicia, non tamen translata, nisi essent solemnissima ex Decreto Ioannis XXII „ Iure nihilominus liturgico praesenti inspecto, addendum

(1) In vetusto Breviario Leodiense octavae, quas clausas nunc dicimus, appellabantur *vivae*, aliae quae occurrentia festa non escludunt, dicebantur *mortuae* (*V. Guyetum lib. IV, cap. XII, quaest. 9*).

est, infra eam posse quidem fieri de quocumque duplici occurrenti, sed etiam de translatis, non solum primae solemniora, sed etiam secundae classis minus solemnia; idque seu ex Rubrica constat speciali, seu ex Decreto *Ulysbonen.* 30 Maii, 1699 ad 1. Dies vero octavus etiam duplicia omnia admittit primae classis. " In quarto gradu sunt aliae octavae Nativitatis et Ascensionis Domini „ : sicuti reliquas seu Deiparae, seu aliorum Sanctorum, quae, occurrentibus festis inspectis, nil privilegii peculiaris habeant.

Sed praeterea idem quaesitum primum petit, utrum discrimen aliquod intercedat inter octavas universalis Ecclesiae et Ecclesiarum particularium. Cui petitioni ut faciamus satis, animadvertendum, inter octavas Ecclesiae universalis alias esse plus minusve privilegiatas, ut ex superius dictis patet, alias vero esse communes. Octavas autem Ecclesiarum particularium, alias esse cunctis particularibus Ecclesiis communes, alias vero speciales. Si ergo comparatio instituatur inter octavas privilegiatas Calendarii Romani, et octavas communes Calendarii particularis, non est ambigendum, inter illas adesse posse nonnulla discrimina. Si autem instituatur comparatio inter illas et istas communes, certum est, nullam inter eas discrimen intercedere, si a respectiva octavarum dignitate abstrahas, de qua non est nobis sermo. Octavae enim cunctis particularibus Ecclesiis communes, sunt Dedicationis, Patroni ac Tituli Ecclesiae propriae, quae nullo peculiari privilegio gaudent; sunt ergo eaedem ac octavae communes universalis Ecclesiae, puta Ascensionis Domini, Assumptionis Deiparae, festi omnium Sanctorum etc. Si vero aliqua octava pro aliqua Ecclesia particulari specialis sit, tunc dari discrimen potest, easque octavarum, quae in universa Ecclesia

privilegiatae sunt, similes fieri. Ita ex. gr. nonnullis Ecclesiis particularibus concessa est octava Corporis Christi ad instar Epiphaniae. Alicui Ecclesiae festum SS. Cordis Iesu concessum est, tanta celebrari pompa, ut esse valeat ad instar festorum solemniorum universalis Ecclesiae, et nonnullis ex iis occurrentibus praevaleat. Sed ab his privilegiis abstrahentes, et generali inhaerentes regulae, quaesiti nostri secundae respondemus parti, negative: hoc est, octavae communes Ecclesiarum particularium, modo eas recolendi spectato, ab octavis communibus Ecclesiae universae nulla ratione differunt.

2. Altero loco quaeritur, num dies octava alicuius festi, seu universalis seu particularis Ecclesiae, habentis octavam, sit nec ne impedita pro festo duplici secundae classis reponendo.

Quaestio huiusmodi non fit de octavis privilegiatis, de quibus superius, plures enim ex his gaudent privilegio quodcumque excludendi festum etiam primae classis. Coarctandum ergo quaesitum intra confinia illarum octavarum, quas communes diximus, sive ad universalem sive ad particularem Ecclesiam pertineant. Insuper praenotandum, haud de translatione hic agi, sed de repositione; festum enim quod transfertur, pro uno vel altero anno diem octavam impediret: quod autem reponitur, perpetuum induceret impedimentum: quod et prae oculis habeamus oportet.

His praeiactis, tabella primum occurrentiae se exhibet, quae perspicue tradit, occurrentibus simul die octava et alio duplici secundae classis, de hoc faciendum esse, de illa vero solam commemorationem agendam (*n. 3 et 4*). Iuxta tabellam ergo occurrentiae, prima fronte appareret, diem octavam pro duplici secundae classis impedimentum minime constituere. At appli-

cari ne potest ad propositum occurrentiae tabella! Non credimus, seu Rubricis, seu earum spiritui, seu decretis innixi. Festa enim, quae octava fruuntur, ita ordinate sunt in Calendario Romano disposita, ut cum aliis quibuscumque duplicibus nunquam possint perpetuo occurrere. Ad normam autem Calendarii universalis, etiam particularia ordinari fas est. Non ergo convenit, ut in Calendario particulari, ita festum octava fruens disponatur, quod alterum festum habens octavam perpetuo impediat. Praeterea, dies octava iure translationis gaudere ex suapte natura nequit. Transeat ergo, eam ad instar simplicis una vel altera vice redigi, cum id translationis leges exigunt; sed contra omne ius apparet, eamdem ad ritum simplicem perpetuo redigi. Tertio, Rubrica de Translatione festorum aperte docet, festa quaecumque, sive duplicia, sive etiam semiduplicia in dies illos transferri non posse, qui alio duplici vel semiduplici festo impediuntur (*Tit. X, n. 1*). At dies octava est duplex, et ex privilegio duplici etiam praevalet: quo ergo iure non censebitur impedita pro repositione festi etsi duplicis secundae classis? Denique ex Decreto *Ulysbonen.* d. d. 21 Apr. 1646, ad 3, ipsa semiduplicia quae infra aliquam octavam occurrunt, non possunt amoveri ob festum primae vel secundae classis transferendum; ergo quanto magis omnino ex arbitrio esse censendum est, ut ipsa dies octava velut ad nihilum eadem de causa redigatur? Namque in casu non datur simplex occurrentia inter duo festa, quae ius habent ut eodem die celebrentur; sed occurrentia inter alterum, quod toto iure suo die propria fixum est, et alterum, quod ut eodem in die recolatur ius nullum habet. Festa enim, quae reponi debent, in solis diebus non impeditis, privilegio secluso, assignari pos-

sunt. Ea propter respondemus, haud obstante occurrentiae lege, dies octava dicenda impedita est pro repositione festi duplicis, sit secundae, sit etiam primae classis, eadem enim ratio militat. Idque dicimus, sive dies octava ad universalem, sive ad particularem pertineat Ecclesiam.

3. Iudicium ergo Calendarii redactoris negligendum potius, quam probandum, utpote haud iustis principiis innixum, dum rectitudo manifesta apparet in iudicio caeremoniarum magistri. Et sane, sequens est unice quae favet argumentatio Calendarii Redactori: S. R. C. permittit, ut festum Divinae Matris Pastoris duplex secundae classis *reponatur in prima Dominica, quae non sit impedita ritu maiori.* Atqui eiusmodi est Dominica quarta post Pascha, quae utpote dies octava, duplicis secundae classis est inferiori, ergo hac in die optime illud festum reponi potest, imo debet. Verum totum huiusmodi robur ratiocinii in prima ex praemissis situm est. Iam nunc inquirimus, utrum supponi possit, voluisse S. R. Congregationem, Rubricis, harumque spiritui, nec non Decretis suis per hanc responsionem detrahere, vel derogare. Hic autem opus, hic labor. Agitur enim de Calendario particulari, cuius singulae quae successu temporis supervenire possunt mutationes, latere saepius Sacrum Tribunal satis notum est. Imo certo certius in casu dicendum est, S. R. Congregationem notabilem in particulari variationem nesciisse, qua in Dominica quarta post Pascha dies octava recolebatur Patrocinii S. Ioseph. Haec enim, festum ritus quidem duplicis secundae classis est in Calendario universali, sed octava non fruitur. Ut consequenter, si perspecta mutatio huiusmodi fuisset S. Congregationi, dicta profecto formula in concessione indulti non esset usa. Mate-

riali ergo responsioni valedicendum esse credimus, id enim continent, quod re cognita, nunquam S. R. C. in specie fuisset concessura, ob rationes in responso ad secundam petitionem allatas. Hinc concludimus, unum pro dirimenda quaestione medium fuisse, procul dubio S. R. Congregationem de negotio clarius edocere, novumque responsum expectare.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis.* **De festis necessario addendis in calendariis particularibus**. Pia quaedam regularium Sacerdotum Communitas facultatem a S. R. Congregatione obtinuit utendi calendario Urbis, seu cleri romani: " sub conditione tamen, ut eidem calendario addere debeat festa dioecesana, nimirum Sancti praecipui Patroni loci, Titularis et Dedicationis Ecclesiae cathedralis, ad quae iuxta Rubricas et Decreta etiam Regulares tenentur. Quaeritur, qualis praefatae conditionis intelligentia sit?

Resp. Satis notum ponimus, calendarium, aliud esse *universale*, seu *romanum*, quod idem sonat; aliud esse *particulare*, seu ad aliquam pertinens Ecclesiam, Congregationem, Urbem etc. Calendarium autem particulare quodcumque, ipsummet romanum est, cui tamen addita sunt festa plusminusve propria, consequenter aliquorum officiorum mutata dies. Inter festa autem quae addenda sunt calendariis particularibus, alia sunt magis, alia minus propria. Magis sunt propria, Dedicatio Ecclesiae, ad quam pertinet

calendarium, si tamen illa consecrata sit, Titulus eiusdem, et alia festa Sanctorum, quorum in ea asservari Reliquiae possunt, officiumque recitatur. Haec festa numquam in calendario particulari omittenda sunt, cum debeant de iure et ex obligatione solemniter celebrari. Alia minus propria sunt, ea nempe festa, quae magis propria Ecclesiarum cathedralium habentur. Sicut enim clerus, etsi regularis, in civitate episcopali degens, quamdam habet ab illa dependentiam, ita et quodammodo ad eamdem pertinet. Illi autem omnes, aliquod tenentur festum recolere, quod pertinet ad Ecclesiam, a qua plus minusve dependent, et quae plus minusve est illorum propria. Festa vero magis Ecclesiae cathedralis propria, sunt Dedicatio et Titulus, sicut aliarum, quae consecratae sunt Ecclesiae. Cum itaque clerus in civitate episcopali degens, habeat tamquam ad se pertinentem cathedralem Ecclesiam, consequens est, ut et ipse duo haec praecipua et solemniora illius festa recolat.

Praeterea, seu Cathedralis, seu aliarum Ecclesiarum intra confinia alicuius loci existentium, omnino proprium est festum respectivi Patroni principalis: adeo ut sicut is ad Cathedralem, ita ad omnes praefatas Ecclesias pertineat, sive saeculares sint, sive regulares. Nam Patronus afficit locum, eaque de causa Ecclesias omnes eiusdem loci. At inter Titulum, de quo superius, et huiusmodi Patronum, notabile, ad Regulares quod attinet, discrimen intercedit. Nam citra controversiam ad Titulum tenentur Regulares omnes in civitate episcopali degentes, ad Patronum vero tenentur quoque ceteri ubicumque, intra tamen loci confinia, morentur.

Iam nunc ad reliquum deveniamus, quod in quaestione ponitur. Dictum est Regulares omnes in civi-

tate episcopali degentes teneri ad recolenda festa Dedicationis et Tituli cathedralis Ecclesiae, quod certum est: quid autem de ceteris? Ad haec duo festa tenenturne, qui in Dioecesis limitibus Regulares degunt? Quid confusi generaliter in auctoribus hanc pertractantibus materiam reperimus: studebimus, quantum nobis est, negotium reddere perspicuum.

Dicamus primo de Dedicatione, quam indubium ante omnia est, a nullis esse Regularibus etsi degentibus in civitate episcopali, celebrandam, si forte ipsi celebrent una eademque die anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Dioecesis; quia tunc celebrari censetur Dedicatio cathedralis Ecclesiae eodem die, qua Regulares celebrant Dedicationem Ecclesiae propriae respectivae. Hoc itaque in casu, etsi Dedicatio Ecclesiae cathedralis in calendario inserta esset, ab eo expungenda iuxta mentem S. R. Congregationis, ut certo constat ex Decreto *Ord. Carmelit. Discalceat. in Hibernia*, d. d. 16 Apr. 1842 ad 3, sicut ex altero in *Mechlinien.* quod alumnis Societatis SS. Sacramenti, qui Dedicationem omnium Ecclesiarum Galliae una die celebrant, facultatem denegat celebrandi etiam Dedicationem Ecclesiarum Societatis, recurrente ipso die earumdem consecrationis (*31 Aug. 1867, confirm. 5 Sept. eiusd. anni, ad 3*). Praedicto excluso casu, dicimus, *Regulares degentes... extra civitatem* (*episcopalem*) *non tenentur neque ad recitationem officii in die festo Dedicationis Ecclesiae cathedralis.* Ita S. R. C. explicitis verbis in Ord. *Carmelit. Excalceat. Prov. Poloniae*, d. d. 29 Ian. 1752 ad 1. Excipe casum, quo Regulares nullum agerent Dedicationis Ecclesiae festum; tunc enim ad festum Dedicationis cathedralis Ecclesiae tenerentur, ita declarante Decreto in *Romana 10 Sept. 1796 ad 4,* pro

Cisterciensibus. Haec quidem perspicua sunt, et nullam admittere videntur difficultatem.

Procedamus ad Titulum. Duo habentur Decreta, quorum primum docet: Regulares teneri ad recitationem officii... Titularis Ecclesiae cathedralis. Est in *Ord. Min. de Observ.* d. d. 20 Mart. 1683 ad 1: alterum est in *Lauden.* d. d. 20 Nov. eiusdem anni, pariterque declarat ad 6, *Moniales... teneri... ad officium... Titularis Ecclesiae cathedralis.* At quaerimus: Regulares et Moniales, de quibus Decreta praedicta, sunt ne tantum qui in civitate episcopali degunt, an et qui extra eam morantur in dioecesi? Non satis nobis aperte resultat. Tertium extat Decretum *Nortinghamen.* d. d. 27 Mart. 1859, quod obligat totum Dioecesis clerum saecularem ad Dedicationem cathedralis Ecclesiae recolendam: tangit ne ipsum etiam clerum Dioecesis regularem? Id quidem argumentari licet, non tamen certum foret. Quod autem quaestionem dirimit, est aliud antiquius Decretum in *Bossanen.* d. d. 22 Aug. 1772 ad 5, quod ad dubium: " An.... Titulus Ecclesiae cathedralis celebrari debeat sub ritu dup. 1. class. tam in Civitate quam in Dioecesi et ab utroque clero „ respondet: " Affirmative „. Cl. De Herdt aliud Decretum citat recentius, nempe 18 Maii 1883 in *Marianopolitana,* declarans: *officium Titularis Ecclesiae cathedralis... celebrandum esse in tota Dioecesi sub ritu dup. 1. cl. cum octava a clero saeculari, a clero autem regulari sub eodem ritu, sed absque octava.* Quod nihilominus Decretum, licet aliud Decretum *Urbis* 28 Oct. 1628, iuxta citatum auctorem abroget, in authentica Collectione haud reperitur inscriptum. Quidquid vero sit, incerta cum certis componentes, nobis concludere ex dictis liceat, Regulares, extra civitatem episcopalem degentes, intra

alicuius Dioecesis confinia, tenentur omnes titularem cathedralis Ecclesiae recolere.

Ergo sensus conditionis in casu, sequens est: Pia, de qua dubium, Societas, tenetur in particulari calendario, seu cleri romani, addere festa respectivi Patroni loci, et Tituli Ecclesiae cathedralis respectivae pro omnibus alumnis: festum autem Dedicationis respectivae Ecclesiae cathedralis pro iis tantum, qui in respectiva civitate episcopali morantur. Ritus erit: Patroni et Tituli, dup. 1. cl. Dedicationis vero, 2. cl. omnia tamen haec festa sine octava, uti ex decretis constat.

II. *Ex urbe N.* **De imagine principali altarium non amovenda.** Altare maius Ecclesiae cuiusdam consecratum est Deo in honorem trium Sanctorum, quorum depictae erant figurae in pariete eiusdem altaris. Cum autem in dictae altari Ecclesiae iugiter toto anni decursu SS. Eucharistia publice et solemniter maneat exposita, praefata imago amota est, et in alio altari collocata: recte ne?

Resp. Negative. Imago principalis altaris illum (esse possunt et plures ad modum unius) repraesentat Sanctum, in cuius honorem Deo altare dicatur. Sicut autem quod dedicatum est, fieri non potest, quin tale sit, nisi destruatur; ita Ecclesia exigit, ut signa quae dedicationem ostendunt, proinde et imagines Sanctorum, in quorum honorem dedicatio facta est, perpetuo maneat. Altare enim in casu est maius, consequenter fixum et consecratum, *cuius idcirco*, ait Guyetus, *vere patronus est seu titulus, is Sanctus, seu id mysterium, in cuius venerationem consecratum fuit* (Lib. XVI, cap. XVI, quaest. 2). Ratiocinandum itaque, aliqua cum proportione, de altaris titulo, sicut de titulo Ecclesiae: ut sicut iste de se est perpetuus, ita et ille; et sicuti

nulli auctoritati privatae licet Ecclesiae titulum mutare vel redigere in nihilum; ita nec ulli licebit titulum altaris mutare, quocumque sensu destruere, aut imaginem repraesentantem illum amovere. Hinc cum in Ecclesia S. Nicolai Neapoli, Ecclesiae Rector vellet apponere ad altare principem aliam ab imagine titularis, S. R. C. rogata respondit: " Negative, et apponatur imago S. Nicolai Titularis (*Congr. Mission. 27 Aug. 1836 ad 3*) „. Imo iterum eamdem denegavit facultatem die 11 Mart. 1837, quamvis S. Nicolaus iam in alia cappella in venerationem collocatus fuisset. Quam autem merito nemo non videt; altaria enim consecrata ad Deum primo, secundo ad Sanctos pertinent titulares. Eorum ergo imagines amovere, est illos a proprio amovere loco, in quo ius habent ut honore habeantur.

Obiicies quidem, in casu nullam esse rationem honoris excipiendi, quia in altare semper est expositum Sacramentum. Sed reponimus, difficultatem nullius esse roboris; semper enim tituli in proprio iure manent. Arroges, temporis progressu fieri facile posse, sicut alias accidit, ut tituli memoria prorsus obliterata evadat, quod gravissimum est inconveniens. Ceterum quidquid sit, imaginem tituli ab altari perpetuo amovere nemo ex privato arbitrio potest, sed ad competens Tribunal seu ad S. R. Congregationem recurrendum. Inferes, aut tituli imaginem in locum suum iterum transferendam, aut S. R. C. edocenda et audienda.

III. *E Verona*. **De Missa votiva SS. Cordis Iesu in die translata.** Quando prima feria VI mensis incidit in diem impeditam potest ne sequenti feria libera Missa votiva celebrari?

Resp. Negative. Sane, lex quae loquitur de die impedita, aperte declarat in ea non esse eiusmodi Mis-

sam celebrandam, sed nil de illius transferendae iure; ergo id iuris non est supponendum, quia non de festo agitur, quod translationem patitur, sed de Missa votiva, quae pro tali, haud alio die indulta fuit. Praeterea haec Missa cum devotis pietatis exercitiis erga SS. Cor Iesu necessariam habet relationem: ut si ea fiant, celebrari possit, secus nequeat. Atqui in casu haberetur Missa sine praefatis exercitiis, quod esset contra legem. Denique quandocumque aliqua Missa conceditur votiva, talis est praxis, ut, seclusa peculiari in concessione clausula, nunquam transferatur si impedita, sed simpliciter omittatur.

IV. *E Mutina.* **De decreti circa usum pileoli Episcoporum intelligentia.** S. C. Caeremonialis die 20 Maii 1890 declaravit Cardinales, Episcopos, aliosque usu pileoli ex Indulto Apostolico gaudentes, teneri detegere caput ad cantum Sacri Evangelii et dum thurificantur. Quaeritur: An relatum Decretum respiciat tantum Episcopos Canonicos etc. choro astantes, an etiam Ordinarios Episcopos dum sacram aliquam functionem peragunt?

Resp. Affirmative ad primum, et citra controversiam negative ad alterum. 1. Quod provocavit citatum decretum, aliquis fuit uniformitatis defectus in Canonicis Episcopis, sicut in ipsis purpuratis Patribus in choro praesentibus: ut ipsius et eamdem proposuerimus quaestiunculam solvendam in nostra Academia Liturgica anno praecedenti, seu 1889. 2. Quia leges quae Episcopum Ordinarium dirigunt in functionibus, quas uti talis exercet, habentur in Caeremoniali Episcoporum: quod profecto aliter statuit, uti in commentariis ad praedictum Decretum iam animadvertimus (*Vol. 5*, *pag. 219 et seq.*). Credere autem non licet, Sacram Caeremonialis Congregationem legi Cae-

remonialis Episcoporum, voluisse sub silentio derogare. 3. Quia ipsum Decretum loquitur explicite de Cardinalibus, de Episcopis, et de aliis quibuscumque usu pileoli gaudentibus dum sacro assistunt *sive seorsim, sive collegialiter:* quae, haud dubium, Episcopo Ordinario, sicuti neque Cardinali in suo Titulo functionem aliquam agentibus, applicari possunt, uti ex toto Decreti contextu abunde patet. Ergo hos Decretum non respicit, pro quibus nullo pacto emanatum fuit.

V. *Ex Andegavo in Gallia.* **De adoratione SS. Hostiae et Calicis in Missa.** Quaeritur quomodo intelligi debeat Rubrica Missalis: " Ostendit populo adorandam... adorandum... „ Sacerdos debet ne Hostiam et Calicem aliquantum elevata tenere, ut populus utrumque intueatur, sicut videtur cl. Martinuccius innuere (*Lib. 1, cap. XVIII, n. 88*)?

Resp. Negative. Rubrica Missalis clarior esse non potest: " Elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione calicis facit), populo reverenter ostendit adorandam (*Rit. celebr. Miss. Tit. VIII, n. 5*). At aliquid elevare, profecto non significat illud elevatum tenere, quod maxime in casu comprobatur, quia celebrans debet Hostiam et Calicem **reverenter** ostendere adoranda. Namque id sibi vult, Celebrantem in eiusmodi actu debere se gerere summa cum devotione, fide, et gravitate: quae omnia excludunt festinationem, licet non includant excessum lentitudinis. Consequenter ipsa elevatio abunde sufficit, ut adoret populus, quod celebrans ostendit. Quod si Rubrica Hostiam vel Calicem aliquantisper permanenter elevata voluisset, id profecto dixisset, quod tamen siluit; ergo noluit, utpote nullo modo necessarium. Redigatur ergo in praxim Rubrica, et non dubitandum, fideles Sancta adorare satis posse.

Nunc ad cl. Martinucci. Equidem is non docet, Sancta esse tenenda elevata; quinimo aperte ait: " Hostia... Non sustinebitur moratim sublimis „ addit tamen: " Nec tam celeriter elevabitur, ut fideles deficiat tempus eam intuendi, nedum adorandi (*Loc. cit.*). „ Quae verba, ni fallimur, significant quod superius diximus, nimirum gravitatem, qua actus elevationis persolvendus est: ut ita fideles sufficiens habere valeant tempus pro adoratione. Si vero gravitas in celebrante deficeret, sequeretur populum tempus pro adoratione non habere, qui nec haberet tempus sufficiens ad Sancta intuenda. Hunc credimus esse sensum, quo cl. Martinucci locutus est. Nihilominus si praeter adorationem, et Sancta intueri quis ex fidelibus vellet, nescimus quo iure foret reprehensibilis dicendus, fine devotionis et fortasse consolationis inspecto. Ceterum, assistentes Missae, quicumque sint, ex universali consuetudine, Rubricae et supernaturali rationi innixa, semper ad elevationem Sancta profunde inclinati adorant: ut si alicubi, nonnisi Sancta intuerentur elevati, reprobatione dignissimos eos iudicaremus.

VI. *E Brixia.* **De festis affixis in Dominicis.** Plura in nostro calendario festa reperiuntur affixa Dominicis, cum ii, quorum interest, rogati de privilegio, de hoc non constare certo asserant. Quid dicendum et agendum?

Resp. Non posse absque indulto festa quaecumque localia Dominicis affigi, adeo notum est, ut super hoc immorari inutile sit: Decreta nimis sunt clara et explicita. Aliud tamen est de festo iudicare, quod affigendum esset, aliud de festo quod iam affixum fuit, et dudum celebratur in Dominico die. Quod enim factum est, iure merito rite factum praesumendum, nisi omni certitudine probetur oppositum. Si id ergo

demonstratum fuerit, certo certius venia et indultum a S. R. C. expetendum erit: secus arbitramur nihil esse immutandum, et indultum supponendum. Non enim hic agitur de re prohibita quia mala, sed de re mala, quia prohibita.

APPENDIX.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa constitit; ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco,

si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis*, habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Joseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se frabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus Nostris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus magno in honore habitus est iam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam, pervasit: deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Mont-morency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincere, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et

Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare: providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius IX. similibus litteris approbavit, deinceps Epistola die V. Ianuarii MDCCCLXX. ad pium auctorem data, singularis laudis proeconio est prosequutus. Ad Nos quod attinet, cum summopere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, noluimus desiderari laudem et commendationem Nostram; datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum, S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragando dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus. Deinde veriti ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnaret, quibus in universo catholico orbe piae consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accuratum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur (1).

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavimus et Apostolica Auctoritate nostra rata habuimus et confirmavimus, derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III. Octobris anno MDCCCLXV. datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volu-

(1) In sequenti *Ephemeridum* numero Statuta, de quibus Breve, referemus.

mus autem, iubemus ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli, quae nunc existunt, in hanc unicam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli, quae constitutionibus utantur ab ac S. Sede adprobatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII. in Constitutione *Quaecumque* die VII. Decembris a. MDCIV. Hae vero confraternitates ac religiosae Congregationes, quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab huiusmodi cura, quae solummudo Parochis commissa est, prorsus abstineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis iterum adscribantur, dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae nimirum potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Concilium adesse volumus Urbanorum Antistitum, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi siquidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales ae-

rumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores. Decernentes haec omnia et singula uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV. Iunii MDCCCXCII. Pontificatus Nostri Anno XV.

S. Card. VANNUTELLI.

S. CONGR. EPISC. ET REG.

Beatissime Pater,

In Decreto a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 17 Decembris præteriti anni 1890 edicto hæc verba leguntur: « Sanctitas sua Præsules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent Confessarium quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre ferre demonstrent ». Quibus verbis hæc subsequuntur: « At ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile queant ». Omnibus perpensis, necnon sanctæ Apostolicæ Sedis patefacto proposito nullum infligendi vulnus disciplinæ de Confessariis ordinario et extraordinario, Episcopo Malacitano sequentia eveniunt dubia, quæ ipse sacræ Congregationi solvenda submittit.

I. Quis sub nomine Præsulis vel Superioris, cujus est subditis concedere vel denegare Confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium Confessarium deputavit, vel potius qui domui præest sive vir sit, sive femina?

II. Cum ex Decreto Superior, quicumque sit, nequeat Confessarium extraordinarium denegare, immo nec ægre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petenti apprehensam?

III. Præsul, qui ex dictis Confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam

ipsius Confessarii, vel idem Religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat?

In eodem allato Decreto hoc præceptum invenitur: « Quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit, ut frequentius quam diebus statutis in propriis regulis accedat Religiosus ad sacram Synaxin, id ei ab ipso Confessario permitti poterit ».

Cum vero in pluribus Constitutionibus, Apostolica Sede approbatis, non tantum certæ statuantur dies ut Religiosi ad sacram mensam accedant, verum explicite vetetur ne ultra præfatas dies ipsi Religiosi Communionem accipiant, veluti de Monialibus Discalceatis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo constat, sequens oritur dubium:

Utrum Constitutiones quarumdam Familiarum religiosarum, quibus vetatur ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certas et statutas dies, abrogatæ fuerint in hoc capite Decreto 17 Dec. 1890, ita ut eis non obstantibus liceat Confessario frequentiorem accessum suis Religiosis pœnitentibus concedere, vel adhuc post memoratum Decretum in vigore maneant?

Et Deus, etc.

Sacra Congregatio Emorum Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, propositis dubiis respondendum censuit prout respondet:

Ad I: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II: *Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios Confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriæ conscientiæ consulant.*

Ad III: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Quo vere ad postremum dubium, quod frequentiorem ad S. Synaxin accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit, *abrogatas censendas esse Constitutiones, quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.*

Romæ, 17 Augusti 1891.

I. Card. VERGA, *Præfectus.*

Fr. ALOYSIUS, Ep. CALLINICEN., *Secre.*

Proprietas literaria.

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

URBIS ET ORBIS.

Ex quo Summus Pontifex Pius IX beatum Ioseph purissimum Deiparae immaculatae Virginis sponsum, atque Christi Domini Salvatoris nostri putativum patrem, universae Catholicae Ecclesiae Patronum constituit, antiqua Christifidelium pietas erga ipsum inclytum Patriarcham mirifice aucta est. Haec porro pietas, nova veluti addita flamma, ferventius exarsit postquam Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per suas encyclicas litteras, sub die XV Augusti anno MDCCCLXXXIX datas, gloriosi eiusdem Patriarchae dignitatis praestantiam et validissimum apud Deum patrocinium celebravit, atque erga caelestem Patronum devotionem cohortationibus favoribusque inter fideles fovere subinde non destitit. Hinc factum est ut ad Apostolicam Sedem undique transmissae sint postulationes, quo amplioris in sacra liturgia cultus honores beato Ioseph tribuerentur.

Iamvero Sanctitas Sua, etsi de his supplicibus votis sibi delatis summo afficeretur gaudio, utpote quae populorum in dies succrescentem devotionem

referrent; nihilominus eumdem Sanctum Patriarcham potiori liturgico cultu, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum, ditare minime censuit.

Verumtamen quum saepe saepius illius Festum XIV Kalendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae Passionis, vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii, quod suo caelesti Patrono universus Catholicus Orbis una simul exhibet; Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit ut iis annis, quibus praefatum Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem, et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis tamquam in sede propria: servato rubricarum praescripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium.

Hoc autem decretum promulgari atque in rubricis Breviarii ac Missalis Romani adiici praecepit. Die XV Augusti MDCCCXCII.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. VINCENTIO NUSSI, *S. R. C. Secretario.*

Ioannes Ponzi, *Substitutus.*

II.

SPALATEN.

R̃mus D̃nus Philippus Franciscus Nakic Episcopus Spalaten. Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur exposuit: " In Dioecesi Spalatensi antiqua viget consuetudo in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes fontem baptismalem benedicendi tantum in Cathedrali, Concathedrali, Collegiata et nonnullis praecipuis parochialibus Ecclesiis; pro usu vero fontium baptismalium reliquarum Ecclesiarum parochialium defertur aqua benedicta ex memoratis Ecclesiis. Eiusmodi consuetudo, minime consentanea ritualibus praescriptionibus, repetenda probabiliter est ex eo quod olim istae Ecclesiae parochiales fuerint succursales illarum, in quibus aqua baptismalis benedicitur: et ex eo quod in nonnullis parochiis ob defectum ministrorum, quia fideles in memoratis diebus ad Ecclesiam non accedunt, solemnis benedictio difficulter perageretur „ Idem R̃mus Episcopus, hisce expositis, a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

I. An ista consuetudo ulterius toleranda sit?

II. An benedictio fontis, in casu quo fideles non accedant ad Ecclesiam diebus statutis, privatim absolvenda sit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita hisce dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Negative;* exceptis, si adsint, specialibus ac determinatis iuribus circa Ecclesias matrices.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit die 17 Iunii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius*

III.

METEN.

De mandato Rmi Dñi Episcopi Meten. hodiernus Redactor Calendarii Dioecesani Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Invaluit usus Symbolum recitandi in Festo, ritus duplicis maioris, Inventionis S. Stephani, sive in Ecclesia Cathedrali, quae sub eiusdem Sancti invocatione dedicata est, sive in tota Dioecesi, in qua uti Patronus die 26 Decembris rite colitur.

Potestne hic usus servari?

Et quatenus *Negative,* petitur ut, attenta consuetudine, in tota Dioecesi Symbolum recitari queat die 3 Augusti.

Dubium II. Utrum Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, per Decretum diei 28 Iunii 1889 concessa pro ea feria VI, quae prima in mense occurrit, habenda sit ut votiva pro re gravi, etiam si dicatur sine cantu (attenta praesertim dignitate festorum, in quibus haec Missa conceditur); an potius habenda sit ut

votiva privata sine *Gloria* et sine *Credo*, cum omnibus Collectis a Rubrica praescriptis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Pro gratia, facto verbo cum SSmo:*

Ad II. *Detur recens Decretum in una Montis Politiani*, 20 Maii 1890, (1). Atque ita rescripsit die 20 Maii 1892. Facta postmodum Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium relatione de primo Dubio, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae ipsius Congregationis benigne approbare dignata est. Die 22 Iunii, anno eodem.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

IV.

LAUDEN.

Rmus Dnus Ioannes Baptista Rota Episcopus Lauden. animadvertens in Pastorali Visitatione, quod in pluribus Dioeceseos sibi commissae Ecclesiis sacra paramenta et supellectilia adhibentur haud liturgicis legibus conformia, quae quidem ob res angustas haud

(1) Hocce Decretum in primo ex Dubiis quaerit: « Missa votiva SS. Cordis Iesu... celebrari debet sine *Gloria*, sine *Credo*, et cum tribus Orationibus, an ritu quo celebrantur Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione? » Responsum vero est: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». *Redactio.*

facile est passim renovari; Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Utrum adhiberi possint sacra paramenta ex lana confecta, prohibendo tamen ne in posterum emantur?

Dubium II. Albae veteres ex gossypio acu pictae permitti possunt donec consummentur?

Dubium III. In oratoriis ruralibus atque Ecclesiis, quae parvum habent censum, planetae sericae flavi coloris, ut antea, adhiberi ne queunt?

Dubium IV. In hac Dioecesi extant multa altaria portatilia, vulgo " pietre sacre „ quorum operculum ex metallo confectum est. Quaeritur utrum eiusmodi altaria consecrationem amiserint?

Dubium V. Thecae vetustae cum Reliquiis, quae authentico documento carent, olim ad suppressa Monasteria spectantes, possuntne exponi in altari, uti fit ab immemorabili tempore?

Dubium VI. Altaria Ecclesiarum olim ad monasticos ordines pertinentium, quae habentur passim consecrata, etsi careant sepulcro Reliquiarum (procul dubio sub tabulis marmoreis reconditarum, uti recognitum fuit in duabus Ecclesiis, quarum altaria rursus consecrata sunt), debentne rursus consecrari?

Dubium VII. Causa sufficiens haberi potest ad permittendum Parochis Oleum Infirmorum apud se domi retinere, quia haec ab Ecclesia parochiali seiuncta est; ita ut huius fores noctu per accitos famulos aperiendae essent?

Dubium VIII. Fasne est Parochis stolam induere super rochettum aut superpelliceum, sed mantelletta contectum, quoties sacramenta administrant?

Dubium IX. Canonici Ecclesiae Cathedralis induti

cappa magna et stola, possuntne sacram synaxim distribuere, vel patenam deferre, seu porrigere quoties Episcopus solemniter Sanctissimam Eucharistiam Fidelibus distribuit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Negative*, iuxta Decretum in una *Senen. diei 18 Decembris 1877, ad V:*

Ad II. *Pro gratia, donec consumantur:*

Ad III. *Negative,* iuxta Decretum in una *Mutinen. diei 22 Septembris 1837 ad VIII:*

Ad IV. et V. *Negative:*

Ad VI. Datur potestas, vigore facultatum Sacrae Rituum Congregationi a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, consecrandi per breviorem formulam ea tantum altaria, quae certo constet numquam consecrata fuisse.

Ad VII. *Standum Decreto* in una *Toletana diei 31 Augusti 1872 ad V.*

Ad VIII et IX. *Negative.* Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit. Die 23 Iunii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

V.

NICOSIEN.

In Ecclesia olim Collegiata nunc Concathedrali Nicosiensi singulis feriis secundis per annum ab imme-

morabili tempore viget consuetudo a vespere Matutinum Defunctorum recitandi. Nunc vero dubium inter Capitulares exoritur, an teneantur id exequi quoties in Feriam secundam incidat festum solemnius ex. gr. Nativitatis, Epiphaniae Domini, vel duplex quodpiam primae vel secundae classis. Hinc Rm̃us Dñus Bernardus Cozzuoli hodiernus Episcopus Nicosien. sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: " An stante immemorabili consuetudine recitandi singulis feriis secundis totius anni Officium Defunctorum, debeat recitari ratione Rubricae, etiam quando in aliqua ex dictis feriis incidat festum de praecepto, vel primae aut secundae classis, vel Octava ex privilegiatis „?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio censuit rescribendum, videlicet: " Consuetudinem recitandi vespere Officium Defunctorum qualibet feria secunda per annum, occurrente licet festo de praecepto, vel duplici primae aut secundae classis, vel infra Octavam privilegiatam servari posse, dummodo submissa voce fiat, expleto Officio diei „. Atque ita rescripsit die 22 Iulii 1892.

✠CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Ioan. Ponzi *Substit.*

VI.

MEXICANA.

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Collegiatae sub titulo B. M. V. de Guadalupe in civi-

tate atque Archidioecesi Mexicana de mandato sui Rm̃i Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: In memorati templi, quae nunc absolvuntur, instaurationibus habetur renovatum altare maius, ubi B. M. V. de Guadalupe imago depicta collocanda erit, medium inter binas marmoreas statuas, scilicet Rm̃i Dñi Zumarraga primi Antistitis Mexicani et cuiusdam Indi Ioannis Didaci, cui Deipara Virgo fertur apparuisse. Quaeritur an praedictas virorum statuas etiamsi adorantium instar, ibi apponere liceat?

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Simulacra de quibus in casu, collocari poterunt in Ecclesia, dummodo non exponantur super altare.* Atque ita rescripsit die 15 Iulii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Ioann. Ponzi *Substit.*

VII.

DIANEN.

Rm̃us Dñus Vincentius Addessi Episcopus Dianen. sequens Dubium a Sacra Rituum Congregatione declarari humiliter expetivit, nimirum: " A pluribus annis in Cathedrali Ecclesia Dianen. invecta est consuetudo, qua Canonici et Mansionarii Choro addicti in Missis Conventualibus, imo et in Pontificalibus, neque canunt, neque submissa voce recitant *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus et Agnus;* sed haec omnia peragi sinunt

ab uno laico, qui organum pulsat. Quaeritur an haec consuetudo sustineri possit, vel potius eliminanda velut abusus? „

Et Sacra eadem Congregatio huic Dubio censuit rescribendum: *Standum esse in omnibus Caeremoniali Episcoporum.* Atque ita declaravit et rescripsit die 22 Iulii 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.
Ioannes Ponzi *Substit.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IX.

DE RATIONE EXORNANDI ANTICAM PARTEM ALTARIUM.

Caius recens Episcopus, satis dubitat, utrum probari nec ne debeant quaedam, quas in sua Cathedrali Ecclesia invenit, antiquae consuetudines, circa modum cooperiendi exornandique anticam altarium partem: quod peculiariter diebus ferialibus accidit, in quibus de more non teguntur pallio. Nam aliquorum ex his altaribus pars antica ex marmore est quidem; eius nihilominus color praecipuus est niger, qui proinde moestitiam luctumque sapit, sibique videtur maxime dedecere Sacramento, quod in uno ex illis asservatur. Alia vero ex maltha coalescunt; sed quia pars eorum

antica absumpta est, ornatu quodam ad instar pallii cooperiuntur ex materia multicolori chartacea, arte quidem elaborata, sed quae pariter indecens sibi apparet pro Ecclesiae usu. Unum denique extat altare, cuius antica pars cooperta manet simplici tela serica coloris rubri: quae in superiori parte filo metallico adhaeret, et in inferiori pendet ad suppedaneum usque altaris, adeo ut quandoque Sacerdoti celebranti, hac illac in Missa pergenti, quamdam molestiam inferat. Itaque Episcopus, ne quidquam in sua Ecclesia fiat contra, vel decorem domus Dei, vel praescriptiones liturgicas, sequentia dubia Titio caeremoniarum magistro solvenda proponit:

1. *Utrum anticae altarium partis exornandae usus semper viguerit in Ecclesia seu Latina seu Graeca?*

2. *Utrum palliorum in altaribus extet obligatio vi Rubricarum, quidque, sive adhibeantur sive non, servandum circa materiam, formam et colorem anticae partis altarium?*

3. *Quid de modis altaria cooperiendi, de quibus in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Emilii Ferraris ex almo Collegio Capranicensi, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianum, die 20 Maii 1891: acta Epitoma per Rmum Dom. Felicem Zualdi ex Presbyteris praefatae Congregationis.

1. Quaeritur primum, utrum consuetudo exornandi anticam altarium partem, seu in Latina, seu in Graeca Ecclesia semper viguerit.

Nunquam extitit sine religione populus, aut sine sacrificio Religio, aut sine altari sacrificium aut sine sacrificio Deus. Nihilominus unus christianus populus incomparabili auctus fuit dono in his omnibus veritatem possidendi, qua verum Deum in certa fide per acceptabile sacrificium super altare oblatum maximo honore prosequitur. Est itaque altare pro Christiadibus thronus excelsus, quo Rex regum, ac Dominus dominantium assidet, cuius radii sanctitatis universo in orbe longe lateque effulgent. Quanta ergo veneratione fas est, circumdari in templis altaria, nec mens humana capere, nec satis valet cor hominis penetrare. Huiusce venerationis signa sunt ornatus externi, quibus altaria cooperiuntur, et de quibus nobis sermo erit.

Inspiciamus ergo primo, quaenam antiquitus Latina Ecclesia huius tam probatae consuetudinis exempla dederit. Equidem illa palliorum altarium forma, qua in praesenti disciplina utimur, in antiquitate frustra quaeritur. Haec enim forma ex panno, ut plurimum constituitur tantae altitudinis ac latitudinis, prouti tota altaris pars antica exigit, quem vel lignea vel metallica corona inaurata circumdat et exornat. De hac itaque forma pallii antiquitas silet, quae tamen indubia argumenta praebet, ut concludamus, iis ad anticam altarium cooperiendam ornandamque partem vere fuisse usam. Imprimis namque sublimior id suadet idea, quae Apostolorum, apostolicorumque virorum mentes illustravit circa venerationem, qua dignissima sunt altaria, ut nil omitterent, quod ad maiorem illorum ornatum conferre posset. Sed praeterea constat, a Constantini Imperantis aetate usum vigere altaria exornandi aureis vasis pretiosisque vestibus. Nam ea quidem ratione illa exornata fuerunt, quae eodem

curante Constantino in urbe Ierusalem erecta sunt sub initio Saeculi IV, uti Theodoretus refert (*Hist. Eccl. Lib. I, cap. XXIX*). Insuper Iustinianus Imperator in Epistola, quam ad Hormisdam Pontificem dedit, testatur, se duo pallia serica eidem direxisse ad ornamentum altaris Sanctorum Apostolorum (*Apud Bona, Rer. Liturg. cap. XXV*, §. *XIII*). Huiusmodi autem pallia, seu vestes nuncupabantur, quod altare totum quodammodo vestiebant. Hinc Ivo Carnotensis ea memorat dicens: " Observandum est, ut mensa Christi, idest altare... cum omni veneratione honoretur; et mundissimis linteis, et palliis diligentissime cooperiatur (*P. 2 Decr. cap. 132 ex Conc. quodam Rhemensi*). Optatus autem Milevitanus de linteaminibus loquitur quibus cooperiebantur altaria, ut velamina quidem tangi a fidelibus possent, non lignum altarium (*Ap. Bona, loc. sup. cit.*).

Sed et Romae similia, quin et praeclariora exempla non desunt. Nam S. Paschalis dicitur vestem fecisse pro altari S. Petri, mirae magnitudinis, pulchram, et decoratam nimis ex auro gemmisque contextam. Sergius Pontifex huius nominis secundus fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdabatur altare. Hinc Alcuinus in suo III poemate scripsit:

« Plurima Basilicae sunt ornamenta recentis:
Aurea contortis flavescunt pallia villis,
Quae sunt altaris sacri velamina pulchra ».

Ex quibus haud obscure inferri potest palliorum in antiquitate Ecclesiae usus, quibus totum operiebatur altare. In genere quidem loquuntur auctores de corporalibus, de pallis, de aulaeis, de velis, de palliis, etc. At inter huiusmodi ornamenta et illud com-

prehendi, quod pro antica altaris parte cooperienda ac simul exornanda inserviebat, dubitari nequit, quamvis non tantum anticae parti, sed et toti altari simul adornando inservire potuerit.

Durandus Episcopus Mimatensis (*Ration. div. offic. Lib. I, cap. 2*), licet subobscure, de pallio altaris loquitur, iuxta Gavantum (*Pars I, Tit. XX, lit. t*): ut dicendus sit, eum nonnisi antiquissimum referre usum, cuius mysticam significationem addit.

Successu vero temporis ornamentum istud peculiare factum est, ut huic tantum fini exclusive inserviret. In Ordine enim Romano XIV, qui decimoquarto saeculo conscriptus fuit, legitur: " Provideant... clerici, quod deferant pannum sericum, qui dicitur *dorsale*, et auriphrigium, ad adornandam faciem altaris ". S. Carolus Borromaeus, duo circiter post saecula in actis Mediolanensis Ecclesiae Pallii formam, coloremque simul descripsit hisce verbis: " Pallium seu palla, vestimentum scilicet, quod ante altare tenditur suspensum, paulo longius quam altare patere debet, eoque altius, ut ab ima parte paululum sub cornice scabelli eiusdem altaris occultetur. A superiori parte, palmum a summo distante laciniis, quas frangias dicunt, auro sericove elaboratis pro colorum ratione, ex Ecclesiae ritu praescripta ornetur ". Alibi autem haec habet: " Velamentum, quod ad ornatum frontispicii altaris in Missae Sacro adhibetur, superiorique parti pallii, in ipso altari tamquam frontale quoddam obtenditur, eiusmodi sit, ut demissum usque ad serica filamenta, quae pallio assui solent, vel paulo infra perveniat, etc. ".

Quod autem Latina tenuit Ecclesia, id et Graeca. Imprimis enim constat, Graecorum altaria pannis fuisse circumdata, quos antimensia dicunt, et consecrata ab Episcopis in templorum Dedicatione. Iis utuntur, post-

quam in plures diviserint partes Presbyteri orientales, cum Sacrum in altari non consecrato faciunt (*Bona, Lib. 1, cap. XX, §. 2, nota 4*). Sed insuper tribus velis Sacra contegit Ecclesia Graeca, quorum tertium aer nuncupatur, quia per modum aeris circa terram expansi, sacra dona ambit (*Guar. In S. Ioan. Chrys. Miss. nota 51*). Denique Simeonis Thessalonicensis Liturgia docet, non solum altaria esse unguento delibuta, sed et stragulis circum vestita et exornata. Ut proinde vela, seu pallia, quibus in praesenti altaria in antica parte cooperiuntur, si a forma abstrahamus, antiquissima in utraque Ecclesia fuisse censendum sit.

2. Altero in Dubio quaeritur, utrum palliis sint cooperienda altaria ex Rubricarum obligatione, quidque servandum sit, sive adhibeantur sive non, circa anticae partis altarium materiam, formam et colorem.

Videndum imprimis quid Rubricae ad propositum nostrum quod pertinet, statuant. Rubrica Missalis sic se exprimit: " Pallio quoque (*altare*) ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis (*Rubr. Gen. Tit. XX.*) ". Caeremoniale vero Episcoporum ait: "... Altare maius in festivitatibus solemnioribus, aut Episcopo celebraturo, quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate et exigentia ornabitur: quod si a pariete disiunctum et separatum sit, apponentur, tam a parte anteriori quam posteriori illius, pallia aurea vel argentea, aut serica, aut perpulchre contexta, coloris festivitati convenientis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quae telaria vocant, ne rugosa, aut sinuosa, sed extensa et explicata decentius conspiciantur (*Lib. 1, cap. XII, n. 11*) ". Hinc dicendum prima fronte apparet, pallii vel palliorum usum pro cooperiendis ornandisque altaribus esse lege praescriptum. Nihilominus opposita in

multis Ecclesiis consuetudo viget, vi cuius nunquam altaria pallio cooperiuntur. Consuetudo autem est optima legum interpres, ut norunt omnes, eo vel maxime quod ipsa in Urbe, auctoritate vidente ac tacente, locum habet. Praeterea lex Missalis ait, *ornetur;* agitur ergo de ornamento, quod decus augeat maiestatemque altaris. Iam nunc, si altaris frons ex se pretiosior esset pallio, puta ex auro, argento, marmore, nonne satis decori, etiam non adhibito pallio, provisum fuisset? Praeterea alia ratio adhibendi pallii, si quaerenda esset in lege, profecto convenientia foret coloris altaris cum officii. At nemo non videt, legem ipsam, ad colorem quod pertinet, aliquantam libertatem facere, ait enim, *quoad fieri potest.* Si ergo et aliquanta est in pallii colore libertas, si pallium ad ornatum adhibetur, si et sine pallio haberi idem ornatus potest, iam sequitur, severam obligationem ex hac lege non induci. Quod et confirmatur relatis Caeremonialis Episcoporum verbis, ex quibus abunde patet, unum esse palliorum finem, videlicet ampliorem et sumptuosiorem altarium ornatum. Hinc ipse Gavantus super relatam Missalis Rubricam commentans ait: " Pallium... a palliando dicitur... potest etiam sine eo celebrari, puta si altare est ornatum auro, vel lapide pretioso (*Pars I, Tit. XX, lit. t*) ".

Itaque ex hucusque expositis hoc unum inferri certo potest: Pallium altaris ad eiusdem altaris ornamenta pertinere, nec ad alium finem a lege requiri, nisi ut antica altaris pars decori respondeat: ut si finis iste alia ratione obtineri possit, pallii obligatio desit.

Propositum quaesitum insuper postulat, quid dicendum de materia, de forma, et colore eiusdem pallii. Circa primum reponendum est, materiam non esse a

lege determinatam, requiritur nihilominus, ut vel nobilis sit, vel saltem decens, laciniis respondentibus exornata, iuxta Ecclesiarum morem. Animadvertendum tamen, cuiuscumque ex materia coalescat altare, ex petra sint necessum esse illas partes, quae vel consecrandae, vel unctionibus iungendae sunt, uti in angulis accidit. Circa formam, decus altaris, quod lex respicit, exigit, ut ipsi altaris formae anticae partis respondeat, ut pannus sit corona circumdatus, seu impagibus, super quibus decenter sit pannus extensus, *ne* pallia *rugosa, aut sinuosa, sed extensa et explicata conspiciantur*, uti Caeremoniale Episcoporum se exprimit (*Loc. sup. cit.*). Nec tamen vetitum dici potest, si pallium minoris extensionis, quam altare, quid unum cum lateralibus ipsius altaris pilis efformaret, modo apte illud his respondeat. Ad colorem quod spectat, dicendum est, ex lege requiri, ut quantum fieri potest cum colore officii, quod celebratur, conveniat. Quae nihilominus verba legis, ex universali saltem consuetudine ita intelligenda sunt, ut si pallium adhibeatur, colorem officii praeseferat, secus naturalis altaris frontis color servari potest, quicumque ille sit. In praesenti namque disciplina quid ridiculi saperet, exornare pallio altare et convenientem non servare colorem. Caveas tamen ne iudices pretiosiorem materiam incoloram, puta auream vel argenteam etc. esse vetitam; de palliorum enim materia idem a fortiori praedicandum, quod de materia paramentorum: ut videlicet materiae excellentior nobilitas haud satis determinatum colorem optime suppleat.

Haec quidem si pallium adhibeatur, secus quod praecipue attendendum, decentia est; materia enim esse quoque poterit ex ligno, maltha, calce etc. Forma etiam in libertate est, ut vel etiam rectangula esse

queat, vel urnae sepulcralis instar, maxime si subtus altare alicuius Sancti asservetur corpus. Color autem nullus praescribitur, ut colorem materiae, ex qua frons altaris efformatur, quicumque sit retineri nulla lex inhibeat. Hinc proprius materiae color servari continuo potest in fronte altaris, etsi albus, subrubeus, niger, vel discolor, uti videre est in pluribus Urbis Ecclesiis. Sicut enim esse potest altare ex auro, argento, et cuiusque metalli, aut marmoris specie, ex quibus unaquaeque materia proprio colore gaudet, ita fieri non potest ut mutari debeat, nisi quando arte confectum pallium adhibendum esset.

3. Facile inferas quid tertiae respondendum petitioni, seu quid iudicandum de varia altarium exornandorum ratione, prout in casu.

Itaque, imprimis, cum iam conclusum fuerit, nullam esse in palliis materiam vetitam, dummodo absit decentiae defectus; iam patet altaria ex marmore, ex maltha etc. non posse dici prohibita, sed lege permissa. Ad chartam quod attinet, si, uti casus refert, arte fuerit pro pallio conficiendo elaborata, nec dici prohibita potest, satis enim fuisset indecentiae consultum. Circa telam sericam, quae ex parte superiori frontis altaris pendet ad suppedaneum usque, absque ullis impagibus, verbis quidem Caeremonialis minus conformis apparet. At cum potiusquam pallii, simplicis operimenti rationem habeat, forte ut indecentiam anticae partis abscondat, vel ut corpus alicuius Sancti, quod illic asservatur, visum continuum impediat; ita haud reprobandam eam iudicamus, maxime cum primaevae antiquitati Ecclesiae respondeat. Quod si rubeus sit color, nihil interest, et retineri semper potest, considerari enim potest praefatum sericum, tamquam proprium ac prope naturale altaris frontis operimen-

tum, ut superius dictum est, in quo determinatus color non requiritur. Congruit nihilominus ut eiusmodi tela ita anticae altaris parti accommodetur, ut nullam afferat molestiam, quod cetera per se patet.

CASUS LITURGICUS

Titius Sacerdos, sacra Hostia in ore accepta, toties ad vomitum vehementer provocari se sentit, quoties deglutire illam conatur, usque dum, deficientibus pene sensibus, compulsus est ex ore dimittere in Purificatorium a Caio sibi oblatum. Caius haeret primum anceps, utrum ipse (quamvis non ieiunus) debeat nec ne Sacrificium prosequi: omnibus tamen perpensis pro parte negativa se determinat. Ait enim intra se: « Titius non deglutivit hostiam, sed neque ego deglutiam, nausea est mihi. Sive ergo Missam prosequar, sive non, Sacrificium imperfectum semper remanebit ». Indutus proinde Cotta et Stola condit intra Ciborium, tum Hostiam purificatorio involutam (ad illam comburendam cum fuerit corrupta), tum Calicem cum sacro Sanguine, quem consumere facit in Missa a Sempronio celebrata

Quaeritur. Utrum Caius bene se gesserit?

SOLUTIO.

1. Primum, quod potest inquiri, Caium respicit, utrum sacram Hostiam consumere teneatur, quam Titius deglutire non valuit. Idque independenter a ieiunio; notum est enim, duplicem in casu adesse legem, de integrando Sacrificio, et de servando ieiunio. At nemo nescit, cum duae in conflictu veniunt leges, negligendam illam esse quae minoris est momenti, illam servandam, quae est potior. Iam nunc, cum citra controversiam potior sit lex de integrando Sacrificio, utpote divina, minor vero, quae ieiunium tangit, utpote ecclesiastica; in aprico est, Sacerdotem sive ieiunum

sive non, teneri *per se* Sacrificium absolvere (1). Itaque respondemus ad propositum dubium: Negative. Etenim nulla potest lex hominem obligare ad id, quod eius vires excedit. Eiusmodi autem est, seu supra vires pro Caio, sacram deglutire Hostiam, quam pluries, uti aperte ex casu eruitur, Titius deglutire conatus est cum vehementi vomitus provocatione, et nequivit. Consequenter nausea, de qua Caius, iusta dicenda est ratio, quae ab Hostia consumenda, ipsum excusat: ut iudicandum sit Caium ad Hostiam illam deglutiendam non teneri.

2. Quo posito, duplex medium Caio remanet: aut aliam consecrare Hostiam, ut cum Sanguine sumat, aut Sanguinem tantum sumere et Hostiam ad corruptionem servare. Quid autem de primo? Ineptum iudicamus medium. Namque Sacrificium certe valide peractum fuit, licet imperfectum remanserit ex defectu integritatis seu sumptionis. Num ergo alterius Hostiae consecratae sumptio imperfectum Sacrificium integrabit? Minime gentium; quia Hostia valide consecrata fuit et consecrata manet, eaque non sumpta defectum imperfectionis constituit. Alterius ergo Hostiae consecratio erit novi inchoatio Sacrificii, haud primi integratio, cuius materia consecrata adhuc perdurat. Est ergo ad minus inutile eiusmodi novae materiae consecratio: ex quo sequitur nec licitam posse dici, cum nonnisi vera integratio Sacrificii unius tantum materiae consecrationem excusare valeat. Aliud ergo non remanet Caio medium, nisi Hostiam comburendam, post corruptionem, servare, et Sanguinem sumere.

3. At inquires: tenebatur ne Caius Sanguinem sumere et reliqua Missae absolvere? Ita sane, nec posse id arbitramur in controversiam adduci; quia meliori modo quo poterat Sacrificium in-

---

(1) Quod quidem intelligendum, si alius Sacerdos ieiunus praesto non sit, secus hic, non alius, Missam deberet absolvere. Animadvertendum tamen, haud urgere necessitatem prosequendae Missae statim ac primus Celebrans eidem continuandae evasit impar. Communiter enim admittitur posse aliquandiu expectari, imo expectandum esse in gratiam legis de ieiunio, ut, si sit spes, Sacerdos ieiunus debeat iuxta legem Missam absolvere. Quantum autem temporis sit expectandum, statui haud facile potest. Cl. Quarti protrahit ad duas vel tres horas, Benedictus XIV ad meridiem usque extendit (*V. Ephemerid. ann. III, pag. 142, et 690*).

tegrandum erat, neque aliter id fieri poterat, quam Sanguinem sumendo, consequenter et Missam absolvendo. Animadvertendum est enim, hic non agi de tota Hostia, quae sumi a Caio ex nausea non poterat, sed de eius potiori parte; pars enim altera, esto minima, haud tamen simplex fragmentum, iam antea immissa iuxta ritum fuerat in calicem. Sumendo ergo Caius totum Sanguinem, non solum vini species sed et panis realiter sumpsisset, consequenter Sanguinem et Corpus Christi, sicque substantialiter integrum Sacrificium evasisset. Et revera, pone tristissimum accidere casum eversionis calicis post consecrationem, ita tamen ut pars aliqua, esto minima, modo capax sit ut sumi possit per modum potus, quem reapse bibat Celebrans: quid iudicandum? Nonne integrum Sacrificium fuit? Haud dubium. Quare? quia et Corpus et Sanguinem Celebrans consumpsit, quamvis portio Sanguinis minima fuerit. A pari in casu, sumpsisset Caius cum calice Sanguinem et Corpus, quamvis hoc in minima proportione, proindeque integrum evasisset Sacrificium. Discrimen profecto concedam inter alterum et alterum casum: in illo enim totus, qui remansit, sumptus est Sanguis, in hoc autem pars tantum specierum panis, aliis intra tabernaculum reclusis. At substantialis integritas extat in utroque casu, quatenus utraeque species consumuntur, licet nonnullae partes ex necessitate insumptae maneant. At id substantiali integritati Sacrificii non obstat, sicut neque obstant plures in tabernaculo servandae particulae, quae praeter Hostiam maiorem a Celebrante consecrantur in Missa, et vere ad Sacrificium pertinent. Ceterum, quidquid sit, in casu habita fuisset sumptio Corporis et Sanguinis, quae cum citra ullam difficultatem fieri potuisset, omittenda non erat, ut possibilis obtineretur Sacrificii integritas.

5. Aliam praeterea nequimus animadversionem praetermittere, cuius obiectum sunt preces et ritus praescripti, qui ex defectu continuationis Missae, haud potuerunt habere locum, et nihilominus servari facillime potuissent, cum honore et decore Sacrificii, et cum ingenti animarum lucro. Ritus autem isti, uti orationes calicem respicientes, Communio, Postcommunio etc. ad Missam pertinent et proinde ad Sacrificium, quod nisi substantialiter, accidentaliter saltem sub omni respectu perficiunt. Quod profecto obtineri non potuit in casu, quia alius Sacerdos in alio Sacrificio Sacras species sumpsit. Ex quo sequitur, sustineri vix posse iuxta veritatem fuisse Caium locutum quando asseruit: *sive ergo Missam*

prosequar sive non, Sacrificium imperfectum semper remanebit. Et hoc quoque dato, certe satis minus imperfectum Sacrificium fuisset, si Missam prosecutus fuisset, quam omnia relinquens, et calicem in tabernaculo recondens.

4. Quid proinde censendum de Caio, qui superpelliceo et stola indutus, Hostiam sacram purificatorio involutam in tabernaculo recondidit, ut corruptas species postea combureret, ipsumque Sanguinem ibidem reposuit, quem Sempronius in alia Missa consumpsit? Iis inhaerentes, quae hucusque exposuimus, primum non possumus quin approbemus, alterum vero minus recte factum credimus. Namque in re tanti momenti id agendum, quod minoribus inconvenientibus est obnoxium. In casu autem nihil omittendum erat de iis, quae magis Sacrificii integritatis possibilitati favebat. Haec autem sunt, quae in numero praecedenti diximus, non autem et Sacrificium, prouti erat, imperfectum, et ipsam Missam eo quo Titius pervenerat, relinquere. Id suggerit dignitas tam Sacrificii divini, quàm ipsius Missae rituum et caeremoniarum, quas Ecclesia instituit, nec non communis omnium spiritualis utilitas.

5. Antequam nihilominus propositi casus solutionem absolvamus, animadvertere opportunum iudicamus, nulla nos velle ratione Caium incusare de modo, quo in casu se gessit, sed potius excusare. Satis enim nobis, experientia duce, notum est, in his casibus, vel similibus, spiritus praesentiam saepe deficere, ac mentis perturbationem excitari, ita ut ipsimet theoretice peritiores, nimis in praxi implicatos se sentiant, ac propemodum quid sibi consilii capessendum nesciant. Laude proinde Caium prosequimur potius inspecta ratione, qua sacras panis species debito pertractavit honore, cotta stolaque indutus in tabernaculo recondens. Dignum excusatione iudicamus, si eodem in casu aliud ei in mente non subiit consilium, circa Sacrificium Missamque perfectiori qua fieri ratione poterat absolvenda.

6. Ea propter, omnia compendifacientes dicimus primo, Caium nulla fuisse in casu obligatione detentum ad Hostiam consumendam, ut optimo iure potuerit species panis in purificatorio involutas intra tabernaculum recondere, ut postea corruptas combureret. Secundo, Sacrificium debuisset Missamque perficere ubi Titius desierat, omnia sacra pro Missa induens paramenta, preces statutas recitans, sacrum consumens Sanguinem cum Corpore, ceterosque ritus, ceterasque peragens praescriptas caeremonias

usque ad finem, quod est Sacrificium Missamque integrare et complere. Haec autem casus solutio ipsis Rubricis Missalis respondet, quae docent: « Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur... praetermittitur Missa: si post consecrationem... id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis, etiam per non ieiunum (*De Defectib. Tit. X, n. 3*) ».

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Brixia.* **De festorum translatione in die immediate sequenti.** Dioecesis B. gaudet privilegio transferendi festa titularia et patronalia Ecclesiarum impedita in diem immediate sequentem, etsi impeditam festo duplici minori. Potestne privilegium extendi ad festum principale S. Ioseph, perpensis saltem quae Ephemerides dixerunt circa translationem cuiuscumque festi solemnioris?

Resp. 1. Privilegium, de quo in casu, particulare est: Decretum, quo conceditur, item particulare est: obiectum ergo ipsius Decreti, nonnisi particulare esse potest, tangens videlicet titularia et patronalia festa dioecesis impedita. Neque aliter arbitramur intelligi illud posse, seu quia Ecclesia universalis habere non potest festa titularia, seu quia festa omnia solemniora universalia nunquam impediri possunt, nisi raro tantum in casu, inter se, cui iam provisum est per Rubricas et Decreta. Ergo praefatum privilegium non potest ad patronale S. Ioseph festum applicari.

Resp. 2. Equidem Ephemerides, imo ipsa Academia Liturgica, dixerunt, posse festum patronale impeditum

transferri in diem immediate sequentem. At profecto animadvertas oportet, quanta Ephemerides cautela se exprimant, dicunt enim: " Non **videtur** esse Rubricis oppositum, sed potius **secundum earum spiritum**, si festum dup. 1. cl. **secundi ordinis saltem.... reponatur** in diem immediate sequentem, cum **nihil in oppositum** S. R. C. statuerit (*an. 1890, pag. 627*) ". Et alibi eamdem quaestionem agentes Ephemerides, dixerunt: " Non videtur contra eiusdem Rubricae spiritum, si admittatur alia etiam pro tribus solemnioribus festis localibus exceptio, *translationis nempe, ut in casu, in diem immediate sequentem.* Ut consequenter Dedicatio, Titulus et Patronus, si transferri debeant, locum invenire possint in die, in quo de semiduplici, vel forte etiam de duplici, foret agendum, eodemque semid. vel dup. simplificato, vel eo translato, aut omisso iuxta Rubricas (*an. 1891, pag. 430*) ". Conclusio autem est, *nulla hanc sententiam certitudine gaudere, et consultius esse... S. Congregationis Tribunalis mentem audire.* Concludendum ergo, privilegium praefatum ad S. Ioseph praecipuum festum extendi non posse.

II. *E Republica Mexicana.* **De Missa votiva SS. Cordis Iesu, exposito solemniter Sacramento.** Alicubi Missa privata, pro prima feria VI mensis indulta, dicitur coram Sacramento, quod ante Missam solemniter exponitur. Recte ne?

Resp. Decreta quamplurima satis nota ponimus, severius Missam seu privatam seu publicam vetantia coram Sacramento solemniter exposito, excepta Expositionis et Repositionis pro oratione quadraginta horarum, vel alia ad instar. Contra haec Decreta profecto non est Decretum *Altero nunc,* praefatam Missam indulgens, quod ex opposito de eiusmodi Expositione in casu altum tenet silentium, consequenter eam non

approbat; imo implicite damnat, fas est enim ut aliis Decretis inhaereat. Hinc et nos hanc Missam coram Sacramento reprobandam et damnandam iudicamus.

Nota. Alba, cingulum, manipulus, planeta, sunt paramenta, quae pro missa requiruntur, sed inepta pro expositione SS. Sacramenti iudicamus. Namque, uti notum est, manipulus pro casu nunquam adhibetur, et si habeatur, omittitur: cingulum pro alba inservit: hanc autem esse maximopere incommodam nemo non videt. Unicus, ni fallimur, casus, quo Sacramentum solemniter exponitur et clauditur in urna atque deponitur, a ministro Alba induto, est feria V et VI in coena Domini. At primo, ex unico hoc casu, et prorsus singulari, nihil potest concludi. Secundo, nec, Romae saltem, materialiter observatur, non enim Diaconus minister, sed alius Diaconus superpelliceo et stola indutus calicem, quem de manu ministri quidem recipit, reponit in urnam ex eaque deponit. Planeta vero uti pro Sacramento in Ostensorio exponendo vel deponendo, est quid novum et singulare, quod, quantum capimus, probari non debet. Cl. Solans id quidem probare videtur, sed nullam sententiae suae auctoritatem affert (1). Decretum Ord. Min. S. Franc. Capuccinor. in sexto Ephemer. num. relatum, ad Dub. XII haec habet: " Si agatur de expositione et repositione SSmi

(1) Cl. Solans nonnisi Editio quarta nobis est Operis sui; in eoque ad pag. 519, n. 680, Lib. 1 loquitur de Celebrante, qui solus cum acolythis aut etiam cum thuriferario Sacramentum solemniter exponit. Hinc diximus *probare videtur*, supposuimus enim Celebrantem sacris paramentis indutum: secus nominasset Sacerdotem, haud Celebrantem. Omnia tamen, quae in praefato numero asserit, quod attinet ad propositum nostrum, ex se dicit, haud vero probat, ut ei adhaerere nequeamus.

Sacramenti, sufficit, ut Sacerdos cotta et stola sit indutus: **nunquam cum alba cingulo et stola tantum** „. Pro benedictione autem Decretum exigit **omnino pluviale** et velum humerale. Quod si illa indumenta prohibentur sine planeta, et cum planeta eadem de causa, nisi a fortiori, prohibita censemus.

III. *Ex Ostunio.* **De Missa in Oratorio privato in festis solemnioribus.** Quando in Indulto dicitur tantum: *exceptis festis solemnioribus,* quibus diebus prohibetur Missa in Oratoriis privatis?

Resp. Adhuc super hoc negotio incerti, respondere nequimus: quamprimum responsuros speramus.

Nota 1. Circa legem tenendam pro Missis de requie praesente cadavere, videndum ante omnia Decretum in *Calagurritana* et *Calceaten.* ad Dub. XXVII, pag. 453, n. 8. Ephem. praesentis anni, et 457. Praesente autem cadavere, semper permittitur, exceptis omnibus festis solemnioribus universalibus imo et localibus; sed in festo Patroni praecipui prohibetur intra loci confinia, ubi ille colitur: in festis autem Tituli et Dedicationis Ecclesiae propriae, in Ecclesiis respectivis. Haec quidem certa sunt.

Nota 2. Cum aliquod festum solemne impeditum transfertur, severius loquendo nonnisi officium generaliter translatio respicit. De externa autem festi pompa, sive in die propria sive in translata, parum nihilve se occupat Ecclesia, cum festa transferuntur, dummodo leges Breviarii ac Missalis ad amussim serventur.

IV. *E Thracia.* **De situ Ostensorii cum Sacramento super altari.** Quando Ostensorium cum Sacramento collocatur super altari pro *Tantum ergo* canendo, et benedictione populo impertienda, poni ne debet super mensa, vel potest super aliam basim ligneam, in media mensa positam?

Resp Arbitramur longe melius esse Ostensorium super mensam ponere, quam super basim ligneam, licet palla coopertam. Nulla tamen id lex prohibet; hinc si ratio suggerat, ut super mensam altaris alia lignea, decenter tamen ornata, basis ponatur, ut Sacramentum magis emineat, reprehendi non potest. Nonne Ostensorium in sublimi throno optime collocatur, qui altare non est? Quare ergo super lignea basi collocari non poterit, posita super ipsam altaris mensam? Altare nihilominus est locus proprius, sicut Sacrificii ita et Sacramenti, ut magis congruenter super mensam quam super aliam basim collocetur, nisi tamen aliud rectus sensus dictet.

V. *Ex eodem loco.* **De intelligentia cuiusdam Indulti.** Missio Moldaviae facultate gaudet bis in hebdomada celebrandi in Ecclesiis Missas de requie, *etiam concurrente ritu duplicis* **minoris**, *exceptis festis 1 et 2 cl. nec non vigiliis, feriis et octavis privilegiatis.* Potest ne Missa fieri in duplici **maiori**?

Resp. Uti Illm̃us et Rm̃us Inquirens sapienter animadvertit, duplex maius videtur ex una parte exclusum ab indulto, cum tamen ex alia inclusum in illo appareat. Cum enim Missa indulgeatur etiam in duplici minori, iam patet ex hoc, duplex maius exclusum manere. At deinde exceptiones enumerantur, et in his non continetur duplex maius; ergo non excipitur, et in eo fieri potest Missa de requie. Nos autumamus, Indultum huiusmodi non excludere Missam de requie in duplici, sive minori, sive maiori. Primo, quia certus error omnino in Indulto ponendus est, ex inadvertentia transcribentis ortus; et facilius est ex calami lapsu, ut ita dicam, ad verbum *duplicis* addere *minorem*, quam totam exceptionem duplicis maioris postea omittere. Arroges, locutionem non esse naturalem,

prouti iacet, si inter exceptiones duplex maius voluisset ponere S. R. Congregatio, cum potius dici soleat, *occurrente etiam duplici, non tamen maiori:* vel *duplici minori tantum.* Secundo, quia in huiusmodi formula cuius habemus exemplar, verbum *minoris* non est inscriptum, sed legitur tantum: *ritus duplicis,* cum consuetis exceptionibus. Ergo dicendum transcriptorem, quin adverteret, posuisse *minoris,* quod locum non habet.

Nota. Ut dubium resolvatur, utrum liceat in duplici Missam facere in cappellis Monialium, scire oportet ex ipsa Indulti natura, ac se exprimendi ratione, an Indultum ipsum *personale* sit, an *locale.* Si primum, affirmative reponimus: si vero alterum, negative; quia cappellae Monialium non sunt Ecclesiae, quibus videtur concessum Indultum.

VI. *E Parisiis.* **De calicis purificatione cum iteratur Sacrum.** Cum Sacerdos Sacrum iterare debet, teneturne in prima Missa purificare calicem; qui inservire debet pro altera?

Resp. Negative, sive in eadem, sive in alia, dissita vel non, Ecclesia celebret. Nam si de prima agatur hypothesi, Rubrica servanda pro duabus primis Missis, quae dicuntur in Nativitate Domini: et de hoc nulla difficultas. In altera vero hypothesi, cum pro secunda Missa idem calix adhibendus sit, servandum Decretum 16 Sept. 1815, quo statuitur, ut *Parochus in prima Missa calicem impurificatum relinquat, prout fit in duabus prioribus Missis Nativitatis Domini.* Agitur quidem in hoc Decreto de duabus Ecclesiis dissitis; sed a fortiori servari in proximioribus posse, nemo non videt. Nec aliud erui potest ex recentiori Decreto *Missionis Poli artici* 14 Aug. 1858: ut consequenter sit concludendum, Sacerdotem in casu non teneri calicem purificare.

Notandum autem, Sacerdoti post sacrum Sanguinem haustum, dicendum esse *quod ore sumpsimus*, et calicem patena cooperiendum, vel etiam palla super illa, ne dum digitos abluit, aliquid super calicem decidat. Ablutis vero digitis et abstersis, tunc pallam, nisi prius imposuit, imponit patenae, et calicem velo cooperit etc. Purificatorium autem super impurificatum calicem non ponitur, uti communiter auctores tradunt, eruiturque ex citato decreto 16 Sept. 1865, quod de purificatorio silet.

Nota. Ad ciborium seu pyxidem quod spectat, statutum est, non debere in throno collocari, imo nec e tabernaculo extrahi dum preces Sacramento funduntur, sed intra manere, ostiolo aperto. Ita communiter ex decretis.

VII. *Ex Italia Meridionali.* **De Litaniis in Sabbato Sancto.** Litaniae Sanctorum in Sabbato Sancto inchoari ne debent in actu redeundi ad altare post benedictionem Fontis, an dum Celebrans et Ministri ad Altare pervenerint?

Resp. Prima fronte res videtur valde dubia: cum Rubrica Missalis manifeste doceat, Litanias cantandas esse a Sacerdote et ministris ad altare *revertentibus* (*Rub. spec. Sabb. S.*); et Caeremoniale Episc., e contra, non obscure dicat, Litanias inchoandas esse postquam Celebrans et ministri ad altare pervenerint, ibique omnes in suis locis genuflecterint (*Caerem. Episc. Lib. II, Cap. XXVIII, n. 9, 10*). Arroges auctores, etiam melioris notae, non deesse in hanc vel illam sententiam abeuntes. Attamen rectus sensus liturgicus dictat, Missali, potiusquam Caeremoniali parendum; cum Missale pro omnibus indiscriminatim Ecclesiis editum sit, Caeremoniale ex adverso pro Cathedralibus Ecclesiis praesertim redactum esse. Accedit, convenientius

esse, ut qui ad Fontem cantando accesserunt, cantando etiam revertantur. Et ita sentiunt Bauldry art. 5, n. 1, Bissus lit. S, n. 6, §. 13, de Bralion par. 3, c. 14, n. 8, Gavantus par. IV, Tit. X. n. XLIII, innumerique recentiores.

Quinimo huiusmodi omnino definita dicenda est quaestio ex authentica S. R. Congregationis declaratione (*In una Sancti Marci diei 7 Sept. 1861, ad 11*) quae sic sonat: " *Episcopo non praesente, servandum Missale* „: Litaniae scilicet inchoandae in actu redeundi ad altare statim post Fontis benedictionem, si Episcopus non adsit: dicendae ad altare post reditum, Episcopo functionem peragente.

VIII. *E Thera in Graecia.* **De dignitate vel gradu personae nominanda vel non in Orationibus pro defunctis.** Dum accidit fieri quatuor absolutiones apud castrum doloris, nominari ne potest in orationibus praescriptis, etiam dignitas vel gradus defuncti?

Resp. Affirmative. Non semel R. S. Congregatio decrevit atque declaravit, in orationibus, in quibus littera tantum *N* reperitur, nonnisi nomen defuncti ponendum, et expungendum omnino ab orationibus, quidquid ad personae dignitatem, qualitatem, patriamque pertinet. Inter alia, vide decretum diei 7 Aprilis 1832 in *Viglevanen.*, quod non solum prohibet quominus dignitas, sed ne nomen quidem personae nominetur, cum littera *N* in oratione, de qua in dubio, apposita non sit. Sed haec generaliter et absolute loquendo: nam praxis fere universalis, et etiam Romae vigens, fert ut, quum de personis in dignitate ecclesiastica constitutis agitur, non solum nomen sed et dignitas nominetur, etiam in orationibus, in quibus tantum littera *N* reperitur, uti ex. gr. in orationibus pro quinque absolutionibus praescriptis. Quae praxis, uti nobis ap-

paret, fundamento non caret. Rubrica enim Missalis, in orationibus post quatuor defunctorum Missas positis, adnotare non desinit dignitatem vel gradum personae in ecclesiastica hierarchia constitutae.

Quapropter, cum nulla legis dispositio extet, explicite hanc praxim prohibens, imo ut diximus fundamento non careat, iure eam teneri posse censemus.

IX. *Ex America Septentrionali.* **De loco oblationis Episcopo faciendae**. In Pontificali Romano, in Ordinatione Presbyteri, legitur: " Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens accipit offertorium (*oblationem*). Cl. Martinucci e contra docet, oblationem candelarum fieri ad thronum, si Episcopus solemniter confert Ordines. Quid dicendum?

Resp. Certe, iuxta Pontificale Romanum, Episcopus recipere potest offertorium in faldistorio, nam verba Pontificalis aperta sunt, nempe: *Pontifex vadit ad faldistorium ante medium altaris:* non dicitur, *ad sedem suam.* Non parum insuper esset incommodum Episcopo thronum petere pro sola candelarum oblatione, et iterum postea ad altare redire.

Sententia tamen cl. Martinucci reprobanda non est; Episcopus enim bene etiam potest e throno oblationem recipere, uti fit in Missis cantatis, in quibus revera in throno Episcopus recitat offertorium. Eo vel magis, quod in ipsa Ordinatione Pontificale semper dicit: " Episcopus accedit *ad sedem suam,* vel *ad faldistorium* ".

Quocirca proposito dubio ita responderi posse censemus: Iuxta Pontificale Romanum Episcopus offertorium, ut in casu, in faldistorio recipiat, sicut etiam fit in consecratione Episcopi. Sententia tamen cl. Martinucci sustineri etiam potest, cum Pontificale Roma-

num pro commoditate tantum Episcopi praescribat hanc oblationem ad faldistorium esse recipiendam.

X. *Ex eodem loco.* **De prostratione feria VI maioris hebdomadae in principio missae facienda.** In Caeremoniali Episcoporum in feria VI in Parasceve legitur: " Episcopus ante altare procumbit, et genuflexus super nudo faldistorio... diutius orat, quod et omnes alii faciunt ". Haec interpretans, Cl. Martinucci docet, assistentes Episcopi debere *genuflexos* manere: cl. De Herdt docet e contra: " Assistentes Episcopi *procumbunt* super pulvinos, caeteri genuflectunt ". Idem etiam docet Caeremoniale Baltimorense. Quid rectius?

Resp. Assistentes Episcopi super pulvinos procumbere debent, sicuti ex lege Caeremonialis Episcoporum et ex communi praxi patet. Insuper Rubrica Missalis in feria VI Parasceve clare docet: " Sacerdos et Ministri procedunt ad altare, et ante illud *prostrati* aliquandiu orant ". Neque ritus Missae Pontificalis quoad hanc partem a ritu Missae, in qua Celebrans est simplex Sacerdos, differre potest. Quapropter dicendum est Martinucci forsan loqui de assistentibus *non paratis*, vel male se exprimere.

Ad tertium quod attinet dubium ex eodem loco. *Affirmative* respondemus; commemoratio nempe Dominicae maioris commemorationem duplicis ad ritum simplicem redacti praecedere debet, quia est privilegiata. Notandum cum Cavalerio, nulla ratione convenire, ut duplex simplificatum, quod cessit Dominicae maiori in occursu, eidem Dominicae in concursu praevaleat (*Lib. 2, cap. XVIII, Decr. I, n. 17*).

XI. *Ex eodem loco.* **De Antiphona " Regina Coeli ".** In Sabbato Sancto ad meridiem dicitur ne *Regina Caeli* an *Angelus Domini?*

Resp. Antiphona *Regina Caeli* absque dubio dicen-

da est. Haec enim Antiphona a Vesperis Sabbati Sancti incipit, quae quidem Vesperae dicuntur in Choro post Missam solemnem, imo in ipsa Missa solemni, quae certe terminat ante meridiem. Insuper iam solemnitas Paschalis incoepta est; absonum quapropter esset, relicta Antiphona Paschali, *Angelus Domini* dicere.

XII. *Ex eodem loco.* **De tono " Benedicamus Domino „ et " Ite Missa est „.** Si festum SS. Apost. Petri et Pauli occurrat infra Octavam Corporis Christi, quis tonus adhibendus erit pro *Benedicamus Domino* in Officio, et pro *Ite Missa est* in Missa?

Resp. Hoc in casu, tam *Benedicamus Domino,* quam *Ite Missa est* de Beata Maria Virg. dici debent; quia etiam hymni concluduntur doxologia propria Beatae Mariae Virginis. Et ita hoc anno factum est in Primis Vesperis S. Ioannis Baptistae. Eodem modo ad aliud dubium respondemus; in Octava enim S. Ioannis usque ad Epiphaniam doxologia propria Beatae Mariae Virginis perdurat.

Quoad vero tonum *Ite Missa est* in Dominica in Albis respondemus, illo tono canendum, qui in Missali pro ritus duplici assignatur, quia Dominica in Albis, licet primae classis quoad dignitatem Dominicarum, est ritus duplicis. Neque obstat haec Rubrica in fine Canonis posita, ubi diversi toni *Benedicamus Domino* vel *Ite Missa est* describuntur: " In Dominicis infra Annum in festis semiduplicibus, et infra Octavas, quae non sunt de Beata Maria: „ sequitur *Ite Missa est* cum notis.

Haec inquam Rubrica sententiae nostrae non obstat, quia Dominicae infra Annum, illae intelliguntur, quae revera sunt ritus semiduplicis, et ideo tonus *Ite Missa est* Dominicarum infra Annum non differt a tono *Ite Missa est* festorum semiduplicium. Dominica in

Albis e contra ritus duplicis est, admittit enim in officio IX lectionem simplicis, nec non et unam orationem in Missa et Collectas.

XIII. *Ex eodem loco.* **De celebratione festi Patroni.** Quonam ritu celebrandum est festum Patroni Eccl. Cathedralis ab iis Regularibus, qui ex privilegio celebrant festum proprii Fundatoris sub ritu duplici primae classis cum Octava?

Resp. Si Dubium ut sonat accipiendum sit, festum Fundatoris, licet primae classis cum octava, nullo pacto impedire debet, quominus celebretur eodem ritu festum Titularis Cathedralis Ecclesiae ab iisdem Religiosis. Sed aliae possunt fieri hypotheses, vi quarum diverso modo esset respondendum. Quod nihilominus ut fiat, clarius proponendum foret Dubium.

XIV. *E Melita.* **De colore pallii in Missis cantatis pro defunctis.** In Missis cantatis pro defunctis adhiberi ne potest pallium coloris diei, aut e contra in nigrum vel violaceum colorem mutari debet, etsi agatur de Altari, ubi osservatur SS. Sacramentum?

Resp. In officiis et Missis cum cantu defunctorum pallio nigri coloris utendum est. Rubricae enim et decreta S. R. Congregationis pro eiusmodi functionibus semper nigrum colorem praescribunt. Nunc autem, cum ex Caeremoniali Episc. (*L. 2, c. 11, n. 1*), colligatur, hanc de nigro colore in Missis et officiis defunctorum Rubricam intelligendam esse, non modo de celebrantis paramentis, sed etiam altaris, ministrorum etc., manifeste patet et pallium nigri debere esse coloris, utpote ad altaris paramenta pertinens. Cl. Quarti eiusdem est sententiae, quamvis admittat, esse pallium posse etiam coloris diei, si commode mutari nequeat (*P. 1, tit. 18, dub. 3*). Similiter Gavantus loquitur, si de Missa solemni quaestio fiat, ait enim: " In qua

decet, antipendium altaris cum Missa concordare (*P. 1. tit. 18, n. 6.*) „ Eodem sensu loquitur Gastaldus et alii.

Id tamen intelligas, si pallium adhibeatur, secus naturalis, quicumque sit color anticae partis altaris, ille sufficit. Quoad pallium vero altaris Sacramenti, color niger adhiberi pro pallio non debet, sed mutundus niger in violaceum colorem, id statuente Decreto *Montis Regalis* 20 Mart. 1869, ad XII.

XV. *Ex eodem loco.* **De quadam consuetudine in fine Processionis cum SS. Sacramento.** In reditu Processionis cum Venerabili in Ecclesiam, clerus cereis accensis remanere ne potest in Presbyterio hinc inde divisus, usque post benedictionem, vel statim propria subsellia petere?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Et haec est optima laudabilisque consuetudo etiam in Urbe vigens, et a Manualibus omnibus tradita.

XVI. *Ex America Septentrionali.* **De** *Angelus Domini* **recitandi modo in Sabbatis Quadragesimae.** Quando Vesperas Sabbati in Quadragesima, sequitur *Angelus Domini*, stantes ne hanc precem recitare debemus, an genuflexi pro Indulgentia lucranda?

Resp. Ratio, uti patet, dubitandi est, quia a Vesperis Sabbati ecclesiastice Dominica dies incipit, in qua *Angelus Domini* stantes huiusmodi precem liturgicam, uti alias seu ex antiquissima traditione seu ex lege, recitamus. Ita ex. gr. post Vesperas in Sabbatis Quadragesimae antiphonam finalem recitamus stantes: nonne ergo a pari et *Angelus Domini* eodem modo recitari fas est? Sed negative respondendum credimus et respondemus. Primo, quia origo recitationis Vesperarum ante meridiem in Sabbatis Quadragesimae, satis

est nota, cum qua nullam relationem habet *Angelus Domini*, sicuti ad easdem finalis antiphona ordinem dicit. Secundo, antiphona finalis inter preces liturgicas recensetur, haud vero *Angelus Domini*. Tertio, quid Vesperarum recitationi et fidelibus? Et nihilominus, si fideles non recitant Vesperas, maxime laudabiliter *Angelus Domini* ex devotione dicunt, haud profecto ante, etiam in Sabbatis Quadragesimae, sed post meridiem. Ergo, cum de eadem agatur prece, sicuti fideles, ita et clerus eadem illam ratione recitabunt. Quarto, lex generalis est, ut *Angelus Domini* pro Indulgentia lucranda, flexis genibus semper recitetur, tempore a meridie Sabbati ad finem diei Domini excepto, quando aes campanum dat signum: contra quam cum nihil valeat antiphonae finalis stando ad Vesperas recitatio in Sabbatis Quadragesimae, in his quoque illa servanda est (1). Quinto, id communiter auctores docent: id quoque in recentissimo legimus Manuale Caeremoniarum Ordinis Capulatorum: id demum certiores nos faciunt plures ex quodam S. C. Indulg. decreto, quod tamen hucusque reperire nequivimus.

XVII. *E Ferentino in Hernicis.* **De Collectis in Missa de Feria occurrente cum duplici primae classis.** In

(1) Leo tamen Papa XIII: « benigne indulgere dignatus est, ut omnes Christi fideles, qui legitimo impedimento detenti, non flexis genibus, nec ad aeris campani signum versiculos *Angelus Domini etc.* cum duobus angelicis salutationibus, alio versiculo *Ora pro nobis etc.* et Orationem *Gratiam tuam etc.* tempore vero paschali Antiphonam *Regina caeli etc.* cum versiculo et Oratione propria: aut si nesciunt praedictos versiculos, Antiphonam et Preces tum memoriter dicere, tum legere, quinquies salutationem angelicam digne, attente ac devote sive circiter meridiem, sive sub vespere recitaverint, Indulgentias superius memoratas lucrari valeant (*S. C. Indulg. 3. Apr. 1884*). »

Ecclesiis in quibus binae sunt Missae cantandae in Quadragesima, de Sancto scilicet et de Feria, si festum est dup. primae cl., in secunda Missa de Feria, praeter tres praescriptas Orationes, possuntne vel potius debent collectae ab Ordinario imperatae adiungi?

Resp. Debent; Missa enim de Feria nullam habet relationem cum Missa de Sancto, qui ritu dup. 1. classis recolitur: adeo ut illa in suo esse remaneat, et collectas, sicut quaelibet alia Missa de Feria, admittat.

Hinc ipsa Rubrica tres Orationes in Missa de Feria praescribit, ac proinde inferendum, eam esse omnino a Missa de Sancto diversam, nihilque inter eam et festum dup. 1. classis esse communis. Secus enim haud tres, sed unam tantum Orationem Rubrica procul dubio praescriberet. Sicut ergo in Missa de Feria, licet cum Sancto primae cl. occurrente, tres Orationes sunt dicendae, ita etiam collectae ab Episcopo imperatae. Consequens nullam incertitudinem admittit; quia Rubricae Breviarii et Missalis tres nunquam praescribunt Orationes in duplicibus 1. classis. Si ergo in casu tres Orationes exigunt in feria, iam patet, hanc non ut dup. 1. cl. considerandam esse, sed uti ritus simplicis, qualis revera est, proindeque nullo iure imperatas potest collectas respuere.

XVIII. *E Regio in Aemilia.* **De Responso** *Laus tibi Christe,* **post Evangelium in Missis cantatis.** In quibusdam Ecclesiis post cantum Evangelii in Missis solemnibus a choro respondetur alta voce cum cantu: " *Laus tibi Christe* ". In aliis vero Ecclesiis nihil respondetur post cantum Evangelii a choro; sed tantum Subdiaconus post lectionem Evangelii factam a Celebrante submissa voce respondit: *Laus tibi Christe.* Quis ritus sequendus?

Resp. Secundum ritum, potiusquam primum, se-

quendum haud ambigimus, utpote Rubricis seu Missalis seu etiam Caeremonialis Episcoporum apprime conformem.

Re quidem vera, Rubrica Missalis aperte quidem dicit, *Laus tibi Christe* a Subdiacono respondendum Celebranti Evangelium legenti, his contractis verbis: " Subdiaconus accipit Missale... et ibi ministrat Celebranti ". Sed neque innuit, a choro *Laus tibi Christe* post cantum Evangelii respondendum esse (*Rubr. Miss. Tit. VI, n. 5*).

At manifestius Rubrica loquitur Caeremonialis Episcoporum, docens quid et quando respondendum sit, seu a choro seu a ministro. Imo ad rem nostram quod spectat (*Lib. II, c. VIII, n. 46*) dicit quidem, a choro respondendum *Gloria tibi, Domine*; sed non dici *Laus tibi Christe* respondendum post cantum Evangelii.

Quapropter primam praxim reprobandam censemus; nisi forte immemorabili inveterataque quadam consuetudine fulciatur. Quae utpote non aperte Rubricis opposita, cohonestari forte poterit.

XIX. *Ex eodem loco.* **De qualitate Officii et Breviarii, pro Sacerdote Tertio Ordini S. Francisci adscripto.** Sacerdos quidam saecularis Tertio Ordini S. Francisci adscriptus pro libito Calendario vel Franciscalium vel Dioecesis utitur, ita ut quando Dioecesanum habet officium longius *de Dominica*, Franciscano, quod habet de *Sancto duplici*, utitur; et viceversa, quando Franciscanum habet *de Dominica* et Dioecesanum de *duplici*. Insuper etiam Breviario speciali Capulatorum pro libito idem Sacerdos utitur. Quid dicendum ?

Resp. Ex quodam recenti decreto S. R. Congregationis in una (*Viglevanen. diei 11 Iunii 1880, dub. 11*)

Sacerdoti saeculari Tertio Ordini S. Francisci adscripto, facultas conceditur quacumque die et pro lubito suo se conformandi Minoritarum Calendario (1). Excipiuntur tamen in praefato decreto, maxime quia de Sacerdote agebatur curam animarum habente, sed nullimode Choro addicto, casus qui tangunt obligationes particulares, quae incumbere possunt ratione occurrentiae, Patroni Principalis Dioecesis, vel Titularis, aut Dedicationis propriae Ecclesiae.

XX. *E Dioecesi Briocensi.* **De quadam praxi in recitatione Divini Officii.** Ubi adest obligatio chori, vel laudabiliter chori proprie dicti regulae observantur, dum una pars versum psalmi, strophem hymni etc. canit vel recitat, alteram partes componentes silentium ne servare tenentur, an licet ipsis, prout propria sug-

---

(1) Insuper etiam facultas ei tribuitur denuo recitandi officium, iuxta Dioecesanum Calendarium iam recitatum, sed in Calendario Franciscalium ob translationem occurrens.

Quapropter Sacerdos, de quo in dubio, iuri suo expoliari nequit, et nunc Franciscano nunc vero Dioecesano Calendario pro lubito uti valet. Idem dicendum putamus de Breviario speciali pro Franciscalibus edito: 1.° Quia in decreto, de quo loquimur, in dubii expositione, dicitur res omnino indubia et S. R. Congregationis decreto confirmata: 2.° Quia facile casus evenire potest alicuius Sancti omnino proprii Ordinis Franciscani, cuius officium propterea nonnisi in eorum Breviario speciali reperitur. Si ergo hocce Breviario iste Sacerdos uti non valeret, quomodo quacumque die, et pro libito suo, Minoritarum Calendario uti posset?

Etsi tamen ex decreto, ut diximus, Viglevanen. hic Sacerdos iuri suo utatur, dicendum etiam ne est idem decretum facultatem, sin minus ansam, ei praebere proprio commodo et parvae eius devotioni consulendi? Haud certe. Sacra enim Rituum Congregatio non potest quin foveat spiritum Ecclesiae, quae nonnisi sapientibus et piis de causis, vult nunc de Dominica, et nunc de Sanctis Sacerdotes officium recitare.

gerit devotio, vel semper vel interdum vocem propriam adiungere? Quid laudabilius?

Resp. Praxis universalis ubique locorum recepta haec est: quum una pars aliquid canit aut recitat, altera simpliciter *attente audit.*

Quapropter consuetudo, de qua in dubio, utpote singularis, nec non omnino nova approbanda minime est. Imo cum latam aperire possit viam scrupulis, maxime iuvenibus, in re morali non ita plene versatis, potius improbandam iudicamus. Consuetudines huiusmodi Iansenismo vel saltem exaggeratae devotioni favere videntur.

XXI. *Ex eodem loco.* **De Doxologia in Festo B. Mariae V. sub titulo Auxilium Christianorum.** Quando Festum B. Mariae V. sub titulo *Auxilium Christianorum* concurrit cum primis Vesperis Octavae Ascensionis, et solam habet commemorationem, quaenam in Vesperis doxologia adhibenda est, festi an octavae?

Resp. Accessorium sequitur principale; doxologia ergo utpote accessorium, principale, seu officium, sequitur. Dum ergo aliquod officium praevalet, doxologia pariter, si propria sit, praevalebit. Cum ergo Festum B. Mariae V. sub titulo *Auxilium Christianorum* ritu dupl. maiori recolatur, in secundis Vesperis, sicut etiam et in Completorio, in concurrentia cum Octava Ascensionis, doxologia de octava seu de Ascensione erit. Ubi vero praedictum festum B. Mariae V. ritu dupl. 2.ae cl. celebratur, tunc cum officium B. Mariae V. praevaleat, doxologia pariter B. Mariae V. praevalebit; utraque enim est propria, sed illa, quae ad officium pertinet, quod recitatur, est proprior.

XXII. *E Gallia.* **De iure recitandi Missam** *De propagatione Fidei* **ubi cum cantu concessa est.** Quaeri-

tur: An Missa votiva de Propagatione Fidei, in locis ubi legitime celebrari potest, possit etiam privatim diebus liberis celebrari, an vero concessa tantum fuerit ut solemniter celebretur?

Resp. Supponimus cum Rev. inquirente, et quidem iure merito, Rubricam vel Indultum in casu de hac distinctione silere. Diximus autem *iure merito*, nunquam enim vidimus in id generis indultis huiusmodi clausulam inscriptam, ut nempe Missa votiva, quae solemniter conceditur, nequeat uti lecta recitari. Itaque respondemus affirmative ad primum, negative ad alterum. Primo, quia ex generali nec discussioni obnoxio principio, Missa quaecumque, si cani potest, potest et recitari; atqui, ergo... Secundo, quia Missa in se inspecta, sive canatur, sive legatur, naturam non mutat, sed semper est eadem. Posito ergo, eam posse cani, plane non intelligitur, qua de causa legi nequeat. Tertio, quia non est de more, ut S. R. C. Missam aliquam votivam indulgens, uti solemnem concedat, uti privatam neget. Cum ergo, uti Dubium exponit Inquirens, praefata non habeatur in Indulto distinctio, palam sequitur, dictam Missam et dici posse solemniter, vel solum in cantu, vel tantum legi; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, proindeque nullius esse privatae auctoritatis Indultum coarctare.

XXIII. *Ex eodem loco.* **De colore paramentorum in eadem Missa** *Propagationis Fidei.* Quinam adhibendus color in Missa de Propagatione Fidei, cum tabellae dioecesanae inter se discrepent, et aliae violaceum, aliae diversum indicent colorem?

Resp. Certum est principium (*Rubr. Gen. Missal. Tit. XVIII*), colorem paramentorum in Missis votivis, respondere debere colori quo utimur in Missis festivis.

Ita albus est in Missa votiva de Trinitate, Rubeus in Missa votiva de Spiritu Sancto, violaceus in Missa votiva de Passione etc., quia eiusmodi adhibetur color in respectivis Missis festivis. At festum Propagationis Fidei institutum ne est? Profecto respondere nescimus; sed color in votiva Missa, in affirmativa hypothesi, adhibendus esset, quo in festo utendum est. Si vero festum non fuerit institutum, ita rationari posse credimus. Missa *pro Fidei Propagatione* a Gregorio Pontifice XVI concessa fuit per Decretum S. Congregationis de Propag. Fide, die 21 Aug. 1841, omnibus dioecesibus, in quibus Societas Propagationis Fidei vel instituta vel instituenda est. Est autem ita concinnata, ut maximam habeat similitudinem cum aliis Missis votivis, quae colorem exigunt violaceum, iuxta Rubricas, uti ex. gr. *Ad tollendum schisma*, *Pro quacumque necessitate*, *Pro remissione peccatorum etc.* Similitudinem dicimus, sive plures earumdem Missarum inspicias partes, sive finem. Implorantur enim misericordiae Dei, benedictio, lumen, seu in Introitu, seu in Orationibus, seu in Epistola etc. Ex quibus haud immerito arbitramur posse concludi, etiam in hac Missa votiva pro Propagatione Fidei eumdem adhibendum colorem violaceum. Ita salvo meliori indicio.

XXIV. *Ex eodem loco.* **De mutatione tertii versus in festo, Sancti Confessoris, cum octava.** Quaeritur: Utrum, si festum S. Francisci Xaverii cum octava recolatur, versus " meruit beatas „ per totam eamdem octavam continuandus sit: num autem per reliquum octavae dicendus sit " meruit supremos „, si in diem quintam Decembris transferatur?

Resp. Ita quidem iure credimus. Animadvertendum enim primo est, versum " meruit beatas „ ex consuetudine Romanae Ecclesiae, Rubrica et Decretis

firmata, dicendum esse, ratione obitus, solummodo cum festum S. Confessoris in die obitus recolitur, quae dies natalitia est, et qua vere meruit beatas scandere sedes. Nihilominus quandoque haud hac de ratione dicitur, sed tantum ratione continuationis. Ita definitum est a S. R. Congregatione in *Ordin. Minor. S. Francisci*, sub die 13 Iun. 1682, docet enim: " In casu proposito tum in Vesperis, tum in reliquo officio **continuandum** versum *Meruit beatas* ". Casus autem propositus erat de Sancto Confessore in diem proxime sequentem translato a die sui obitus. Sed ita id intelligendum esse, ut in primis Vesperis factum fuerit saltem a Capitulo, De Herdt docet, aliique omnes cum eo (*Pars 4, n. 323*), licet explicite in Dubio non exponatur. Ratio est, quia non decet ut versus mutetur in die sequenti, aut infra octavam, quando in die natali festi celebratio incepta est cum *Meruit beatas;* dies enim sequentes continuatio sunt eiusdem festi; ergo idem continuari versus debet. Consequenter si festum transferatur, sive cum, sive sine octava, semper mutatio tertii versus facienda erit.

Ex hac responsione occasionem sumimus alii satisfaciendi Dubio, ab altero ex Consociatis ex eadem Gallia nobis recentius proposito. Respicit quamdam inter responsum alterum et alterum *Ephemeridum* incohaeretiam. In IV enim Volumine (*pag. 214, Dub. XIX*) scripsimus, in festo S. Petri Damiani, cuius natalis dies est 22 Februarii, et die 23 recolitur, non esse mutandum tertium versum; responsumque datum probavimus ex supercitato decreto. At proximo praeterito earumdem *Ephemeridum* numero diximus, pro eodem Sancto Confessore, cuius festum die 23 Febr. celebratur, tertium versum esse mutandum, et mutationem, quae in Breviariis non legitur, supplendam

in Calendariis: en incohaerentia. Respondemus, in Dubio voluminis IV citra controversiam actum esse quidem de mutatione non agenda, sed iuxta decretum, quod ibidem citatum fuit: hoc est, in hypothesi quod in primis Vesperis a Capitulo saltem factum sit. In recenti autem Dubio diversa est hypothesis, videlicet, agendam esse mutationem, quia sola facta est in iisdem Vesperis commemoratio, atque ita incohaerentia evanescit. Fortasse in antiquiori Dubio imperfecta fuit casus expositio, ut in responsione appareat obscuritas; quidquid tamen sit, sic revera res se habet, haecque est aequa intelligentia. Ceterum in eodem Volumine IV certae pro mutatione tertii versus in hymno *Iste Confessor* assignantur, uti videre est, et perspicuae normae (*pag. 364, Quaer. 7*).

Ut autem plene rev. Inquirenti faciamus satis, addimus, versum *Meruit beatas*, ex voluntate legis adnexum esse diei, quae materialiter natalitia est. Adeo ut quamvis aliis diebus, in quibus festa Confessorum celebrantur, extendi moraliter potuisset, uti aliis in casibus fit (*V. Decr. in Aquen. 3 Mart. 1761, ad 10*); in casu nihilominus nostro Sacro Tribunali hanc extensionem permittere non placuit, et legi parendum.

Nota. S. Felicitas, de qua in Canone, est Sanctae Perpetuae Socia, uti in *Ephemeridibus* cl. Zualdi alibi docuit; nec videtur posse de historica hac veritate solido cum fundamento dubitari. Namque die 7 Martii Perpetua et Felicitas cum aliis sociis martyribus *celebrantur in tabulis ecclesiasticis veterrimis*, ait cl. Adonis Martyrologium (*hac d. 7 Mart. in Adnotat.*). Ita Martyrologia Cartaginense, Gellonense, Fuldense, Ottobonianum, Romanum parvum, Bucherianum, quod omnium vetustissimum habetur. Ita quoque Ven. Beda. Hieronymus, Usuardus, Notkerus etc.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 8, pag. 489*).

§. 2.

DE EUCHARISTIAE ADMINISTRATIONE.

Quaeres 1. Quinam SS̃mae Eucharistiae minister?

Resp. Eucharistiae Sacramentum sub speciebus seu vini seu etiam panis inspecto, solus Sacerdos est minister ordinarius, qui unus immediate sacras valet species tangere: Diaconus autem extraordinarius est minister, qui distribuere Eucharistiam nequit, nisi tantum in casu necessitatis. Illi enim tantum de iure distributio competit Eucharistiae, cui eiusdem competit consecratio, quae ad sumptionem dicit ordinem. Cum tamen Diaconus primus sit minister Sacerdotis, dato casu necessitatis, ei Eucharistiae distributio committi potest, id enim habet vi suae ordinationis.

Quaeres 2. Quid circa ministrum antiqua ferat, et praesens disciplina?

Resp. In primis Ecclesiae saeculis passim ex speciali vel etiam generali, aut Episcoporum aut Presbyterorum commissione, Diaconi Eucharistiam, maxime sub vini, aut etiam sub panis speciebus ministrabant, uti constat seu ex historia, seu ex Patribus. Iamdiu vero consuetudo committendi Diaconis dispensationem Eucharistiae apud nos exolevit. Adeo ut in praesenti, seclusa, in periculo, Viatici administratione, quod

etiam absque ulla commissione per Diaconum fieri, absente Presbytero, potest et debet, eidem Diacono Eucharistiae dispensatio, nonnisi in vera gravique alicuius casus necessitate committi posset.

Quaeres 3. Quando Eucharistia in Ecclesia administrari possit?

Resp. 1. Semper intra Missam post sumptionem Sanguinis potest, et si fideles requirant, debet Eucharistia administrari a Celebrante, uti semper a primaeva ad praesentem Ecclesiae disciplinam factum est. Hinc orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, uti notat Rituale Romanum (*Tit. IV, cap. 2, p. 10*), non solum ad Sacerdotem ministrum, sed etiam ad alios communicantes spectant.

Resp. 2. Potest etiam ex quavis rationabili causa administrari, sive post Missam, sive etiam extra Missam, quandocumque, mane tamen, fidelium devotio illam exposcat (*Rit. Rom. loc. cit. n. 10 et 11*). Idem ex laudabili probataque consuetudine dicendum de administratione ante Missam. Neque ut sive ante sive postea administretur communio, gravis causa requiritur ex parte fidelium, sed quaevis, dummodo rationabilis sufficit, ut minister eam administrari possit ac debeat.

Excipe feriam VI in parasceve, item Sabbatum Sanctum ante Missam in omnibus Ecclesiis: nec non vel integrum tempus, vel aliquam partem illius, quo paschale praeceptum adimplendum est, iuxta particulares locorum consuetudines.

Quaeres 4. Quibus indutus vestibus administrare debet Eucharistiam Sacerdos?

Resp. Si post Missam sit administranda, uti si antea, sacris omnibus paramentis indutus illam distribuet Celebrans, cuiuscumque paramenta sint colo-

ris, uti constat ex Rituali Romano (*loc. cit. n. 11*), et Decretis. Si omnino extra Missam, Sacerdos induere super talarem vestem superpelliceum debet et stolam coloris diei, sicuti pariter ex Rituali Romano constat et S. R. Congregationis Decretis.

Inferes usum cappae, mozzetae, caputii, aliorumque insignium esse prohibitum ex regula generali, vi cuius solo cum superpelliceo et stola Sacramenta administranda sunt. Canonicis tamen usu rocchetti fruentibus, vestis ista permittitur in propria Ecclesia dummodo superpelliceum super illam, et stolam induant.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

CANTUS LITURGICUS HARMONICUS

1. Cantum liturgicum et harmoniam inter se non convenire quorumdam est opinio. Equidem, si originem inspicias, naturam, finem, usumque, ab Ecclesiae incunabulis, idem fortasse, primo saltem intuitu, te iudicare senties. Haud tamen desunt, qui, omnibus perpensis, in oppositam abeunt sententiam. Illustris quotidiana Ephemeris *l'Osservatore Cattolico* Mediolanensis, quae saepe saepius in liturgici Cantus argumentis pertractandis se placet, nuper, seu die 8-9 Mensis Iulii vertentis anni, de hac quaestione egit. Principium supponens, quod discussioni non subiacet, unamquamque scientiam aut artem in sua natura, atque indole esse necessario servandam, perbelle nihilomi-

nus demonstrare contendit, Cantum liturgicum et harmoniam optime posse dexterae dexteram sibi ad invicem iungere. Quod tres sibi difficultates proponens et solvens, quas hac illac prolatas accepit, ni fallimur, valenter praestat. Cum autem hisce materiis et pascamur et perfruamur, hocque in negotio unum atque idem cum praelaudata Ephemeride sentiamus, valde nobis arridet, lectorum maxime nostrorum utilitate inspecta, in hisce inserere paginis Ephemeridum, et propositas difficultates et respectivas, haud quidem ad literam, solutiones, nonnullis tamen breviter additis animadversionibus, quae nobis opportuniores visae sunt.

2. Cantus liturgici naturae, dicitur, repugnat harmonia, quippe qui conceptus extra omnem prorsus harmonicam ideam; proindeque quidquid inaequalibus seu vocibus seu sonitis illum societ, extraneum est, eidemque superimpositum, nec tolerandum.

Haec prima difficultas, cuius gravitatem fatetur Mediolanensis Ephemeris, eoque magis, quia ex aureo illa principio oritur, quod puritas artis dicitur, iustaque execratio eorum omnium, quae vim naturae sapiunt, ac superfeturam. Hisce haud obstantibus, ob intimas rationes Ephemeris iudicat, non solum tolerandam, sed et optandam ac promovendam in Cantu liturgico harmoniam. Et sane, ex quo, ait, conceditur Gregorianum melos extra omnem ideam fuisse conceptum harmoniae, quacum iungi posset, ex hoc num sequitur, eius esse naturae contrariam proindeque pugnantem harmoniam, quae liturgico Cantui progressu temporis comitem se dedit? At profecto superaddere, submittere, ditare, exornare, aliud est quam vitiare, corrumpere, vim inferre. Namque fautores harmoniae veluti dogma statuunt, Gregorianum melos intemerate

servandum esse in singulis partibus, ac nunquam minuendum, uno licet accidenti, ut harmoniae cedat. Quinimo haec ipsa se flectat necesse est, docilemque praebeat, ut melodiam sequatur ac iuvet in quibuscumque ornatibus, miris etiam effectibus spretis. Haec fere ad literam Mediolanensis Ephemeris, satisque iuxta nos sapienter.

3. Namque, animadvertere liceat, ars quaecumque naturam supponit, quae ab arte ipsa non dependet: adeo ut naturam non valeat ars creare, sed tantum perficere. Iam nunc harmonia a natura et in natura est, ut in melodia ipsa contineatur, nec ab humano dependeat intellectu ut sit, sed tantum ut alio vel alio modo sit. Conceptus ergo exclusive melodicus in Cantu Gregoriano, quantum videmus, obstare harmoniae non potest, quippe quae in melodia naturaliter contenta, ab illo eodem conceptu non dependet.

Ponamus itaque, Ephemeris Mediolanensis prosequitur, ita harmoniam liturgicam consociare melodiam, ut obsequentem, prorsusque ancillam, non dominam, illi se praestet: qua asseri ratione poterit, Cantum Gregorianum vitiari? Nonne potius nobilitate augebitur? Gemmam dices potius, fulgentem magis super argentea paropside collocatam. Quod nobilis Ephemeris ex effectibus abunde ostendit, ut hymnos, psalmos, ipsasque antiphonas pro se invocet: quae longe melius, experientia duce, aures tangunt et corda movent harmoniae iuncta, quam in simplici modulatione relicta. Harmoniam enim, si rite quidem cum melode Gregoriana fuerit composita, veluti pellucidum diceres nymbum, totum circumdantem melodicum cantum: aut flexilem coronidem, ex qua singuli tabellae colores, nec emollitioribus exceptis, magismagisque effulgent: vel miniata pictura, quae leniter ac vivide excellen-

tiorem incisuram tingit, quin leviter vitiet: vel denique, Gregoriana melodia harmoniae desponsata, eadem ipsa est, solemniter tamen induta.

Hos communiter sensus experimur, pergit Mediolanensis Ephemeris, cum seu in *Tantum ergo*, seu in *Salve regina*, seu in Missae partibus concinendis, quas ex. gr. harmonia auxerunt Dumont, Witt, Hanisch aliique, liturgicum Cantum consociatum audimus harmonico. Ille enim ab hoc mutuasse diceres perspicuitatem, solemnitatem, affectum, commotionem, quae ad caelestia rapiunt. Quod si harmonia cum Cantu liturgico pugnaret, quoties hic illa exornatur, quid monstruosi potius haberes, utpote contra naturam. Quomodo autem hi nobiliores possunt explicari affectus, qui haud dubium causae tribuendi forent, iisdem producendis omnino impari? Si ergo harmonia optime aliquibus aptatur liturgicis cantibus, quare omnes haud redigi ad concentum poterunt?

Ceterum, si nihilo tamen minus contra naturam adhuc iudicare quis velit Gregorianum melos cui dexteram harmonia dederit, novum saltem musices genus declarari illud poterit, uti ex. gr. *Salve Regina* Rheinberger, soluti nempe rythmi, ac fere diatonicum. Consequenter potiusquam a sacris illud templis proscribendum, commendandum erit, propugnandum, promovendumque. Utinam, peroptamus cum pluries praelaudata Ephemeride Mediolanensi, tempus adveniat, quo puerorum, nec necessario multorum, chorus, in ruralibus praesertim Ecclesiis, praeeunte magistro, suggestum ascendant, et organis comitantibus liturgicas modulationes exequantur. Hac profecto ratio profani arcerentur ab Ecclesiis cantus et cantores, et genus musicae templorum dignissimae, quam generalis traditio

sacravit, auxit harmonia, Deum honore, sancta fideles laetitia afficeret.

4. Altera difficultas in eo consistit, quod harmonia simplici Gregorianae melodiae superaddita sphoeram interpretationis imminuat, eamque veluti unicam imponat, quam concentus auctor excogitavit. Hic enim cantilenam liturgicam in eiusmodi advolvet consonantiis, quae eiusdem cantilenae significationem mutant: ut qui ex. gr. moestitiae sensu afficeretur ex melodia, ad laetitiam fortasse experiendam adigatur ex harmonia. Quin imo, cum melodia quaevis liturgica suapte natura pluribus diversisque excitandis affectibus inserviat, harmoniae coniuncta, nonnisi unum, ad libitum componentis, valebit affectum gignere.

Haec quidem obiectio, quam nulli inniti fundamento respondet Mediolanensis Ephemeris. Ratio est, quia ipse musicalis cantus, organis etiam consociatus, plures ac varios potest affectus movere: quare autem consequi id non poterit harmonia in cantu liturgico? Etenim fas est animadvertere, externas causas plurimum quidem posse in movendis sensibus influere; sed inficiandum non est, ab animi dispositione eos vel maxime dependere. Hinc experientia docet, saepe saepius evenire, ut alius quidem eodem ex cantu, esto melodicus, aut harmonicus, laetaetur, alius quidem tristitiae sensum concipiat: quod citra dubium ab animi conditione derivat.

Quare igitur qui ex. gr. *Tantum ergo*, eadem organorum prosequente harmonia, audit, plures non poterit variosque experiri affectus, puta, nunc doloris, nunc gaudii, nunc cordis demissionis, nunc in supremam Dei maiestatem venerationis, aliosve similes, iuxta quod animi necessitates exigunt?

5. Tertia oritur obiectio ex difficultate efficiendi

concentum in Cantu liturgico; ut nec legibus repugnet harmoniae, nec diatonico generi, quod eidem liturgico Cantui apprime competit.

Duo Mediolanensis Ephemeris super hoc animadvertit. Primo, difficultatem huiusmodi rei liceitati et convenientiae haud obesse. Recte quidem pingere difficile esse conceditur; at unum ex eo sequitur, studio vacandum, haud vero peniculos proiiciendos vel confringendos. Secundo, musicae modulationis periti cantus omnes liturgicos iam optima diversaque auxerunt harmonia, sicuti, ut alios sileamus, Horbel, et Hanisch in *Organum comitans.* Quid ergo superest, nisi ut aliorum labore utamur?

6. Post haec aliquorum affert Mediolanensis Ephemeris sententias, ex quibus aliae thesi, cui stetit, opponuntur, aliae suffragantur. Inter illas est opinio Haberl, qui in MAGISTER CHORALIS (*Append.* §. *39*) organorum consociationem cum Cantu liturgico appellat " adventiciam, haud necessariam, optimo effectui noxiam, *malum necessarium.* Eidem opponuntur thesi Polleri, et Gallignani. Inter has recensetur opinio Kienle, qui docet quidem melodias liturgicas non indigere harmonia, quae tamen non dedignantur, ut eam induant, ut facilius intelligantur. Imo, post moderatione commendata, addit, organi sonitum veluti fundum efformare villosum, super quo nitide, suaviter agiliterque melodia designatur (*Theor. e Pratiq. du Chant Grégorien, 1 part. chap. X*). Fusius ac plenius huic thesi favet cl. Tomadini, sustinens Liturgiae et arti convenire, ut harmonia Gregorianae melodiae consocietur. Imo docere iste non renuit, organorum sonitum, si rite adhibeatur, addere melodiis liturgicis solemnitatem, pulchritudinem, facilitatem se insinuandi imprimendique in fidelium animos, maximamque habilitatem mentes in

Deum revocandi, pietatemque excitandi (*Music. Sacr. Magg. Giugn. 1884*). Ex his, aliisque, facile apparet, praelaudatum Tomadini haud harmoniam in melodia liturgica tolerandam considerare tantum, ac si ***malum*** foret ***necessarium***, sed et tanquam laude dignam, atque uti positivum bonum promovendam, quod illustris Ephemeris Mediolanensis sibi demonstrandum proposuerat. Optat denique ut alii hoc super negotio peritiores iudicium ferant, ut vel contrarium ratiocinantes negative respondeant, vel momenta momentis graviora addentes, et dubia ea super re diluant, hancque promoveant harmoniam, quae haud vitiaret, exornaret potius, efficacioremque redderet Gregorianum melos.

7. Nonnulla hucusque relatis et discussis addentes, quin solvere quaestionem intendamus et in Israel magistri fieri, cum omnium opinionum ratione, animadvertimus tandem, primaevae Cantus liturgici simplicitati harmoniam citra dubium oppositionem dicere. Haec unica, ni fallimur, quae valida fieri ad rem potest obiectio; reliquae enim, de quibus superius, solida fortasse firmitate carent.

At reponi posse iudicamus tripliciter, adeo ut et haec ultima difficultas neglectu potius quam consideratione appareat digna. Primo. Simplicitatem liturgici Cantus, sine omni prorsus harmonia, necessitas induxit in primis Ecclesiae saeculis. Namque et fervor spiritus, et fortasse tot carentia mediorum, quibus nobilior fieri simplex melodia poterat, effecerunt, ut hac contenti clerus et populus ulterius non procederent. Impraesentiarum vero et refriguit caritas, et media non desunt artis, ut optime quamcumque liturgicam melodiam harmonia comitetur. Secundo. Simplex melodia, quam pulcherrimae Esther Mardochei nepti similem dicere liceat, probari nunquam po-

terit, minoris amoris digna, quam si harmoniae consociata, quam eidem Esther assimilabimus Assueri sponsae, congruis ornamentis ditatae. Tertio. Iam satis longeva ac fere immemorabilis consuetudo induxit, ut plures liturgicas melodias organica consociaret harmonia. Hymni et Missae partes plures, ut *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, et *Agnus*, communiter etiam *Ite Missa* est, alicubi ipsa Praefatio et Oratio dominica, esto contra legem Caeremonialis Episcoporum usumque romanum, acceptissimam in organis harmoniam reperiunt. Quod autem pro aliquibus melodiis iure fit, quare prohiberi in aliis debeat, plane non intelligitur; idem enim est cantus, ut superius Mediolanensis Ephemeris sapienter animadvertit. Si ergo harmonia aliquarum liturgicarum simplicitatem modulationum non laedit, aut laesio gravioribus de causis negligitur, idem merito ad reliquas quod attinet liturgicas modulationes concludendum est, cum eadem sit ratio. Iam vero, semel organorum in cantu liturgico admissa harmonia, discuti vix potest, eam quoque admittendam, quae vocalis est.

Ergo, haec nobis arridet ultima conclusio: Dummodo integrum servetur melos Gregorianum, et seu organorum seu vocum secundum legem harmonia fiat, nihil obstat; quominus omnes liturgici cuiusvis generis cantus melodici exornentur harmonia.

APPENDIX

STATUTA
PIAE CONSOCIATIONIS UNIVERSALIS
FAMILIARUM
SACRAE NAZARETHANAE FAMILIAE DICATARUM

1.° Piae Consociationis propositum est, ut christianae familiae Sacrae Nazarethanae Familiae omnino se devoveant. Eamque venerandam atque imitandam sibi proponant, coram Eius imagine, quotidiana prece, vitamque effingant iuxta praeclaras virtutes, quarum hominibus qualicumque conditione, sed praesertim operaria, illa exemplar fuit.

2.° Romae apud Emum Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore Sanctitatis Suae, qui et Consociationis Patronus est, Pia Consociatio centrum habet. Ipse Emus a Rmo D. S. R. Congregationis Secretario duobusque aliis, ad arbitrium suum, Praelatis, necnon et ab alio ex Ecclesiasticis Secretarii munere fungente adiutus, Consociationem ubique terrarum dirigit dans operam ut spiritum, et proprii institutionis indolem servet, et magis ac magis in dies propagetur.

3.° In unaquaque Dioecesi seu Apostolico Vicariatu, Ordinarius ad meliorem inter oves sibi creditas Piae Consociationis propagationem consequendam,

opera alicuius Ecclesiastici, pro suo lubito, utatur, cui titulum Dioecesani Moderatoris tribuet.

4.° Dioecesanorum Moderatorum erit cum Parochis, quibus solummodo familiarum adscriptio in propriis parochiis commissa est, relationem habere. In mense vero Maii, quolibet anno Parochi Dioecesanis Moderatoribus, et ii, sub dependentia Ordinarii, centrali Sedi romanae numerum familiarum, quae Piae Consociationi nomina dederunt, mittere satagent.

5.° Consecratio familiarum iuxta formulam a SSmo D. D. Leone Papa XIII adprobatam atque praescriptam fiet. Quae quidem, vel ab unaquaque familia seorsim fieri potest, vel etiam a pluribus familiis simul Parochiali in Ecclesia apud proprium Parochum, vel alium ab eo delegatum congregatis.

6.° Sacrae Familiae imago apud quamlibet adscriptarum familiarum erit, et individua, ex quibus familiae coalescunt semel saltem in die, et si fieri possit serotino tempore, in unum coram ea ad preces fundendas convenient. Ad hoc maxime commendatur formula precatoria a Regnante Pontifice adprobata, nec non usus frequens trium, quae notae sunt satis, iaculatoriarum:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l' anima mia (1).

7.° Sacrae Familiae imago, vel illa in litteris sa. me. Pii Papa IX, diei 5 Ianuarii 1870 memorata, esse potest, vel alia quaecumque, in qua tamen Iesus Chri-

---

(1) Indulgentia toties quoties 300 dierum pro omnibus tribus, et 100 dierum pro unaquaque. Pius P. VII, 28 Apr. 1807.

stus Dominus Noster in sua vita abscondita exprimatur, quam agit una cum Bma Vergine Matre sua, ac purissimo eius Sponso S. Ioseph. Iure tamen Ordinarii, iuxta Tridentinum, firmo remanente omnem excludendi imaginem, conceptui huiusmodi Consociationis haud conformem.

8.° Familiae, in Consociationis albo adscitae, Indulgentiis aliisque spiritualibus bonis a Summis Pontificibus concessis, fruuntur, sicuti in pagella aggregationis notatum est.

9.° Emus Patronus cum suo Consilio regulas concinnabit promulgabitque, circa ea quae magis utiliora Piae esse possunt Consociationi; sed praesertim Festa Consociationis propria indicabuntur, dies Festus Titularis, annua renovatio Consecrationis insimul faciendae, comitia habenda etc.

LEO PAPA XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque Officio Nostro facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis Familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocarentur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo: quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo

integrior et sanctior est persona, unde petitur. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur: ea enim florente, facile fides, pietas, et omnis christiana laus in familiis revirescent. Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium bonorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoverunt, nimirum a Iesu, Maria, et Ieseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae, et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his litteris, poenarum remissionibus seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes quam futuros uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM

PIAE CONSOCIATIONI SACRAE FAMILIAE TRIBUENDORUM

Indulgentiae Plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel oratorium

publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, indulgentiam plenariam consequendi ius esto diebus, qui infra scripti sunt.

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consecrationis formula a Nobis per Nostram Rituum Congregationem probatam, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in inno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, consuetudinem ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitatum

1.° Nativitatis, 2.° Circumcisionis, 3.° Epiphaniae, 4.° Resurrectionis, 5.° Ascensionis — D. N. I. C.

6.° Immaculatae Conceptionis, 7.° Nativitatis, 8.° Annuntiationis, 9.° Purificationis, 10.° Assumptionis. — B. M. V.

item diebus festis

11.° S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii.

12.° Patrocinii eiusdem, Dominica tertia post Pascha.

13.° Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I.

Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Ecclesiam, in qua est

sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sacrariumve celebraverint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum

1.° Die Visitationis
2.° Die Praesentationis } B. M. V.
3.° Die Patrocinii

4.° Quolibet die iidem sodales una simul in propriis familiis adscriptis congregati, ante imaginem sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint.

5.° Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

II.

Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem Sacrae Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE.

« O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae » domesticae exemplis Familiam a te electam in terris consecrasti, » clementer aspice nostram hanc domum, quae ad tuos pedes pro» voluta propitium te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc » domum; quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam » benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, » et virtutem largire, qua in imitatione Familiae tuae sanctae iu» giter perseveret; ut mortalis suae vitae tempore in Tui obse» quio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas tibi » laudes persolvere in caelis.

» O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, » certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

» Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Ioseph, potenti » tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae manibus vota nostra » Iesu Christo porrigenda submitte ».

Si vero sodales, qui vel infirmitate, vel alia caussa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari

poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri.*

III.

Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

« Gesù, Maria, Giuseppe illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia ».

IV.

Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut Christianae familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V.

Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: 1.° in Ecclesia Parochiali, in qua sedem habet Consociatio, sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis officiis devote adstiterint: 2.° vel quinquies recitaverint Orationem dominicam et salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis: 3.° vel familiarum dissidia composuerint, vel componenda curaverint: 4.° vel familias a iustitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint: 5.° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint: 6.° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA.

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis.

I.° Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de caussa non perfruantur.

II.° Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices adtribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, díe quo 1.° christiani piam ingrediuntur Consociationem: et 2.° sollemniter renovetur pactum Consociationis.

FORMULA

RECITANDA QUOCUMQUE IDIOMATE A CHRISTIANIS FAMILIIS QUAE SE SACRAE FAMILIAE CONSECRANT.

« O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo missus » ut mundum doctrina et exemplo illustrares, maiorem mortalis » tuae vitae partem in humilis domo Nazarena traducere voluisti, » Mariae et Iosepho subditus, illamque Familiam consecrasti, quae » cunctis christianis familiis futura erat exemplo; nostram hanc » domum, quae Tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu » illam protege et custodi, et sanctum tui timorem in ea confirma, » una cum pace et concordia christianae caritatis: ut divino exem» plari Familiae tuae similis fiat, omnesque ad unum quibus ea » constat, beatitatis sempiternae sint compotes.

» O amantissima Iesu Christi Mater et mater nostra Maria, » tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc nostram » Iesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones » largiatur.

» O Ioseph, sanctissime Iesu et Mariae custos, in universis » animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre; » ut tecum una et beata Virgine Maria aeternas divino Redem» ptori Iesu Christo laudes et gratias rependere possimus ».

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Con-

stitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri Anno XV.

S. Card. VANNUTELLI.

DECRETUM

DUBIA.

Postquam litterae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu Sacrae Familiae singularum Dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia Dubia proposita sunt, nimirum:

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae a singulis familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

III. Licet ne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae dedicare?

IV. Quum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum, *Affirmative;* quoad Pa-

roecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis Paroeciis; quoad cetera *Non expedire*:

Ad II. *Affirmative*, sed coram Imagine Sacrae Familiae:

Ad III. *Affirmative*:

Ad IV. Quoad Litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ut debito examini subiiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

S. RITUUM CONGREGATIO

FANEN.

Rmus Dnus Camillus Ruggeri Episcopus Fanen. exponens, quod Fani in templo noviter aedificato, cum Coenobio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, tabula princeps Altaris maximi refert desuper Immaculatam B. M. V. Conceptionem, et subter effigies Sanctorum Paterniani et Fortunati Episcoporum Confessorum, Francisci Assisiensis ac Sanctarum Christinae Virg. et Mart., et Iustinae Mart.; in altero vero e quatuor minoribus altaribus extat Simulacrum pro tabula repraesentans Virginem Deiparam Immaculatam vulgo de *Lourdes*, ac retro et circum adiuncta habentur ipsius Apparitionis; insequentia Dubia S. R. Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, ut ad praefatae Ecclesiae consecrationem, titulumque eidem tribuendum devenire possit, nimirum:

Dubium I. Tabula princeps Altaris maioris in enuntiata Ecclesia, et Simulacrum Deiparae de *Lourdes* in minori Altari debentne haberi distincta tamquam diversum subiectum, ab utraque repraesentatum?

Et quatenus Negative; Dubium II. Altare maius potestne titulum sumere ab uno ex memoratis Sanctis, quos tabula princeps repraesentat?

Et quatenus Negative; Dubium III. Ut Immaculatae B. M. V. Conceptioni dedicari possit Altare maius, potestne in Altari minori desuper collocari effigies alicuius Sancti, et infra tamquam tabula secundaria (sotto quadro) prostet enuntiatum Simulacrum Deiparae de *Lourdes?*

Et quatenus Negative: Dubium IV. Potestne in tabula principe Altaris maioris addi cor depictum in pectore B. M. V. ita ut dici queat repraesentari Immaculatum Cor Virginis, non Ipsius Conceptio?

Et quatenus Affirmative: Dubium V. Potestne nova Ecclesia consecrari sub titulo B. M. V. de *Lourdes,* etsi non in maiori sed in minori Altari Simulacrum collocatum sit?

Et quatenus Affirmative: Dubium VI. Mensa huius minoris Altaris integra consecranda est, utpote Altare fixum necne?

Sacra porro eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative: dummodo Beata Maria Virgo de Lourdes nuncupata repraesentetur cum omnibus apparitionis adiunctis.*

Ad reliqua Dubia: *Provisum in primo.*

Atque ita rescripsit et declaravit die 27 Augusti 1892.

Pro Eño Praef.
A. Card. SERAFINI

VINC. NUSSI *Secret.*

VOTUM RMI DOMINI ROBERTI MARCUCCI

APOSTOLICARUM CAEREMONIARUM MAGISTRI

SUPER NOVISSIMO DECRETO *STRIGONIEN.*

QUOD IN SEQUENTI MENSE VULGABITUR

Emi et Rmi Patres

Maximopere sollicitus Rmus Dominus Ordinarius Archidioecesis Strigoniensis in Hungaria, ritus omnes qui ad Dei Optimi Maximi cultum pertinent, magno cum decore miraque cum maiestate, nec non iuxta leges a Summis Pontificibus latas in Dioecesi sibi commissa peragi, Sacram Rituum Congregationem adivit pro opportuna resolutione aliquorum dubiorum.

Munus propositis quaestionibus satisfaciendi mihi commissum impleturus, sententiam meam humillime super singulis aperiam, quam sapientissimo Sacri Coetus Vestri iudicio submitto.

His praemissis ad enumerationem dubiorum statim deveniam.

Dubium I. Missa votiva de SS. Corde Iesu, quae ex Decreto S. R. C. diei 28 Iunii 1889 celebrari permittitur feria VI, quae est in calendis cuiuscumque mensis vel eas sequitur, debetne esse solemnis seu cantata, vel potest etiam esse privata, ut in duplicibus cum *Gloria*, oratione unica et *Credo* ad tramitem decreti citati persolvi queat?

Dubium II. Si anniversarium consecrationis Episcopi dioecesani, festo dupl. I cl. peractae, quotannis

impediatur ut celebrari possit, quaeritur an Missam et Commemorationem dicti anniversarii, tali in casu anticipare vel transferre liceat, quia secus semper et quotannis omitterentur?

Dubium III. Missam solemnem vel cantatam de anniversario electionis seu creationis Summi Pontificis regnantis, vel consecrationis Episcopi dioecesani, licetne etiam extra ecclesiam cathedralem et collegiatam celebrare, praesertim supposito quod plures ibidem celebrentur Missae?

Dubium IV. Adest etiam in Hungaria, consuetudo, toto tempore S. Adventus, quotidie sub aurora celebrandi Missas in honorem B. M. V., vulgo a populo *Rorate* dictas et frequentatas, quas cum S. R. C. die 1 Dec. 1742 (*in una ord. Carmel. Discalc. Polon.*) declaraverit haud posse celebrare in Dominicis Festisque I et II classis, alias vero iam eadem S. Congregatio pluribus Dioecesibus (sic, Adioec. Pragensi 17 Nov. 1864, nec non territorio nullius Archiabbatiae S. Martini in sacro monte Pannoniae 25 Maii 1871) concesserit missas easdem quotidie - excepta Dom. I Advent. et Vigilia Nativ. Dñi - solemniter decantando celebrare; quaeritur, utrum Decreta haec habeant formam specialis privilegii, et si affirmative, an praesupposito magno populi concursu, extendi haec gratia possit etiam ad alias Dioeceses, praesertim ad eas maiores ecclesias ubi duo ad minus quotidie celebrant Sacerdotes, ita ut diebus dupl. I et II cl. duae celebrentur Missae cantatae: una sub aurora *Rorate* dicta, et alia de die vel festo currente, quam sacri curiones applicare debent pro populo?

Dubium V. In regionibus Hungariae, plurimae celebrantur ex inveterata consuetudine coram exposito SS. Sacramento Missae solemnes, in quibus, nescitur

quanam ex causa, ut plurimum omitti solet pacis osculum; hinc quaeritur an hic usus sustineri possit, vel potius servandae etiam in casu rubricae?

Dubium VI. Rubricam Missalis (Tit. VI, n. 1) non usquequaque claram, auctores et professores Liturgiae sacrae interpretantes docent, ultimum evangelium in fine Missae, eodem prorsus modo dicendum esse prout primum, i. e. Sacerdote *oblique* stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. Cum tamen alii, praesertim seniores Sacerdotes negent talem esse sensum huius rubricae, quaeritur, utrum ultimum evangelium a Sacerdote *oblique* stante recitari debeat?

Dubium VII. Officium votiv. de Immaculata Concep. B. M. V. in nonnullis dioecesibus Hungariae, hodie adhuc ex concessione Benedicti PP. XIII diei 15 Dec. 1717 ritu duplici recitari solet, quaeritur an diebus his Sabbati liceat celebrare Missam privatam de Requie. Ratio dubitandi est, quia officium est quidem duplex, sed votivum.

Dubium VIII. Recitans privatim officium aliquod votivum feriis Quadrag., Quatuor tempor. aut vigiliarum potestne celebrare Missam de feria in colore violaceo? Et si affirmative, debetne omittere commemorationem officii votivi illa feria privatim recitati?

Dubium IX. Commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali, loco suffragiorum de Sanctis, iuxta Decretum S. R. C. 29 April. 1887 in Emeriten. omittenda est in offic. votiv. de Passione, an eadem omittenda est, ratione identitatis mysterii, etiam in officio de SS. Euch. Sacramento?

Dubium X. Rituale Romanum licetne ubique adhibere et in quibuscunque functionibus, etiamsi proprium Rituale dioecesanum, in nonnullis tantum a Romano discrepans, habeatur?

Dubium XI. Rituale Romanum optioni administrantis S. Communionem relinquit, utrum antiphonam *O sacrum convivium* etc., recitare velit nec ne; sed ex rubrica erui non potest, num versiculi et Oratio (Deus qui nobis) sint etiam ad libitum vel omnino de praecepto; et si affirmative ad secundam partem, quaeritur, utrum benedictio manu dextra et adhibita formula: *Et benedictio etc.*, semper sit elargienda, quando citra Missam administratur S. Communio?

Dubium XII. Quum a Caeremoniali Episcoporum praescribatur ut omnes, exceptis Canonicis eccl. Cathedral., unicum genu flectant Cruci Altaris maioris, quaestio exorta est, utrum haec genuflexio facienda sit etiam in aliis ecclesiis seu cappellis publicis, ubi in altari maiori haud asservatur SS. Euch. Sacramentum?

DUBIA ADDITIONALIA.

Dubium I. Cum interdum 1892 festa SS. Cordis Iesu et S. Ioann. Bapt. simul eadem die concurrant, et iuxta Decretum Urbis et Orbis diei 28 Iun. 1889, hoc in casu illud SS. Cordis in diem proximam 25 Iunii sit transferendum, quaeritur: quomodo ordinandae sint secundae Vesperae in festo S. Ioann. Bapt., nonne totum erit de sequenti SS. Corde, cum commemoratione praecedentis S. Ioannis Bapt.?

Dubium II. Quum festum Annunc. B. M. V. incidit in fer. VI. post Dom. III Quadrag., cui feriae pro aliquibus locis affixum est offic. SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C.; officium hoc potest transferri in feriam sequentem, quae est Sabbatum, an vero debet omitti?

Dubium III. In Hungaria (et multis dioecesibus Austriae) festum S. Ioannis Capistrani Conf. hucusque

recolebatur ritu duplici die 23 Octobris, quae est dies obitus dicti Sancti, decreto vero Generali S. R. C. de dicto 19 Aug. 1890 quo festum ad universam extenditur Ecclesiam, dies 28 Martii eidem qua sedes propria assignatur cum ritu semiduplici tantum. Nunc vero exorta sunt varia inter compositores Calendariorum dioecesanorum dubia, et ideo quaeritur:

1.° An nobis in Hungaria liceat festum S. Ioannis Cap. C. ritu duplici celebrare prout hucusque, 23 Octobris, vel potius in omnibus melius et laudabilius nos accommodabimus Ecclesiae universali, prouti hoc iam alias fecimus cum officiis SS. Cyrilli et Methodii EE. CC. nec non S. Camilli de Lellis C., quae priusquam extensa fuissent ad universum orbem catholicum, recitata fuerunt 14 respective et 16 Martii. Et si quoad diem nos accommodare debemus Calendario Romano, an saltem ritum duplicem, attenta longaeva consuetudine, sine speciali S. R. C. indulto retinere possumus?

2.° Quid faciendum iis in locis vel ecclesiis, quorum S. Ioannes Cap. est Patronus respective Titulus, nonne bene ibi celebrabitur eius festum die 23 Octobris ritu dupl. I cl. cum octava, eo vel magis, quia hucusque externa quadam solemnitate hac die celebrabatur, et si citra omne dubium affirmative, nonne omittendum erit tunc iis in locis officium eius 28 Martii, cum bis de eodem Sancto fieri haud possit?

Dubium IV. In Archidioec. Strigoniensi et aliis nonnullis Hungariae Dioecesibus die 26 Novembris ritu duplici recitabatur hucusque offic. SS. Reliquiarum, quae in Metropolitana, respective Cathedrali, et aliis per Dioecesim ecclesiis asservantur. Iam vero ab anno sequenti dies haec minime est libera amplius, sed S. Silvestro abb. propria, et ideo quaeritur: 1.° Utrum offic. SS. Reliquiar. quod est duplex, cedere debeat

festo S. Silvestri Abb. aeque duplici; et si affirmative, 2.° an officio SS. Reliquiarum assignari possit alia dies, quae adhuc in Calendario est libera, e. g. 25 Octobris, prout aliis in dioecesibus; et si iterum affirmative, quaeritur 3.° utrum pro festo SS. Reliquiar. assignari possit Dominica IV Octobris prout in Brev. et Missal. Rom. pro aliquibus locis habetur, etiamsi in ea aliud festum duplex occurrat, quo in casu secundum rubricas de duplici hoc simplificato fieret commemoratio ante Dominicam?

Dubium V. Si Festum Patrocinii B. M. V. Dom. III Novembr. affixum, impediatur Octava Omnium Sanctorum vel alio festo altioris ritus, potestne sine speciali indulto transferri, vel potius debet iuxta alias Decreta omitti?

Dubium VI. Cum S. R. C. novissimo Decreto die 17 Maii 1890 Plurium Dioecesium, prohibuerit in benedictione aquae festo Epiphaniae Domini peragi solita, alium adhibere ritum, quam qui praescribitur in Rituali Romano pro facienda aqua benedicta, quaeritur utrum Decretum hoc omnes respiciat Dioeceses ita, ut nullo modo amplius liceat usurpare formulam illam longissimam et Ecclesiae Graecae propriam, et si affirmative, an formula haec antiqua omnino expungi debeat ex Ritualibus?

PRAEPOSITIS QUAESTIONIBUS
RESPONSIO.

Ad Dubium I. Paucis opus est ut quisque videat planeque intelligat, Missam votivam SS. Cordis Iesu, prima feria VI in singulis mensibus, haud oportere solemnem esse seu cantatam.

Sane Beatissimus Pater indulsit (1), ut exercitiis pietatis, quae in Ecclesiis et Oratoriis peraguntur in honorem Divini Cordis, addi possit Missa votiva de Sacro Corde Iesu. Ex quibus verbis apparet, ibi sermonem esse de Missa in genere, id est, seu solemni, seu cantata, seu privata. Quomodo ergo iudicari potest, exclusive praecipi Missam solemnem seu cantatam in Oratoriis?

Quoniam autem enuntiata Missa est ad modum votivae solemnis pro re gravi, hinc unicam habet orationem cum *Gloria* et *Credo*, quemadmodum declaratum est per Decretum *Montis Politiani*, 20 Maii 1890.

Ad 2. Sacra Rituum Congregatio in una *Dubii*, 20 Decemb. 1864 (2), mandavit ut quoties anniversarium electionis vel consecrationis Episcopi ea die occurrat, qua in Ecclesia universali annua memoria recolitur creationis vel coronationis Summi Pontificis, anniversarium Episcopi sequenti die peragatur. Et ratio est quia secus ob impedimentum perpetuum, Missa solemnis de anniversario electionis vel consecrationis Episcopi nunquam celebraretur.

Insuper eadem S. C. haud dudum proposito dubio: " An quando anniversarium consecrationis Episcopi

(1) Ex Decreto *Altero nunc*: In iis vero Ecclesiis et Oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis...... peragentur, Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis *addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Iesu.*

(2) An occurrente anniversario consecrationis Episcopi eo ipso die, quo agi debet de anniversario electionis vel consecrationis Summi Romani Pontificis, Oratio *Deus omnium fidelium* sit bis dicenda, semel pro Papa, et semel pro Episcopo?

Resp. S. R. C. *in casu de anniversario consecrat. Episcopi agendum sequenti die.*

quotannis impediatur festo ritus Duplicis primae classis, quod diei affixum est, reponendum sit, an semper omittendum? „ reposuit: " Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam „.

Die 21 Decemb. 1891, in una *Dubiorum.*

A pari ergo in casu nostro; nam ex regula iuris ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio. Et recte; etenim obsequio et venerationi Episcopi maxime congruit, ut praefata Missa quotannis non deseratur.

Ad 3. Missa creationis Summi Pontificis vel consecrationis Episcopi, votivis accensenda est. Porro Missa votiva in duplicibus celebrari non potest absque privilegio. Huiusmodi autem privilegium, quod enuntiatam Missam, licet praeceptive, concessum est a lege Cathedralibus et Collegiatis, utpote primariis, in quibus etiam quotidie *Missae conventuales* celebrantur.

In reliquis vero ecclesiis inferioris ordinis et dignitatis, praeceptum est ut in Missis agatur commemoratio creationis et consecrationis. Standum igitur dispositioni legis, cuius limites extendi non debent ad ea, quae lex non respicit.

Ad rem facit sequens decretum in *Namurcem.* 22 Mai 1831 ad 7: " An occurrente die anniversaria „ consecrationis Episcopi, facienda est a Sacerdotibus „ omnibus per totam Dioecesim, vel solum in Ca„ thedrali, commemoratio eiusdem consecrationis in „ Missa? „

Resp. " Iuxta praxim, et Decretum in *Purtugallen.* „ 17 Septemb. 1785, per universam Dioecesim in om„ nibus Missis, praeterquam in solemni, dicenda in Ca„ thedralis et Collegiatis Ecclesiis, in quibus post No„ nam *dicenda est* Missa cantata eiusdem Anniversarii. „

Ad 4. Missa *Rorate* quae aliquibus in locis sin-

gulis diebus Adventus cantatur, ut omnibus notum est, ex speciali indulto repeti debet. Hinc attendendus est tenor indulti, tam quoad dies in quibus prohibetur, quam quoad ritum. Porro concessiones, de quibus sermo in supplici libello, sunt omnino particulares, adeoque extendi non debent ad universalitatem. Verumtamen hoc non impedit quominus expetita gratia concedatur, sicut diversis in locis factum est. Verum hoc in casu, praeter Dominicam I Adv. et Vig. Nativit. Domini, exciperem etiam festum Concep. Imm. eiusque Octavam, dies infra Octavam eiusdem, si de ea fiat officium, nec non festum Expectationis Partus; quae quidem exceptiones inveniuntur in novissimo Decreto *Lincien.* 13 Iulii 1883.

Ad 5. Consuetudo omittendi pacis osculum (id est complexus), in Missa solemni coram SS. Sacramento, novitatis notam meretur, ideoque improbanda utpote Rubricis adversa. Pax etenim indicium est laetitiae, et hac de ratione omittitur in Missis Defunctorum, in quibus illa quoque oratio praetermittitur, quae incipit: *Domine Iesu Christe qui dixisti, etc.*

Ad 6. Ratio ob quam Sacerdos legit Evangelium Missae *oblique stans*, videlicet parum conversus per suam sinistram, sequens est, quia nempe lectio Evangelii fit ad populum, ad quem etiam antiquitus Sacerdos illud explicabat. Iamvero haec ratio, ut quisque videt, militat etiam pro lectione Evangelii S. Ioannis. Hac de ratione cum Sacerdos dicit *Dominus vobiscum,* antequam incipiat Evangelii lectionem, non vertit se ad populum, propterea quod iam aliquantulum versus est ad ipsum populum. Quare etiam Evangelium S. Ioannis legendum est a Sacerdote, oblique stante. Eo vel magis, quod olim Evangelium S. Ioannis legebatur super caput fidelium.

Ad 7. Officium votivum de Immaculata Conc. B. M. V., aliquibus Dioecesibus Hungariae concessum, licet ritu duplici, non impedit quominus Missa privata de Requie diebus Sabbati celebretur. Ita sane explicavit S. R. C. in *Bergomen.* 24 Novembris 1691 (1). Ratio est quia Officium illud votivum non est officium diei, et licet ritus duplicis, remanet tamen votivum.

Ad 8. Nihil obstare videtur quominus in omnibus feriis maioribus, uti in feriis Quadragesimae, Quat. Temp. et Vigiliar. recitari possit Missa de feria in colore violaceo, diebus quibus fit Officium semiduplex. Nam talis Missa nec votiva est, nec more votivo, sed de die. Nec officit, quod de ea non sit recitatum officium, id enim est per accidens et ex indulto. Sicut ergo non sunt votivae Missae de feria conventuales, quae cantantur in Cathedralibus et Collegiatis, sicuti non sunt votivae quae dicuntur in ecclesiis, ubi indulta est aliqua octava in Quadragesima, ita nec votiva dici potest Missa ferialis, quae dicitur post Officium votivum, ritu semiduplici, dummodo de feria occurrente.

Huiusmodi nostrae sententiae non obstat Decretum diei 21 Iunii 1855, in *una Patriarch. Basil Vaticanae*, quo declaratum fuit, non posse celebrari Missam privatam *more votivo* de Feria, vel Vigilia in semiduplicibus. Nam, uti diximus, Missa de feria occurrente

(1) An in Ecclesia Parochiali, ubi adest Altare Privilegiatum pro defunctis, celebrari possit a Sacerdotibus confluentibus Missa de Requiem in die alicuius Sancti duplicis ad libitum, ex quo eius Officium a Parocho recitatur?

Resp. « In casu proposito, cum Officium sit ad libitum, *quamvis sub ritu duplici*, posse Sacerdotes confluentes celebrare Missam de Requiem. »

vel de Vigilia in semiduplicibus Quadragesimae, non est votiva, nec dicitur more votivo, sed est de die.

Ad alteram autem quaestionis partem quod attinet, non est dubitandum Missam de feria secum ferre commemorationem Officii recitati, licet votivi, quia Missa fit ritu simplici, et commemorationes plures admittit, maxime illam de Officio recitato.

Ad 9. Quum in Oratione SS. Sacramenti mentio fiat de Passione Domini - *Passionis tuae memoriam reliquisti* - elucet, omittendam esse commemorationem de Cruce, quoties tempore Paschali persolvitur Officium votivum de SS. Euchar. Sacramento, ne bis de eodem agatur. Etenim Crux est obiectum praecipuum Passionis Domini.

Hinc. S. R. C. die 24 Novembr. 1883, in *una Dubiorum* declaravit, quod in concurrentia Officii votivi SS. Sacramenti cum Officio de Passione, totum fieret de praecedenti, nihilque de sequenti. Ergo a pari in casu proposito.

Ad 10. Optandum est ut rituale Romanum adoptetur etiam illis in locis, in quibus habetur Rituale particulare. Nam Paulus V ad minus hortatur, ut omnes eo utantur. Praeterea Rituale Romanum a Pontifice approbatum, principem habet locum super omnia Ritualia ecclesiarum particularium, quemadmodum Romana ecclesia coeteris omnibus, nobilitate, dignitate et plenitudine potestatis antecellit. Quapropter optime potest Rituale particulare relinqui et Romanum adhiberi. Verum uniformitati maxime congruit ut omnes, relicto particulari, Romanum Rituale sequantur.

Ad 11. Videtur hac in quaestione posse tuto retineri opinio clarissimi Cavalieri, qui Tom. IV, dec. 66, n. 30 haec habet: " Verum eiusmodi intel-
„ lectui (i. e. versicula et orationem esse de puro con-

„ silio) obstat admodum idem Rituale Romanum de „ communione Infirmorum, quod omissa antiphona, de „ praefatis versibus et oratione subdit - *Deinde dicit* - „ quod praeceptum importare dicebamus, non consi- „ lium. Non leve itaque hinc fit argumentum, quod „ *to dicere poterit*, super antiphonam dumtaxat appellat, „ et non super sequentes versus et orationem, et maxime „ cum Rituale ipsum de oratione et antecedentibus versi- „ bus habeat: Mox Sacerdos dicit: *Domine exaudi* etc. „

Et revera concipi non posset qua ratione Rituale relinquere voluerit arbitrio Sacerdotis etiam illam praeclarissimam orationem *Deus qui nobis,* quae in bonum quoque recipientis Sacramentum ad Deum funditur.

Relate autem ad benedictionem, neminem latet eam semper elargiendam esse, unico excepto casu quando scilicet SS. Eucharistia datur immediate ante vel post Missam Defunctorum, sicut cautum est in Decreto generali 23 Iulii 1868. Formula vero praedictae benedictionis illa adamussim adhibenda est, quae in Rituali Romano invenitur - *Benedictio Dei* - etc., non - *Et benedictio.* Ly *et* est arbitrarium.

Ad 12. Caeremoniale Episcoporum praescribit ut omnes, exceptis Canonicis, unicum genu flectant Cruci altaris maioris, ad distinctionem Sacerdotum inferioris ordinis. Verum, ut quisque facili negotio intelligit, haec dispositio adimplenda est dumtaxat in *actu functionis.*

Quare huic postremae quaestioni respondendum existimo: Affirmative, sed in actu functionis tantum.

DUBIIS QUAE ADDITA SUNT
RESPONSIO.

Ad 1. Festum Nativitatis S. Ioannis Bapt. solemnioribus primi ordinis adnumeratur, quod tanta solemnitate ex Ecclesiae instituto celebrari ubique debet, ut alia quaecumque eadem die occurrentia, etiam primae classis excludat, excepta solemnitate Corporis Christi.

Festum autem SS. Cordis Iesu, licet dignissimum prae aliis obiectum habeat, tamen solemnioribus primi ordinis non adnumeratur, propterea quod est veluti quaedam appendix ad festum Corporis Christi. Hisce de causis S. R. C. in Decreto *Altero nunc* praelationem concessit festivitati S. Ioannis Bapt., quoties occurrat cum festo SS. Cordis Iesu. At, quaeso, si praedictum festum Sacratissimi Cordis in occurrrentia locum cedere debet Nativitati S. Ioannis, eadem ratione in concurrentia, seu in Vesperis, Nativitati eiusdem cedere debet.

Verum quidem est in allato decreto sermonem quoque esse de concurrentia, sed talis concurrentia non refertur ad Festum S. Ioannis, iam exceptum in occurrentia, sed ad alia Festa primae classis, quae non sunt solemniora universalis Ecclesiae (1).

---

(1) Hanc doctrinam antea a nobis traditam subsequens Decretum statuit, confirmavitque:

« Quando festum Sacratissimi Cordis Iesu concurrat vel cum festo Nativit. S. Ioannis Bapt., vel cum solemnitate Ss. Petri et Pauli Apost., quomodo tum primae tum secundae Vesperae ordinandae sint? »

S. R. C. resp. « Servetur Decretum Urbis et Orbis *Altero nunc elabente saeculo*, diei 28 Iunii 1889, tam pro Occurrentia, *quam pro Concurrentia.* Die 5 Septemb. 1891 ».

Ad 2. Ex Decreto *Urbis Sacrosanctae* constat Officia Passionis D. N. I. C. quoties impediantur Officio potioris ritus, amandanda esse in primam diem liberam intra Quadragesimam. Omittuntur autem si in tota Quadragesima nulla dies libera suppetat pro eorum repositione. Itaque ad rem nostram quod attinet, si Sabbatum subsequens est prima dies libera, Officium Quinque Vulnerum D. N. I. C., in illud transferri debet, secus in aliam diem liberam, dummodo intra Quadragesimam, vel omittendum.

Ad 3. Officia particulariter certis diebus concessa, si tractu temporis ad totam extendantur Ecclesiam, diversis tamen diebus, in his deinceps recitanda sunt, relictis sedibus in particulari concessione assignatis. Haec responsio pluribus S. R. C. Decretis confirmata est; ex. gr. 17 Iunii 1684 *Decretum generale* - 19 Ianuar 1697 in *Lauden.* ad 2 (1).- 28 Novemb. 1722, *Bononien.* (2).

---

(1) Utrum per extensionem ad universam Ecclesiam Officii duplicis de praecepto B. Mariae de Mercede, cui assignata est dies 24 Septembris, derogatum sit Indulto Apostolico celebrandi festum praedictum Dominica proximiori Calendis Augusti in Regnis, seu Dominiis Regis Catholici?

Resp. Affirmative, et se conformet Ecclesiae universali.

(2) Monialibus SS. Corporis Christi Civitatis Bononiae S. R. C. supplicantibus: An ipsis liceat in posterum die 14 Ianuarii Officium SS. Nominis Iesu, sicut antea, iuxta concessionem Fratribus Ordinis Minorum, alias factam, recitare; an vero teneantur illud Dominica II. post Epiph. uti pro Eccl. univers. indultum fuit, celebrare?

S. eadem C. respondit: « Nec Monialibus praedictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum, licere amplius memoratum Officium SS. Nominis Iesu die 14 Ianuarii, sed Dom. II post Epiph. recitare, sub poenis non satisfaciendi Officio Divino.... pro universali Ecclesia se conformare ».

Verum per Officii extensionem non derogatur indulto ante concesso celebrandi festum sub altiori ritu, ut videre est in *Lauden.* ad 3-19 Ian. 1697 et in *Collen.* 7 Apr. 1832.

Quare festum S. Ioannis Capistrani illis in locis ubi iam indultum erat, modo recoli debet die 28 Martii, retento tamen ritu duplici.

In aliis vero ecclesiis vel locis, in quibus enuntiatus S. Ioannes est Titularis vel Patronus, attenta praesertim extrinseca solemnitate, concedi posse arbitror, de speciali gratia, ut recolatur die 23 Octob., quo in casu omittendum est idem Officium die 28 Mart., ne bis de eodem fiat.

Ad 4. Quum dies 26 Novemb. sit propria S. Silvestri Abb. qui hac ipsa die ad aeternam transiit beatitudinem, Officium SS. Reliquiarum ad aliam diem liberam sed *insequentem* amandandum est. Quae tamen si usque ad anni exitum non suppetat, S. R. C. indulgere potest, ut anticipetur die 25 Octobris.

Haud vero praefato Officio assignari poterit Domica IV Octobris. Haec enim nova assignatio auctoritate privata peracta, esset contra Rubricas et Decreta.

Ratio autem desumpta ex Breviar. et Missal. Romano non probat, eo quia Dominica IV Octob. designata in Brev. et Missal. Rom., usurpatur pro illis dumtaxat locis, in quibus praefata Dominica indultum est Officium Reliquiarum. Quoties vero idem Officium concessum est aliqua die feriali, hac impedita, (ut in praesenti casu) ad aliam diem liberam pariter ferialem transferri debet iuxta Rubricas.

Ad 5. Officia particularia pro aliqua Dominica concessa, si haec sit impedita, non transferuntur, sed omittuntur, secluso privilegio. S. R. C. 23 Maii 1835,

in una *S. Miniati* ad 2, et 27 Augusti 1836 in *Veronen.* ad 11.

Porro Officium Patrocinii B. M. V. est particularis ecclesiae, pro quo assignata est Dominica 11 Novembris, qua impedita, praedictum Officium omittitur.

Ad 6. Ex ipsis verbis Decreti in una *Plurium Dioecesium* diei 17 Maii 1890, elucet, reprobatam benedictionem, de qua sermo, respicere omnes Dioeceses, propterea quod omnino propria Ecclesiae Grecae, atque ab indole latini ritus plane aliena. Et quamvis in enuntiato Decreto non praecipiatur expunctio benedictionis a Rituali, attamen ne in errorem inducantur Sacerdotes, satius erit adnotare illius abrogationem, dum reimprimetur novum Rituale, a quo expungatur.

QUAPROPTER PROPOSITIS DUBIIS
SIC RESPONDENDUM CENSEO.

Ad Dubium. I. Quoad primam partem, Negative ad primum; Affirmative ad secundum. Quoad secundam, detur Decretum in una *Montis Politiani* 20 Maii 1890.

Ad II. Transferatur in primam sequentem diem non impeditam.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative ad primam partem: ad secundam, Affirmative ex privilegio, exceptis tamen Dominica I. Adv., Vigil. Nativit. Domini, festo Conceptionis Immac. eiusque octava diebus in quibus fit Officium infra octavam eiusdem, nec non festo Expectationis Partus.

Ad V. Serventur in casu Rubricae.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative et detur Decr. in *Bergomen.* 24 Novemb. 1691.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Ad. IX. Versiculi et oratio *Deus qui nobis* sunt de praecepto; benedictio autem semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum, sub formula - *Benedictio Dei* etc.

Ad XII. Affirmative, sed in actu functionis tantum

DUBIIS ADDITIONALIBUS RESPONDENDUM PROUT SEQUITUR.

Ad I. Vesperae erunt de Nativitate S. Ioannis Bapt. cum commemoratione de sequenti, iuxta Decretum in una *Dubii* die 5 Septembris 1891.

Ad II. Affirmative si Sabbatum est dies libera, secus ad aliam diem intra Quadragesimam, quae si non suppetat, omittatur.

Ad III. Festum S. Ioannis Capistr., celebretur die 28 Martii, retento ritu duplici. Illis in locis vero in quibus praefatus S. Ioannes est Titularis vel Patronus, indulgetur ut recolatur die 23 Octob., omisso eiusmodi Officio die 28 Martii.

Ad IV. Affirmative ad primum. Quoad secundum, Officium Reliquiarum amandetur ad primam insequent. diem liber. iuxta Rubricas. Qua deficiente, S. C. indulget ut die 25 Octob. anticipari possit.

Ad V. Negative ad primum; Affirmative ad secundum.

Ad VI. Affirmative, et in Rituali adnotetur abrogatio benedictionis, donec novum imprimatur a quo expungenda.

Ita salvo meliori iudicio.

Robertus Marcucci
Apostolicarum Caeremoniarum Magister.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE INTONATIONIBUS ET RESPONSIONIBUS IN OFFICIIS SOLEMNIORIBUS.

In pluribus Ecclesiis seu italis seu exteris, mos invaluit ad intonationes quod attinet Celebrantis, chorique responsiones, quem Caius quidam perinsignis Collegiatae cuiusdam Ecclesiae magister caeremoniarum reprobat et damnat veluti abusum. Eiusmodi autem consuetudo in hoc consistit, quod cum Sacerdos vel hymnum angelicum intonat, vel symbolum in solemniori Missa, sicuti *Deus in adiutorium* in solemnioribus Vesperis, nec non quando seu ipsemet Sacerdos, seu alii qui in choro sunt, antiphonas intonant, chorus vel schola cantorum non statim prosequitur quod canendum est, sed verba iam concenta

repetit. Insuper intonationes non dantur sicuti in codicibus liturgicis prostant, sed potius iuxta placitum intonantis. Praeterea usus etiam alicubi viget, ut organa vel intonationes antea sonitu suggerant, vel etiam ipsos intonantes comitentur. Denique responsiones quandoque fictae omnino sunt, adeo ut nonnisi incompositos extraneosque sonos cantores emittant, nullaque ratione verba pronuntient liturgica, quae praescripta sunt. Has itaque velut corruptelas deflens praefatus caeremoniarum magister, mediisque studens eas e templis Dei arcendi, secum quaerit:

1. *Utrum intonationes repetendi usus, liturgicorum librorum regulis et primaevae Ecclesiae, tam latinae quam graecae, antiquitati sit conformis?*

2. *Num intonationes prouti inscribuntur in libris ritualibus, sint nec ne dicendae praeceptivae?*

3. *Quid de reliquis iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Sidonii Velch e Pontif. Collegio Urbano de Propag. Fide: habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 3 Iun. 1891: acta Epitoma per Rmum. Dom. Dom. Philippum M. Canon. Difava.

1. Ecclesia militans triumphantem profecto aemulatur in laudibus Deo persolvendis: ut sicut de illa caelituum iure merito sacra Liturgia concinat, semper laudibus resultare, Deumque trinum et unicum iugi praedicare cantu, ita et de ista clamet: *Illi canentes iungimur — Almae Sionis aemuli.* Cumque in caelesti perfectus in canticis ordo consonet, Illius

enim celebrantur laudes, qui ex ipso ordine constituitur; maximopere contendit terrestris Ecclesia, ut omnia, ut par est, in sacris templis secundum ordinem fiant. Ordo autem exigit, ut normae in codicibus liturgicis assignatae adamussim observentur, ut secus inordinatio et confusio vitari nequeant. Inter normas vero, quae in cantu, seu ad Missarum solemnia seu ad Vesperas praescribuntur, intonationes sunt, quibus responsiones chori vel scholae cantorum consonant. Haud nihilominus raro evenit, ut cantum unius partis proprium, altera vel sumat vel repetat. Hinc primum quod quaeritur, utrum nempe intonationes repetendi consuetudo regulis respondeat librorum liturgicorum, sitque nec ne conformis antiquitati Ecclesiae, seu latinae seu graecae.

Consulendi itaque ante omnia codices, ut perspectum habeamus, quid iubeant. Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. VIII, n. 38 et 39*) sic se exprimit, ad hymnum quod attinet angelicum: " Finito a choro cantu *Kyrie eleison*, surgit Episcopus... et cantat... alta voce *Gloria in excelsis Deo*... Postquam Episcopus INCEPIT, cantando praefatum hymnum, prosequitur illum submissa voce... et sedent omnes usquequo absolvatur cantus hymni ". Quae verba, uti per se patet, manifesto dicunt a Celebrante hymnum angelicum incipiendum seu intonandum, a choro autem perficiendum. De symbolo autem dicitur: " Conversus ad altare, incipit cantando... *Credo in unum Deum*, quod cum suis ministris submissa voce prosequitur (*Loc. cit. n. 52*) ". Chorus ergo continuat, non repetit, quae incepta iam sunt. Eodem sensu se exprimit Rubrica Missalis, iubens, tam hymnum angelicum quam symbolum a Celebrante intonari, reliquum vero submissa voce recitari (*Tit. IV, n. 7*): con-

sequenter a choro reliquum symboli continuandum, haud quod inceptum est iterandum. De prima antiphona in Vesperis, ad cuius normam reliquae sunt quoque concinendae, ait Caeremoniale: " Intonata ergo prima antiphona, eaque per chorum completa, *etc.* (*Lib. I, cap. VII, n. 2*) „. Quod autem a choro complendum, uti iam inceptum, profecto iterari non debet. Alibi praescribit Caeremoniale, post primae antiphonae ab Episcopo repetitam praeintonationem, esse ipsi standum, DONEC EXPLETA PER CHORUM ANTIPHONA, INCEPTUS FUERIT PSALMUS (*Lib. II, cap. 1, n. 7*). Ad hymnum quod spectat legitur: " Episcopus praeintonationem hymni repetit, quem chorus prosequitur (*Loc. cit. n. 11*) „. Quod si a solemniori Missa Vesperisque solemnioribus ad alias functiones pergamus, eadem lex ubique praescripta cernitur. Ita ex. gr. Missale iubet, ut Sacerdos antiphonam *Ecce lignum crucis*, SOLUS ipse incipiat, AC DEINCEPS in cantu iuvetur a ministris (*Rubr. spec. fer. VI in Parasc.*). In Sabbato Sancto praescribit, ut Celebrans incipiat *Vespere autem Sabbati*, additque: Et prosequitur chorus, *quae lucescit etc.* In aspersione aquae benedictae ait pariter, Celebrantem incipere, *Asperges me*, inde addit: " Et chorus prosequitur, *Domine, hyssopo* etc. „.

Si autem libeat Pontificale Romanum consulere, eamdem reperimus et magis explicite significatam regulam. In Ordinatione Sacerdotis habetur: " Tum Pontifex incipit, schola prosequente, hymnum *Veni Creator* „. In Consecratione Episcopi: " Deinde Consecrator incipit, ceteris prosequentibus, hymnum *Te Deum*. Ita et alibi passim, seu in Benedictione primi lapidis, seu in Consecratione Ecclesiae, aliisque pluribus functionibus.

Hinc haud erit ingratum expositam ubique servatam videre legem in libris liturgici cantus. Sume ex. gr. Directorium chori, ibique de hymno angelico leges: " Incipit solus Sacerdos clara voce *Gloria in excelsis:* deinde totus respondet chorus, *et in terra pax hominibus* „. De symbolo: " Finito evangelio, Sacerdos intonat, si dicendum sit, *Credo in unum Deum,* respondente choro, *Patrem omnipotentem* „. Aperi, si placeat, Graduale authenticum, ibique videre est secundum, tertium et quartum modum cantandi symbolum, non quidem a *Credo in unum Deum,* quod uni competit Celebranti, sed a sequentibus *Patrem omnipotentem.*

Ex quibus omnibus iure merito concludendum, certam, nullisque exceptionibus obnoxiam esse legem, liturgicas intonationes, quae a Celebrante fiunt, sicuti intonationes antiphonarum, quae fiunt in choro, vi librorum liturgicorum non esse a cantorum schola repetendas; cum illi haud cantum spectet iterare, sed tantum prosequi. Ceterum de cantuum liturgicorum solemnitatis ergo repetitionibus, si aliquos casus excipias, a Rubricis determinatos, sed sapientissima et longe alia de causa, non est in Ecclesia consuetudo; et si de intonationibus agitur, sive a Celebrante, sive a Canonicis canendis, nullum adest exemplum.

Quod autem summae est gravitatis, antiquitatem tangit liturgicam, ut regula quae nunc servanda adhuc est in Ecclesiis, ad primaeva saecula ascendat, ab iisque derivet. Namque cl. Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus longe lateque disserens, et modum referens, quo antiquitus canebatur, allegat verba cuiusdam Turonensis scriptoris anonimi: " Solus Sacerdos praecinit, mox cum eo totus chorus, quia cum unus angelus evangelizasset ortum Christi pastoribus, facta

est cum Angelo multitudo caelestis exercitus (*Lib. I, cap. III, art. 2, n. 6*) „.

Ordo XXII, qui in celebri Catalaunensi Ecclesia adhibebatur, circa hymnum angelicum haec habet, sicut et circa symbolum: " Incipit (Pontifex) *Gloria in excelsis Deo*, et responso a cantoribus: *Et in terra pax hominibus etc.* „ — " Incipiens (Pontifex) *Credo in unum Deum*, si dici debeat, et responso a cantoribus: *Patrem omnipotentem etc.* (*Loc. cit. cap.. IV, Art. XII*) „.

Cl. Martene de veterum Monachorum ritibus loquens, dicit: " Licet alternis choris (Monachi) psallerent, psalmi tamen ab uno aliquo imponebantur sive incipiebantur, quem statim reliqui omnes, uno ore ita sequebantur, ut nulla esset inter cantantes dissonantia (*Loc. cit., cap. II, n. 49*) „.

Ad antiphonas autem quod spectat, idem cl. auctor haec verba in ore celebris Amalarii Trevirensis Episcopi, tempore Ludovici Pii Imperatoris, ponit: " Antiphonae inchoantur ab uno unius chori, et ad eius symphoniam psalmus cantatur per duos choros. „ Idem Emus Bona affirmat, dum de cantus alternati origine tractat; et ipse sequentia verba citati Amalarii referens: " Cantor solus incipit Antiphonam, quae deinde completur (*De div. Psalm. cap. XII*, §. *X*, *n. 3*). „ Insuper dicit, Psalmum iuxta antiphonae tonum consuevisse cani, ut prorsus inutile proinde esset partem antiphonae intonatae repetere, cum propositum iam fuisset obtentum. Grancolas de cantorum institutione, et ita dicti *praecentoris* agens, dicit, ipsos apposite institutos fuisse, " ut Psalmos et Antiphonas praeirent ad chori cantum dirigendum (*Comm. hist. in Brev. Rom. l. I, cap. XVII*) „.

Gulielmus Durandus in Rationale divini Officii, pariter docet, solum Celebrantem, *Gloria in excelsis Deo*, ac *Credo in unum Deum*, incipere, et chorum, *Et in terra pax*, ac *Patrem omnipotentem* respondere, varias adducens huius praxis mysticas rationes (*Lib. IV, cap. XIII, XXV*). Idem pariter fieri debere docet in divino Officio, a Sacerdote scilicet, *Domine labia mea*, et *Deus in adiutorium* canendum, et a choro responsoria.

Eadem habet Durantus in suo opere *De Ritibus Eccl. Cath.*, ubi pro instituto nostro sequentes versus refert, cuiusdam Ildeberti Caenomanensis Episcopi Innocentio III anterioris:

> « Angelicum post haec sacrifer pater incipit hymnum,
> Incoeptum complet vociferando chorus ».
>
> *Lib. II, cap. XIV.*

Sed non tantum liturgicorum scriptorum adsunt testimonia, verum etiam ipsorum liturgicorum librorum.

Iam vidimus a cl. Martene Ordinem Ecclesiae Catalaunensis citatum. In Ordine Romano II, 6, circa *Gloriam*, legitur: " Litania finita, incipit solus Pontifex clara voce hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, deinde vero totus respondet chorus: *Et in terra pax hominibus* "; et in Ordine Romano VI, 7, circa *Symbolum* legitur: " Episcopus alta voce incipiat canere: *Credo in unum Deum*, et ita omnis chorus incipiens, *Patrem omnipotentem*, ad finem usque perducat ". Hisce perspicuis argumentis aliud adiungatur, quod in antiquis codicibus cantus Gregoriani pars Symboli a cantoribus concinenda semper initium sumit, sicut in hodiernis Gradualibus, a verbis *Patrem omnipotentem*. Et haec pro latina Ecclesia.

Ad graecam autem quod attinet haud ambigimus, eamdem sequutam esse Ecclesiae latinae pra-

xim. Et imprimis cl. Goar audiatur pluries de re nostra in suo *Euchologium Graecorum* illustrato tractans. Pauca tantum afferemus. In duobus catalogis officialium Constantinopolitanae Ecclesiae addictorum, quos ipse refert ex quibusdam perantiquis codicibus, a Leone Allatio repertis, ad officium cantoris quod pertinet, sequentia leguntur: " Primus cantor inter duos choros, dextrum et sinistrum, stat medius. Exordium vero psalmodiae incipit, post haec vero cantores cuncti (*Ordo sanctae magnae Eccl. in off. cleric. servand. pag. 271, Edit. Paris 1647*) „.

Primus cantor in gremio Ecclesiae stat, et psalmodiam exorditur (*Expos. Off. Sanct. et magn. Eccl. pag. 278*) „. In notis autem a praelaudato auctore istis duobus catalogis appositis, observatur primum cantorem etiam *protopsaltem* vel *praecentorem* appellari, quia initium cantui dare, et ceteris cantoribus praeesse debebat.

Ex quibus abunde patet, reliquos nonnisi incoeptum cantum prosequi debere, si ipsi tantum initiandum erat.

Mos iste adhibitus etiam est in variis Liturgiis seu officiis Ecclesiae graecae, uti ex. gr. in liturgia S. Ioannis Chrysostomi, sicut et in illa S. Basilii. In quibus saepe, imo saepissime tractus occurrunt a Diacono vel etiam a Sacerdote canendi, post quos immediate legitur: " Respondet chorus, „ una cum parte concinenda. Demum testimonium satis clarum Simeonis Thessalonicensis referre nobis liceat, depromptum a suo opere " De Templo et Missa „ integre a cl. Goar transcripto. Ad nostra quod refert, sic se exprimit: " Sacerdotes intra sacrarium divinos hymnos ordientes, primorum ordinum, qui iuxta Deum sunt, imaginem gerunt. Diaconi cum lectoribus et cantoribus Psalmos et sacros Scriptores ordine incipientes,

medios coelestium coetus sive choros subostendunt (pag. 217) „.

Mysticis explicationibus, ab auctore ingeniose datis, relictis, manifeste cuique ex citato textu apparet, Sacerdotes in officiis divinis hymnos incipere, et Diaconos cum cantoribus prosequi : ita enim fert naturalis sensus verborum *ordientes* et *incipientes.*

Ut hanc primam partem ergo paucis concludamus, dicendum, indubium esse antiquitus in Ecclesia seu latina seu graeca morem verba a quocumque praeintonata repetendi non extitisse, proindeque, praxim contrariam haud conformem esse regulis seu praescriptionibus librorum liturgicorum, non solum recentiorum, sed et veterum.

2. Alteri quaesito, an scilicet intonationes iuxta modum a libris liturgicis praescriptum fieri debeant, respondendum, affirmative. Et imprimis minime dubium suboriri potest super illis, quae in Missali, in Rituali, et in Pontificali inveniuntur, ex. gr. intonationes *Gloria, Credo,* Antiphonae *Asperges me,* vel *Vidi aquam* et similia ; cum partes sint Rubricarum praedictorum codicum, quae sicut et ceterae servari debent.

Circa vero antiphonas in Vesperis et aliis Horis, sicut et circa hymnos, Caeremoniale Episcoporum praescribit, ab Episcopo vel memoriter vel super librum praeintonatam antiphonam repetendam esse : canere quapropter ipse debet iuxta modum praescriptum a libris liturgicis (*Lib. II, cap. I, n. 7*).

Arroges ipsum Caeremoniale (*Lib. I, Cap. XXVII*), varios tonos tradens, iuxta quos orationes modulandae sunt, in fine adiungit ; regulas pro aliis cantilenis in respectivis libris liturgicis inveniri : inter quos memorat “ Directorium Chori „ quod apposite concin-

natum est, pro antiphonis et hymnis diversimode intonandis. Liquido ergo patet, Caeremoniale velle, ut iuxta modum praescriptum in iis liturgicis libris, intonationes fiant. Si enim modus intonandi ad cuiuscumque arbitrium relinqueretur, ut quid tanta in Romanis Pontificibus cura tantumque studii in corrigendis, reformandis, concinnandisque libris cantus liturgici summa arte elaboratis ?

Adde S. R. Congregationem (*in una De Guadalaxara diei 23 Aprilis 1873*) declarasse, non attendere in Missae celebratione ad cantum in Missali impressum, sed quamdam cantilenam traditionalem cantare nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium variabilem, non usum legitimum retinendum, sed corruptelam esse extirpandam.

Propter ergo notum effatum, ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio, concludendum est, et ipsam S. R. Congregationem ita velle, ut, quidquid liturgici cantus in sacris functionibus adhibetur, non ad arbitrium relinquatur, sed iuxta normam, quae in libris liturgicis ab eadem S. R. Congregatione approbatis reperitur, exequendum sit.

3. Sed veniamus iam ad tertium quaesitum. Post hucusque discussa atque exposita, luce meridiana clarius patet, abusum esse verba praeintonata repetere intonationesque ad libitum exequi, utpote corruptelas, legibus liturgicis aperte contrarias. Ad praxim vero quod attinet, prius organorum sonitu intonationes suggerendi vel eas comitandi, et ipsam legum spiritui haud conformem credimus. Enimvero saltem in Officio divino (olim autem etiam in Missa), aliquis ex cantoribus adesse debet, vel ut Caeremoniale in Vesperis desiderat, Subdiaconus, cui praeintonandi antiphonas concinenti munus incumbit. Ut quid ergo organis vel

suggerere vel comitari initium cantus, cum organa pro schola cantorum, minime vero pro intonante, in Ecclesia introducta, permissaque sint.

Sed praestat audire Caeremoniale Episcoporum, non obscure docens, organa chorum tantum, et non Celebrantem comitari debere (*Lib. II, cap. VIII, n. 39*). Dicit enim, Episcopum post intonationem *Gloria in excelsis Deo*, secretamque reliqui Hymni recitationem, suam sedem petere, ibique manere " usquequo per chorum perficiatur Hymnus cum organo „. Eodem modo idem Caeremoniale de hymnis in Vesperis, nam dicit, post intonationem Celebrantis chorum prosequi, " cui etiam intermisceri organum poterit (*Lib. II, cap. I, n. 11*) „. Imo in capite ex professo de organis agente, etsi de casu nostro in specie nil dicat, ex quibusdam tamen expressionibus facile eruitur, ipsum nullo pacto velle, ut organa intonationes suggerant, vel etiam comitentur intonantes. Ita v. gr. cum dicat in Matutinis ac in Vesperis sicut et in Missis, organa minime interponi debere in primis versis hymnorum canticorumque; toto iure concludi potest multo minus id fieri velle in intonationibus.

Demum nemo non videt, enormem abusum summeque indecorum esse verba a cantoribus respondenda, vel mutilare, vel corrumpere, vel, quod maximum monstruositatis atque irreverentiae esset, sonos incompositos nullius significationis emittere. Nonne musici concentus in Ecclesia introducti fuere ad maiorem Deo gloriam tribuendam, maioremque solemnitatem ostendendam? Quomodo ergo nobile hoc propositum obtineretur, si ansam cantores praeberent sacrificium laudis Deo acceptissimum convertendi in ludibria, irrisionesque divinae maiestati? Summa ergo cura can-

torum, maxime saecularium, praefectis adhibenda est, ut huiusmodi haud probandas consuetudines ab Ecclesia Dei auferant.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Urbe.* **De mutando tertio versu Hymni in Vesperis S. Petri Damiani.** Pluries in Ephemeridibus actum est de m. t. v. *Iste Confessor* in Vesperis S. Petri Damiani; sed res adhuc apparet dubia, cum in Volumine IV earumdem Ephemeridum ille obiisse dicatur die quidem 22 Februarii, sed post meridiem (*pag 258-259, Dub. VI*). Quid ergo? Mutandusne vel non mutandus, maxime post recentissimum Decretum. *Galagurritana et Calceaten.* ad XXI, uti Ephemerides exponunt?

Resp. Quaestionem, quantum suppetiere vires, perpendimus; sed ad rationem quod attinet mutandi tertium versum, adhuc ancipites haeremus. Diximus *ad rationem quod attinet mutandi tertium versum*, non vero quod spectat ad agendi modum, de quo saltem in praesenti non est dubium. Equidem iam primo dixeramus, t. v. non esse mutandum (*Vol. IV, pag. 214*): idque confirmavimus quibusdam momentis eodem in Volumine (*pag. 258 et 259*), ob silentium maxime Breviarii editionum, in quibus generatim m. t. v. non reperitur inscriptum. In octavo Ephemeridum numero vertentis anni post Decretum in *Calagurritana* ibidem

relatum, conclusimus e contra pro mutatione (*pag. 465*) quod et in 9 numero huius pariter anni sustinuimus (*pag. 554*).

Cum aliquid studiositatis, nisi curiositatis, negotium praeseferat, ingratum lectoribus haud credimus ut paulisper super eo immoremur. Itaque dubitari vix potest, S. Petrum Damianum, uti anno 1007 ortum, testantibus Baronio (*an. 1072*), Laderchio (*Vita S. Petr. Dam. Tom. I, pag. 6*), nec non Mittarellio, Muratorio et aliis (V. Capecelatro, *Hist. S. Petri Dam. Vol. III, pag. 30*); ita et defunctum anno 1072, nocte diei 22 Februarii. Silebimus omni maiorem exceptione testem, Bertoldum Constantiensem, scriptorem coevum S. Doctoris, et referre sit satis historiam a Ioanne Laudensi S. Petri Damiani discipulo conscriptam qui docet, S. Doctorem post Ravennatensem legationem tenuisse Faventiam; et apud venerabile monasterium quoddam Beatae Mariae Dei Genitricis, quod Foris portam nuncupatur, decenter susceptum mox febre correptum decubuisse. " Qua nimirum in dies invalescente, circa medium octavae noctis silentium, quae Cathedrae S. Apostoli anniversarii celebritatem (1) ducebat, exitus sui horam appropinquare cognoscens: extemplo nobis lectulo circumstantibus, nocturnum seu matutinale officium totum peragere iussit. Volens utique prius solemnitatis Apostolicae vota persolvere, ac sic demum abire. Tota ergo parata synaxi, sanctum post modicum spiritum corporis reddidit nexibus absolutum. Ut ea videlicet die, qua praesens meruit in pastorali Petrus Sede locari, eadem Petri discipulum

(1) Notum est satis, antiquitus unum tantum celebratum fuisse festum Cathedrae utriusque S. Petri, nempe die 22 Februarii.

caelestis curia in beatam susciperet sedem (*Apud Baron. an. 1072, n. XXXII*) „. Emus insuper Capecelatro addit, universas Camaldulensium et Cassinensium Necrologias eodem anno ac die Damiani mortem inscribere (*Loc. cit. pag. 498 in nota*).

Nihilominus Necrologia Fontis Avellanae mensem Martium pro Februario habet, diemque 23 pro 22: licet supercitatus Emus id certo errori adscribat. Fortunius, Sidonius, Hieronimus Rossi, et alii ad annum 1080 illius mortem transferunt. Civitas Ravennatum primo, inde Dioecesis, postea Faventia, aliaeque provinciae S. Petrum in Patronum sibi elegerunt, festumque diei affixerunt 23 Februarii. Brevi eumdem Sanctum eodemque die celebrare ceperunt aliae Ecclesiae plurimae, ut cultus illius fere universalis evaserit. A saeculo autem undecimo vel decimo secundo videas quot saecula ad nos usque decurrerint. Nonnisi enim Leo Papa XII per Decretum *Urbis et Orbis*, die 27 Sept. 1828, festum S. Doctoris iuridice ad universalem Ecclesiam extendit. Hinc dubia satis manere res potuit.

Praeterea lectiones Breviarii dicunt, eum sublatum e vivis fuisse octavo calendas Martii: at annus 1072, quo certo certius, in praesenti saltem, obiit S. Doctor, bissextilis erat, uti patet. Si ergo diem addas mensi Februario, prout in bissextili anno faciendum, iam non habes 22 diem, sed 23. Hinc forte a primis Breviarii editionibus, post Decretum Leonis Papae XII, imo et in antiquioribus, ad recentiores usque, m. t. v. notatum non legitur.

His animadversionibus ultimam adde, ritum nempe, quo S. Doctoris festum ad universam Ecclesiam extensum fuit, duplex minus fuisse; quo vero ritu ante extensionem celebratum fuerit a particularibus Ec-

clesiis nescimus. Exploratum est autem Cathedram S. Petri Ap. ante Paulum V fuisse ritus semiduplicis, cum idem Pontifex ad duplex minus, et solum Clemens VIII ad duplex maius evexerit. Nil ergo mirum, quod ad Paulum V usque, et forte etiam postea, S. Petri festum celebrari potuerit eodem ritu ac Cathedra Principis Apostolorum. Consequenter fieri quoque potuit ut utroque concurrente festo, primas ambo dimidiarint Vesperas. Hinc mutatio tertii versus locum habere non poterat. Equidem obiicies, festum Cathedrae cum sit dignius, fortasse totas sibi accepisse Vesperas. Sed quis certo id affirmabit, cum de minus principali ageretur festo licet digniori? Incerta res est, quomodo maiores nostri se gesserint; et si a Breviarii editionibus argumentandum sit, contra mutationem potius concludendum esset.

Hisce omnibus prae oculis habitis, haud difficile potest explicari, quare et editiones, generaliter de mutatione tertii versus sileant, et Ephemerides rationes contra mutationem emendicaverint. In praesenti vero, post Decretum in Calagurritana, amplius dubitandi facultas non tribuitur, et citra dubium, quod in editionibus deest, in Calendariis supplendum, nempe m. t. v.

II. *E Sardinia.* **De festis secundariis Ecclesiae Doctorum**. In quodam Calendario nostrae Insulae duo inscripta sunt festa secundaria S. Augustini E. C. et Eccl. Doct., scilicet: Conversio, die 5 Maii ritu dupl., et Translatio, die 11 Octobris ritu dupl. min. Gaudentne haec duo festa privilegio translationis in occursu cum aliis festis superiorioris ritus, utpote festa Doctoris Ecclesiae?

Resp. Non putamus. Nam hoc translationis privilegio festa Doctorum condecorando Ecclesia, non po-

tuit quin intelligeret tantum diem eorum natalitiam, vel quasi natalitiam speciali honore afficere. Ipsa enim nonnisi ad festa, quae universam spectant Ecclesiam respicere potuit.

Quapropter cum festa universalia Doctorum sint tantum primaria, S. Augustini Conversio sicut et Translatio, utpote secundaria, secluso speciali indulto, transferri non posse autumamus.

III. *Ex eodem loco.* **De festis Dominicis affixis, an transferenda.** Dominica secunda post Pascha in hac nostra Dioecesi Bisarchien. celebratur Inventio SS. Mm. Gavini, Protti et Ianuarii, Provinciae Turritanae Patronorum, sub ritu dupl. min. Quando in dicta Dominica aliud occurrit festum duplex, Inventio SS. Martyrum transferri ne debet, vel saltem commemorari ?

Resp. Neque transferri neque commemorari, sed penitus omitti debet. Principium enim est a S. R. Congregatione pluries repetitum, festa affixa Dominicis, vel aliis certis diebus, quae sunt concessa pro locis seu Ecclesiis particularibus, non transferenda, sed penitus omittenda esse, si dies illae sint impeditae (*Vide Dec. n. 4044, Alia dub. ad 10, n. 5213 etc.*). Cum ergo SS. Mm. Gavini Protti et Ianuarii festum, particulare prorsus sit, omittendum omnino est dum impeditur: multo magis autem, quia, ut ait Rev. Inquirens, decretum concessionis huius officii de tali privilegio silet.

Nota 1. Eadem ratione, eodem prorsus modo ad tertium eiusdem Rev. Inquirentis dubium respondemus; ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio.

Nota 2. Pro responso ad duo e Londino Dubia, haec sint satis. 1. Litaniae Lauretanae post *Agnus Dei* non ferunt *Christe audi nos etc.* 2. Hae Litaniae,

si dicantur in functionibus seu stricte liturgicis, seu ecclesiasticis, uti iacent sunt dicendae vel cantandae. Sed alias illis addere Orationes pro opportunitate, dummodo approbatas, praeter in Rituali notatam, vel etiam loco huius, aliam opportunam dicere, nulla lex prohibet. 3. Episcopos nil posse addere vel demere Rituali Romano, indubium est; sed Litaniae Lauretanae non sunt Orationes, ut has approbatas in opportunioribus rerum adiunctis dicere, non sit profecto immutare Litanias, quae ceterum in nullo liturgico actu sunt de praecepto. 2. Accentus verborum in genere servandi in pronuntiatione sunt in lingua liturgica, sicut in ceteris. Sed cum agitur de accentu euphonico, quis valet legem imponere, cum de gratia loquendi agatur? Hinc saepe et hic audimus, *mòrteque* et *mortèque, proìndeque* et *proindèque,* etc. Italis magis est gratum pronuntiare *faciliòraque* quam *facilioràque* etc. Melius est certe lectionem retinere accentu notatam.

IV. *Ex Andegavo.* **De Alleluia addendo Antiphonis " Ne reminiscaris „ et " Trium Puerorum „ in Missae praeparatione.** Sacerdos Missam de *requie* tempore paschali celebrans, debetne *Alleluia* addere antiphonis " Ne reminiscaris „, et " Trium puerorum? „

Resp. Supposito, quod quinque psalmi cum precibus, qui in missali pro praeparatione Sacerdotis celebraturi inscribuntur, ante quamcumque Missam de *Requie* non pontificalem, iuxta veriorem sententiam, recitentur; reponimus *affirmative,* nempe addendum esse antiphonis " Ne reminiscaris „ et " Trium puerorum „ *Alleluia* tempore paschali.

Praeparatio non est enim nisi quaedam oratio ab Ecclesia proposita atque inculcata Sacerdoti celebraturo, uti aptissima ad eum excitandum fervorem, qui

in tam sancta ac tremenda actione requiritur; adeoque in seipsa stat, estque aliquid a Missa seiuncti.

Rationem quapropter non videmus, ob quam tempore paschali etiam ante Missas defunctorum, *Alleluia* praedictis antiphonis addendum non sit: eo magis, quod Rubrica memoratis antiphonis praeposita nullam distinctionem inter Missam et Missam ponit, sed simpliciter dicit, tempore paschali additur *Alleluia*. Eiusdem est sententiae cl. Bauldry, qui (*in Nota I, ad Tit. I, n. 1 Rubric.*) etiam hanc fert rationem: " Alleluia (in nostro casu) sequitur officium non Missam ". Ita pariter sentit cl. De Herdt.

V. *Ex eodem loco.* **De omissione cuiusdam phraseos in Lectionibus pro festo Imm. Conceptionis.** Attente legenti lectiones III Nocturni officii votivi Immaculatae Conceptionis B. M. V. tempore verno, nec non Apparitionis eiusdem. B. M. V. Immaculatae, statim earum identitas agnoscitur, quatenus utraeque de Homilia S. Bernardi "Laetare pater Adam" desumptae fuerint.

Quum vero in Mechliniensi eorumdem officiorum editione non obstante *Concordat* et *Imprimatur*, omissa fuerit una phrasis sub fine lectionis VIII, videlicet, prima S. Doctoris ad Virginem exclamatio: " O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! " et insuper in lectione IX vocabulum *maligni* omissum fuerit inter *omnimodam* et *suggestionem*, quaeritur: Utrum saltem in officio Apparitionis B. M. V. Immaculatae, praefata omissio tum phraseos tum vocabuli, in ipsa Urbe a S. R. Congregatione facta fuerit?

Resp. Negative. Omissio tum phraseos tum vocabuli, tam in officio Apparitionis quam in votivo, Belgis typographis Mechliniensem editionem concinnantibus solummodo imputari debet.

Ivimus enim ad alias editiones, typica non excepta, et in omnibus phraseos et vocabulum in Mechliniense omissa invenimus.

VI. *Ex urbe N.* **De usu rochetti in expositione SS.mi Sacramenti.** Licitum ne est SSmum Sacramentum exponere atque deponere sine superpelliceo, sed cum stola super rochettum et batulum?

Resp. Non semel a S. R. Congregatione declaratum est, privilegio rochetti, mozzettae, cappae aliorumque insignium decoratos, nedum in Sacramentorum administratione, verum etiam in benedictionibus aliisque functionibus, in quibus Sacerdos ex Rubricae praescripto superpelliceum et stolam assumere debet, uti iisdem insignibus minime posse. Posse vero, talibus privilegiis utentes, superpelliceum et stolam rochetto superimponere.

COMMENTARIUM

AD DECRETUM URBIS ET ORBIS

PRO S. IOSEPH

In votis erat Decretum EX QUO SUMMUS PONTIFEX in proxime praeterito Ephemeridum numero relatum commentari; at cum nec tempus nec spatium suppetierit, quod ex necessitate tunc omisimus, adimplemus impraesenti.

1. In tres partes dispesci merito potest praefatum Decretum. Prima agit de aucta in S. Patriarcham pietate fidelium, ex quo totius Ecclesiae Patronum illum Pius Papa IX constituit. Quae pietas veluti flamma ferventius exarsit cum Leo Papa XIII an. 1889, per encyclicas literas in illius dignitatis ac patrocinii laudem evulgatas, accensum in fidelium cordibus ignem cohortationibus ac favoribus auxit, vehementerque excitavit.

Altera innuit postulationes ad Sanctam trasmissas Sedem pro ampliori liturgico obtinendo cultu erga nutritium Christi patrem. Quas maximo licet excepisset gaudio Sanctitas Sua, inauditas reliquit.

Ultima privilegium loquitur, quo inclytus Patronus ditatur, si eius festum occurrat cum aliis quibusdam de Tempore festis, quae omitti aut transferri nequeunt. Nonnihil de singulis dicendum.

2. Summa quidem sapientia SS. Dominus Noster postquam Patroni innuit honores almo Virginis Sponso a Pio Pontifice IX tributos, ad encyclicas literas, quas Ipsemet ad totum dederat orbem, appellat. In his enim, ut Deus *Ecclesiae suae celerius ac prolixius opituletur* expedire Summus Pontifex arbitratur, *ut una cum Virgine Deipara castissimum eius Sponsum beatum Iosephum implorare populus christianus praecipua pietate et fidenti animo insuescat* (Encycl. QUAMQUAM PLURIES 15 Aug. 1889). Namque, sicut nazarethanam Familiam, uti vir Mariae, et Christi Pater, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegit ac defendit. Idque eo magis, quod dignitate, et muneribus inspectis, quibus beatissimus Ioseph auctus fuit in terris, omnes, qualicumque conditione locoque, perfectissimam in illo possident vivendi formam: ut patresfamilias, coniuges, virgines, nobili

genere nati, locupletes, proletarii maxime, opifices, aliique omnes, proprio veluti iure possint ab illo quod imitentur capere. Virtutum quippe, quarum splendore mortalis vitae cursu emicuere Sancti, earumdem gratiam recepti in caelis devotis suis efficacius impetrant. At hoc praecipue in praefatis literis apostolicis ni fallimur, animadvertendum, Pontificem scilicet maximum Leonem XIII, omnia quae in inclyti Patriarchae praeconium recolit, ad unum appellere, ad vitam inquam domesticam, seu absconditam, quam divus Ioseph cum Unigenito Dei humana specie induto, eiusque alma parente, sanctissime degit. Haec enim omnium, quibus est auctus, charismatum causa et nutrix: haec ratio unica, ob quam mirabile cunctis cuiusve status, gradus, aut conditionis se praebuit exemplar: haec denique, ex qua singuli ex Christifidelibus et patronum in illo habent et typum. Nobis itaque maximopere est, cur laetemur in Domino, quod per Pontificem maximum Leonem XIII, illius vices gerentem in terris, abunde acceperimus, unde sub tanto patrono ac duce virtute praeditos agere valeamus dies, Deo propitiante, a quo et aeternam coaequatam meritis praestolamur gloriam.

3. Ex quo tamen tam praeclaris Leo Papa XIII extulit laudibus Sanctissimum Ecclesiae tutorem, occasionem nacti sunt plures fundendi preces, ut *amplioris in Sacra Liturgia cultus honores beato Ioseph tribuerentur*. Ex iis enim, quae de thesauro sapientiae suae, universalis Ecclesiae protulit Doctor, videbatur innuisse almae Dei Matris Sponsum ceteris dignitate Sanctis, hinc et divo Christi Praecursori, excellere. Ingenue imo nobis fatendum, ad hoc et animum nos induxisse, sequenti percitos dicendi ratione: " Quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua

naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium, quin accesserit ipse, ut nemo magis (*Litt. Encycl.* QUAMQUAM PLURIES). „ At versatos citra dubium nos in errore fuisse, statim intelleximus, ac verus eorumdem sensus verborum cum auctoritate nobis patefactus est. Ut proinde, nisi contra, praeter intentionem certo fuerit Summi Pontificis, vel remotissime ad controversiam verbis illis spectare aetate nostra maxime notissimam, comparativae, inquam, excellentiae dignitatis inter Sanctum Ioannem Baptistam Sanctumque Ioseph.

Hinc ex votis, quae Beatissimo Pontifici Nostro Leoni undique delata fuere, summa quidem Ille affectus est laetitia, haud tamen permotus, ut iisdem faceret satis. Optimus quippe parens natis congaudet qui adhortationibus paternis, monitis, consiliis, precibus obtemperantes, eius perficere voluntatem student; licet pro sua prudentia eorum optatis obsistere plus semel iudicet. Filiorum est autem, si bonae quidem indolis, patris acquiescere propositis, seu gratum seu fortasse ingratum illa sortiantur exitum. Haud itaque censuit Sanctissimus Pater Noster divum Patriarcham Ioseph potiori liturgico cultu ditare, uti optatur, protoduliae, inquam, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum. Sit ergo et nostrum sapientissimo Pontificis adhaerere consilio, nedum in opere, quod fert necessitas, sed et mente: ut Patri natisque una sit mens unumque iudicium.

4. Quod nihilominus, haud imminuat oportet, imo affectum adaugeat in Sanctissimum Ecclesiae Patronum; siquidem haec firma et efficax est eiusdem Pontificis Maximi voluntas, quam singulari illius festum privilegio exornando iterum abunde significat. Notum satis ponimus, festa solemniora universalis Ecclesiae occur-

rere atque concurrere inter se non posse. Unum excipitur, Nativitas S. Ioannis Baptistae, cui ita Rubrica providit, ut occurrens cum festo Corporis Christi, in diem immediate sequentem transferri debeat. Festum autem S. Ioseph Summus Pontifex Leo XIII consimili exornavit privilegio, de quo tamen nonnulla peculiariter animadvertenda necessario sunt. Et primo quidem innuimus de occurrentia Decretum loqui possibili, ut hanc ob causam sileat de feria VI maioris hebdomadae ac Sabbato Sancto, in quos incidere dies XIX Martii nunquam potest. Etenim si in diem XIX Martii feria VI in parasceve aut Sabbatum Sanctum incideret, tunc Pascha in XXI vel in XX diem caderet eiusdem mensis, quod evenire non potest; statutum est enim nec ante XXI Martii, nec post XXV diem Aprilis esse illud in Ecclesia celebrandum. Insuper notanda ratio, ob quam festum S. Ioseph, si in feriam aliquam incidat maioris hebdomadae, haud in feriam secundam, sed in quartam reponi post Dominicam in Albis, Decretum iubeat. Huiusmodi autem ratio duplex esse potuit. Primo ne festum Annuntiationis quandoque in feria secunda reponendum exturbetur: secundo, ut in illa S. Ioseph sua impeditus die celebraretur, quae eidem est sacra. Equidem Annuntiatio almae Virginis inferius est ritu festo S. Ioseph; at animadvertendum primo incomparabile illam comprehendere mysterium: secundo, iam eam possidere, ut quocumque in casu occurrentiae, feria secunda post Dominicam in Albis sit Annuntiationis festi *propria*. Denique cum ex devotione fidelium, cui sapienter cessit disciplina Ecclesiae, feria IV cuiusque hebdomadae peculiariter dicata sit S. Ioseph, hanc prae aliis seligere S. R. Congregationi placuit pro illius impedito recolendo festo.

5. Sed gravius apparet, quod super Decreto potest animadverti ad diem quod spectat, pro S. Ioseph reponendo festo constitutam. Decretum edicit, in feria IV hoc reponendum festum tamquam *in sede propria;* at sedes ista, in calendariis saltem particularibus, impedita esse potest alio primae classis festo solemniori locorum: quid tunc agendum? Ait quidem Decretum servandum esse praescriptum Rubricarum *quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium;* sed haud perspicuus pro praxi videtur horum verborum sensus. Etenim pone diem 19 Martii incidere in feriam IV maioris hebdomadae, et feriam IV post Dominicam in Albis in diem II Aprilis, quid agendum ex. gr. in Paulae civitate, et alibi forte, ubi S. Franciscus a Paula tamquam Patronus colitur? Pone diem 19 Martii in II feriam incidere maioris hebdomadae, et feriam IV Dominicae in Albis in diem 4 Aprilis, quid Hispalis aget in Hispania de S. Isidoro Episcopo loci Patrono? Quomodo se gerere debebunt tot Ecclesiae, si dies pro repositione festi S. Ioseph constituta, festo propriae Dedicationis, propriive Titularis impediantur? Imo, si aliquod in eamdem feriam incidat festum ritus dup. 1. classis, quod licet ex tribus non sit per Rubricam praescriptis, nihilominus ex solemnioribus est? Festa huiusmodi, ex quibus patronale cum feriatione de iure recolitur, alia recoli possunt, cum die reposita S. Ioseph occurrentia, transferri ne debent? Quod si transferantur, transferri ne debent in primam diem liberam, vel in immediate sequentem? Et si concurrant, quomodo ordinabuntur Vesperae? Haec profecto eiusmodi sunt quaestiones, ut per litteram Rubricarum haud videantur solvi omni cum certitudine posse. Aliquid pro instituto nostro de more dicemus, principiis innixi, quas Rubricae et De-

creta suppeditant et ratiocinatione adiuti solvere difficultates satagemus.

6. Equidem si Rubricam inspicias (*Tit. X, n. 1*), edicentem, festum (*quoad officium intelligas*) S. Ioannis occurrens in festo Corporis Christi, in sequentem diem transferendum esse, normam habes eiusdem exceptionis, quae pro officio S. Ioseph facta est. At notandum, diem vigesimam quintam Iunii ea aetate liberam omnino fuisse in calendario universali; etenim S. Gulielmus nonnisi tardius hanc sedem habuit, anno videlicet 1785 sub Pio Papa VI. Nil ergo mirum, quod absolute Rubrica loquatur, festum S. Praecursoris quo modo diximus impeditum, transferendum absolute in diem sequentem, in quam supponi vix poterat aliquod primae classis festum incidere, et quidem ex solemnioribus, aut etiam Rubricis praescriptum.

Praeterea, si festum consideres quoad chorum, quoad forum, et quoad utrumque, facile conveniendum, difficile posse supponi, ut Rubrica pro mero festo quoad chorum voluisse transferri festum quoad chorum et forum, quod citra dubium potiori gaudet solemnitate, et populi devotioni vel maxime favet. Iam nunc festum S. Ioannis Baptistae, sicut et S. Ioseph, de quo specialis nobis sermo est, nonnisi quoad chorum festa sunt, feriatio enim iam celebrata fuit in die 24 Iun. pro illo, pro S. Ioseph die 19 Martii, illorum propria, in qua et externa acta fuit solemnitas, et fideles seu Missae audiendae seu abstinendi a servilibus operibus praecepto fecerunt satis. Haud ergo aequum videtur ut pro simplici recitando officio, esto ritus primae classis, verum solemniusque festum quoad chorum et forum negligatur, ut de illo agi debeat, hoc vero transferri. Festum enim quoad officium tan-

tum translatum, semper quid minus habet entitatis, quam festum, quod pleniori sensu eiusmodi est.

Denique Decretum Altero nunc (*Urb. et Orb. XXVIII, Iun. 1889*) normam quamdam statuere videtur in casu applicandam. Decernit enim festum SS. Cordis Iesu, si occurrat cum aliquo ex tribus localibus festis, quae aguntur aut agi cum feriatione possunt, huic postponendum esse. Ergo a fortiori idem concludendum de S. Ioseph. Nam feria VI post octavam Corporis Christi, vere festum agitur SS. Cordis, quod tamen, si eadem feria a festo cum feriatione fuerit impedita, huic postponendum edicitur. Tanto magis ergo officium S. Ioseph festo cum feriatione postponendum, sive quia huius dignitas inferior est dignitate SS. Cordis, sive quia S. Ioseph in die reposita agendum esset et quidem cum solo officio, cum illius festum celebratum iam fuerit. Haec quidem probare videntur, verba Decreti, *servato Rubricarum praescripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium*, duplex primae classis festum saltem cum feriatione non comprehendere.

7. Ita quidem nobis apparet; sed satis hac de re incerti sumus, cum verba decreti aliquid fortasse obscuritatis praeseferant. Ea propter expetita iam fuit S. R. Congregatio, ut declarare dignetur, quaenam eius sit in casu intentio, seu circa occurrentiam, seu circa concurrentiam.

DE MISSA DE REQUIE

EXPOSITO PRO CAUSA PRIVATA SACRAMENTO

DISSERTATIO

Grave ab uno ex Illmis ac Rmis Thusciae Episcopis proponitur dubium liturgium, quod ab aliis necessarium duximus separatim solvere. Missam respicit, sive solemnem sive privatam, permittente ritu, in Ecclesia, ubi almum Eucharistiae Sacramentum est expositum, haud pro publica, sed privata causa. Decreta S. R. Congregationis pro et contra afferuntur, ut res dubia videatur, et Rectores Ecclesiarum in oppositas abeant sententias. Consequenter, ut Rmo Antistiti faciamus satis, quaestionis statu perspicue ante omnia exposito, decreta ad rem evulgata nobis expendenda sunt, et ex eorum examine conclusionem seu ad propositum dubium responsionem ratiocinantes inferre.

1. Expositio SS. Sacramenti, alia solemnis dicitur, alia minus solemnis; illa saepe ab auctoribus publica nuncupatur, ista privata. Prima intelligitur quae fit cum Ostensorio in throno solemniter collocato: altera vero, quae fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo patefacto, remanente. Ostensorium esse potest omnino detectum, sed esse etiam potest velo coopertum, ita ut sacra Hostia quodammodo abscondita appareat. At hic usus impraesenti exolevit: ut cum verba fiunt de expositione SS. Eucharistiae super thronum, de

ea absque ullo velamine intelligatur (*V. Gardell. Comment. ad Instr. Clement.* § *36*, *n.* *9*). Expositio solemnis esse potest, vel pro publica causa, vel privata. Causa publica, proindeque gravis in casu, esset necessitas aliqua in publicis calamitatibus, periculis etc., vel quae respiceret gratias Deo agendas pro acceptis a fideli populo beneficiis etc. Privata, uti patet, tangeret personam aliquam, puta infirmum, defunctum, familiam etc. (*Gardell. loc. cit. n. 2*). Esse quoque potest Expositio vel pro Oratione quadraginta Horarum, vel ad instar illius, vel pro aliqua peragenda functione, puta pro benedictione impartienda, vel pro triduanis aut novendialibus agendis precibus, vel quae simpliciter fit statis diebus in venerationem tanti Sacramenti.

Missa esse posset, ut pontificalem sileamus, vel solemnis, vel etiam cum cantu solum, nempe sine ministris et cum solo Celebrante, aut potest esse privata seu simpliciter lecta. Eiusmodi Missae celebrari possunt vel ad altare Expositionis, vel ad alia Ecclesiae altaria.

Status quaestionis nostrae sequens est: Utrum possint Missae de requie, sive solemnes, sive cum cantu, sive privatae fieri, excluso altari Sacramenti expositi, in altaribus Ecclesiae, ubi Eucharistia solemniter est exposita pro privata persona defuncti, si illas ritus permittat.

2. Tamquam ex positiva lege certum et indiscutibile est, si generaliter loquamur, Missas de requie esse prohibitas in Ecclesiis, ubi Sacramentum solemniter est expositum pro publica causa. Constat ex pluribus decretis, quae referre prorsus inutile credimus: sive quia nota satis abunde sunt, et plus minusve ab auctoribus vel citantur vel referuntur, sive quia aperta et incontestabilia sunt. Diximus tamen *si generaliter loquamur;* quia cl. Cavalerius agens de Missis de requie

conventualibus, quae in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis praeceptivae sunt, quamdam exceptionem ponit, quae tamen cl. Gardellinio haud arridet. Idem sentit pro omnibus Missis de requie lectis, si Expositio pro Oratione quadraginta Horarum in diem secundam Novembris incidat: pro quo extat decretum 15 Septembris 1801, eas permittens, dummodo in paramentis, haud nigris, sed violaceis. Sed huiusmodi exceptiones et quadraginta Horarum Orationem respiciunt, quae praeceptiva est in Urbe, et Missas pariter de praecepto defunctorum faciendas; nos vero loquimur et de Expositione, et de Missis defunctorum, quae nulla iubentur lege. Ut proinde, saltem in casu nostro, principium positum denegari non possit, et Missae de requie, citra controversiam, prohibitae sint tenendae in Ecclesiis, in quibus SS. Sacramentum pro causa publica manet expositum.

3. Nunc autem inquirimus, quodnam inter Expositionem pro publica, et Expositionem pro privata causa discrimen intercedat. Si enim quid videmus, et ab ipsa causa abstrahamus, nullum omnino intercedere videtur inter utramque discrimen. Et sane, Expositio solemnis supponitur in utroque casu, haud pro aliqua functione, quae breviter durat, sed pro uno integro, vel pluribus diebus, uti usus est in Thuscia: fideles Ecclesiam frequentant, ingentique cum devotione almum Sacramentum adorant et recolunt: lumina eo adhibentur numero, quem lex vel consuetudo praescribit: verbo, si a precibus abstrahas, quae aliae sunt dum pro publica, aliae dum pro causa privata exponitur, prorsus non intelligitur, quomodo altera ab altera Expositione differat. Iam vero, sicuti precum qualitas, ita ipsa causa Expositionis, in eiusdem naturam Expositionis nihil potest influere. Sequitur in

casu nostro non posse inter utramque Expositionem discrimen poni: vel, si admittere discrimen mavis, tale illud esse fateri debes, ut eadem Expositio solemnis in suo esse substantialiter relinquatur in utroque casu. Quod omnino certum nobis videtur, quia causa et precum qualitas, nullam a natura Expositionis dependentiam habent, et vicissim.

Qua autem de ratione Missae de requie prohibentur in Expositione Sacramenti pro publica causa? Profecto ratione solemnitatis, quae totam afficit particularem Ecclesiam. Atqui eadem, uti dictum est, reperitur solemnitas etiam in Expositione Sacramenti pro causa privata; ergo si in illa prohibitae sunt Missae, in hac quoque prohibentur.

4. Sed verius animadvertendum est causam publicam gravemque requiri pro Sacramento solemniter exponendo. Audiatur ad rem Benedictus XIV: " Quot scribunt de Venerabilis Expositione, dicunt, illud non posse publice exponi coram popolo, quin adsit causa publica, ab Ordinario approbata (*Notific. XXX, n. 9*) „. Affert resolutionem S. Congregationis Concilii, cuius textualia verba sic se habent: " Sacra etc. censuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario... Ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum, Tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit (*17 Aug. 1630*) „. Notat autem idem Benedictus XIV, hanc quidem resolutionem, in causa licet particulari emanatam, ab ipsamet S. Congregatione Conc. regulam generalem fuisse factam (*loc. cit. n. 9*).

Iam vero perspicue ex hoc sequitur, Expositionem Sacramenti pro publica causa, idem esse ac Exposi-

tionem solemnem, seu cum Ostensorio: Expositionem privatam idem esse ac pro privata causa, id est cum pyxide. Haec ratio est, ob quam cl. Gardellinius in Commentario ad Instructionem Clementinam loquitur passim de Expositione pro publica causa, seu cum Ostensorio; sed datum nobis illud percurrentibus non fuit quidquam legere, ad Expositionem quod attinet cum Ostensorio pro causa privata. Imo postquam de solemni Expositione locutus fuit, quam semper pro causa publica nuncupat, deveniens ad privatam, loquitur semper et unice de Expositione cum pyxide. Idem aperte educitur ex decretis S. Congregationis Rituum, et maxime ex *Varsavien.* 7 Maii 1748. Concludendum ne esset, confusionem in terminis liturgicis fuisse invectam, unde et sine fine exorta est controversia?

5. Audias cl. De Herdt, cuius cetera et peritiam et eruditionem iure merito fatemur: " ... Missa privata de requiem... prohibetur... tempore Expositionis SS. Sacramenti ob causam privatam, ad altare Expositionis tantum (*pars 1, n. 64*) ". De quanam Expositione agit? Probabilius de solemni; prosequitur autem: " Quando autem exponitur ob causam publicam, ad omnia altaria Ecclesiae (*loc. cit.*) ". Primum assertum probat decretum citando 14 Iun. 1873, n. 5551, II, quod est in *Agrigentina*, et expendendum venit. Ante duo dubia, ex quibus decretum constat, exponit Orator Episcopus, Missas die 2 Nov. dicendas esse de requie. Sed addit, eas in colore nigro omnino celebrandas, die 2 Nov. excepta, si SS. Sacramentum sit expositum pro Oratione quadraginta Horarum, tunc enim color adhibendus est violaceus ex decr. 27 Iun. 1868. Denique exponit pervetustam consuetudinem Urbis Saccae dioeceseos Agrigentinae, in cuius Ecclesiis nonnullis Sacramentum exponitur vel in Tabernaculo cum

pyxide, vel in Throno cum Ostensorio, et coram illo celebratur Missa privata. His praemissis, sequuntur duo Dubia, quorum primo omisso, quod ad rem nostram non pertineat, alterum sic se habet: " Si est dicenda Missa de *requie*, qui color est adhibendus in paramentis, niger vel violaceus, cum in decreto supracitato agatur de Expositione quadraginta Horarum „ ? Videat lector, Oratorem nihil exprimere circa publicam vel privatam causam; sed dicere tantum, Expositiones huiusmodi non esse pro Oratione quadraginta Horarum. Iam audi responsum absolutum: " In altari, ubi publice exponitur SSm̃um Sacramentum, sive in pyxide sive in Ostensorio, Missae de requie, tempore quo Expositio perdurat, omnino prohibentur „. Quid de publica, quid de privata causa? Nihil omnino. Concedimus quidem id exprimere non fuisse necessarium, cum ageretur de altari Expositionis; sed cl. De Herdt dicens Missas privatas de requie vetitas exposito Sacramento *pro causa privata*, ad altare Expositionis *tantum*, doctrinam Sacri Tribunalis implicat. Primo, quia in decreti responso distinctio non fit inter publicam et privatam causam, et quaestio est de Expositione, tam cum pyxide quam cum Ostensorio. Secundo, quia per verbum *tantum* significatur, ad altaria in quibus non est solemnis Expositio pro causa privata, Missas de requie posse celebrari: quod S. C. in suo responso non dicit.

Alterum autem assertum, nempe in Expositione Sacramenti ob publicam causam Missas de requie esse prohibitas ad omnia altaria Ecclesiae, probat etiam praelaudatus De Herdt ex decreto in *Varsavien.* 7 Maii 1746 ad 9: et hoc perpendamus. Dubii pars ad rem faciens sequens est. " In dicta cappella Crucifixi, durante Expositione SSm̃i in pyxide, an, permit-

tente Rubrica, possint in Ecclesia vel aliis cappellis celebrari Missae de requiem „? Iam responsionem accipias: “ Missae de requiem extra altare, ubi est expositum SSmum Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa „. Nunc autem animadvertas, benigne lector, hoc secundum cl. De Herdt assertum, esse *per se* veram legitimamque conclusionem decreti; sed comparatum cum primo magnam ingerit confusionem in hac doctrina. Namque decretum in *Agrigentina*, nihil de causa publicae vel privatae Expositionis dicens, asserit tantum, Missas de requie prohiberi semper in altari cuiusque Sacramenti Expositionis; et cl. auctor dicit, vi decreti Missas prohiberi *tantum* ad altare Expositionis, quando Expositio est pro causa privata. Decretum in *Varsavien.* docet, Missas de requie posse fieri in aliis altaribus, ubi non est Expositio, modo haec non sit ex publica causa; et cl. auctor in altero asserto hanc docens Tribunalis doctrinam, et cum superiori connectens, sic explicat, ut Expositio eadem solemnis, cum Ostensorio videlicet, Missas de requie permittat, si fiat pro privata causa, ad omnia altaria, excepto Expositionis: ad nullum ex altaribus permittat, si sit pro causa publica. Sed hic non est sensus decretorum, ex quibus primum edicit tantum, Expositionem, sive publicam cum Ostensorio sive privatam cum pyxide, Missas prohibere in altari ubi Sacramentum est expositum: alterum autem edicit, Expositionem privatam seu cum pyxide, Missas de requie permittere, extra altare Sacramenti expositi, idque tantum in casu, quo Expositio non sit pro causa publica.

Eadem confusa loquendi ratio legitur in A Carpo (*Biblioth. Liturg. pars 1, n. 53*), ait enim: “ Missae

privatae de requie..... quandiu porro expositum perstat SS. Sacramentum ex causa privata, dumtaxat ad altare Expositionis prohibentur, quamdiu ex causa publica, ad omnia Ecclesiae altaria „. Confusam hanc dicimus loquendi rationem; quia Expositio pro causa privata intelligi potest etiam solemnis cum Ostensorio, attenta terminorum aequivocatione: sed hoc decreta non dicunt. His omnibus prae oculis habitis, probeque perpensis, nunc arbitramur concludi posse, Expositionem Sacramenti pro causa privata permittere Missas de requie in Ecclesia, excepto altari, ubi est expositum, si agatur de Expositione privata: Expositionem pro publica causa in nullo ex altaribus permittere Missas de requie. Ergo sub nomine Expositionis pro causa privata venit Expositio Sacramenti cum pyxide tantum: sub nomine Expositionis pro causa publica venit Expositio Sacramenti, seu cum Ostensorio, seu quandoque etiam cum pyxide. Hoc et non aliud infertur, seu ex decretis allatis, imo et afferendis, sicut ex cl. Gardellinio, Benedicto XIV, et S. Congregatione Concilii. Quinimo ipsi cl. auctores hoc fortasse sensu, et non aliter intelligendi sunt. Certe cl. De Herdt, loquens de exequiali Missa, praesente cadavere (*pars I, n. 55, 5°*), haec habet: " Prohibetur (*Missa de requie in die obitus*), tempore Expositionis SS. Sacramenti ob publicam causam, seu QUANDOCUMQUE SS. SACRAMENTUM PUBLICE ET DETECTUM EXPONITUR.

6. Sed cum ratiocinatio vix valeat, ubi lex positiva extat, et de hac praecipue inquiratur; perpendenda sunt decreta, quae ad rem faciunt. Atque imprimis sic ratiocinium institui potest: Decretum in *Eugubina Dubii* (*27 Apr. 1697*) dicit tantum, CONGRUENTIUS ABSTINENDUM a Missis de requie in Ecclesiis, ubi Sacramentum est expositum pro Oratione quadraginta Horarum.

Haec autem verba, uti patet, positivum praeceptum non exhibent, quamvis ex iis inferatur melius esse ab iis abstinere. Ergo a fortiori concludendum, non adesse legem Missas de requie prohibentem, ubi Expositio, esto solemnis, non est pro Oratione quadraginta Horarum. At cum cl. Gardellinio reponimus, decretum istud et aliud simile (1), *per recentiora, revocata atque abrogata censeri possunt et debent:* adeo ut posterius praeceptum Instructionis Clementinae, nempe Missas de requie in casu non esse celebrandas, omnino servari debeat (*Not. ad Decr. Cathanien. 19 Dec. 1829*). Quod ergo ex his decretis infertur argumentum, vim suam deperdit, uti cetero videbimus.

Praeterea opponitur decretum in *Varsavien.* declarans: " Missae de requiem extra altare ubi est expositum SSm̃um Sacramentum poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa (*7 Maii 1746 ad 9*) „. Ergo. Perfacilis post dicta responsio; nam ex dubio exposito, uti vidimus, aperte constat, verba praefata non ad Expositionem *solemnem* referenda esse, sed cum pyxide tantum. Nos vero non de hac, quae minus est solemnis, sed de illa loquimur; decretum proinde in *Varsavien.* nihil probat.

Ad rem Gardellinius (*loc. sup. cit.*): " Quis non videt differentiam inter Expositionem SSm̃i Sacramenti in pyxide, et etiam in throno, sive umbella? Haec aliquam semper habet solemnitatem, ut demonstrat ipse expositionis modus, cui etiam saepe coniungitur

(1) Est in *una Canonic. Regular. Lateranensium*, d. d. 12 Dec. 1684, ad 5, declarans, *regulariter* Missas de requie in Ecclesia, quando fit Oratio quadraginta Horarum non esse celebrandas.

publica causa. Illa vero nullam, vel publicam causam, vel solemnitatem, ut plurimum saltem, praesefert. Hoc posito discrimine videt *per se* quisque, permissis huiusmodi Missis *taxative* dum SSmum Sacramentum est in pyxide, indirecte quidem, sed non obscure, hac responsione prohiberi Missas de requie, cum Sacramentum est expositum in throno etc. etc. „ Itaque supercitatum decretum nullo pacto favet Missis de requie in Ecclesiis Expositionis solemnis, sed potius refragatur.

7. At forte instabis, dicens Cavalerium in praefati explanatione decreti *Varsavien.* Missis de requie favere, Sacramento exposito sive in pyxide sive in Ostensorio, si causa Expositionis privata fuerit, quamvis reapse is velit, ut in casu *parcus admodum sit usus Missarum de requiem.* Sed reponimus, Cavalerium haud exacte referre compedifaciens decretum. Audias enim quo illud modo referat: " Missae de requiem extra altare, ubi est expositum SS. Sacramentum *etiam* in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit pro publica causa (*Tom. IV, Cap. VII, Decr. XLV*) „. Ubi vides, adverbium *etiam* facile tribuere lectori facultatem sic explicandi decretum, ut non solum in Expositione cum Ostensorio, sed *etiam* in pyxide, Missae de requie permittantur, si absit publica causa pro alterutra. Verum particula *etiam* in authentico decreto non prostat, neque in quaesito, neque in responsione. Textualia decreti verba superius retulimus, quae et referre iterum iuvet: " Durante Expositione Sanctissimi in pyxide, an permittente Rubrica, possint in Ecclesia... celebrari Missae de requiem „? Responsum et vidimus, nempe: " Missae de requiem extra altare, ubi est expositum SS. Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen

Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa (*Dub. 9*) „. Cum ergo responsio ad Dubium referenda necessario sit, hoc unice ex illa sequitur, Missas de requie, cum Sacramentum in pyxide expositum est, posse celebrari, si publica absit causa, secus negative. Proinde, sive Expositio sit in throno, sive in pyxide, quando adest causa publica, Missae de requie sunt vetitae: hoc legitime concluditur. Sed utrum, quando Sacramentum expositum est, pone etiam pro causa privata, dictae liceant Missae, sive Expositio sit in pyxide sive sit in throno, hoc ex praefato decreto non potest logice inferri, cum ipsum exclusive loquatur de Expositione cum pyxide.

Neque dicas, si in utraque Expositione pro causa publica prohibentur Missae de requie, ergo et in utraque permittuntur, si adesset causa privata. Maximae enim extat ratio disparitatis, videlicet solemnitatis, quae semper adest cum Sacramentum in throno exponitur, sive pro publica, sive aliquando etiam pro privata causa. Non vero semper datur quando exponitur in pyxide, sed tantum quando causa publica subest, quia fortasse expositionem in throno graves rationes impediunt, cui alia cum pyxide sufficitur.

8. Hinc Gardellinius de aliis Expositionibus loquens, extra Orationem quadraginta Horarum, quae fiunt pro omnibus defunctis, ita se exprimit: " Recte igitur in quampluribus Urbis Ecclesiis... haec servatur methodus, ut solemnis expositio fiat solummodo horis vespertinis: liberum hinc est de mane, si per Rubricas et S. R. C. decreta liceat, nedum Missas privatas, verum etiam solemnem celebrare pro defunctis. Verumtamen si alicubi in more sit, Sacramentum exponere etiam de mane, facile utrumque conciliari posset, anticipando primis horis Missas tam solemnem, quam

privatam de requiem, et ab his abstinendo statim ac exponitur Eucharistia. Nec valet ratio, quod Expositio fit pro defunctis. Bene stat, quod pro eorumdem suffragio preces ad Deum dirigantur, offerantur etiam Sacrificia: nec propterea consequitur, quod Sacramento solemniter exposito, fas sit, alternantibus horis, officium defunctorum canere, ac Missas de requiem celebrare. Hinc S. R. C. nuperrime *die 27 Mart. 1779 in Nucerina Paganorum* consuetudinem celebrandi qualibet feria prima mensis Anniversarium pro defunctis fratribus cum officio defunctorum solemniter cantato, castro doloris, funebri campanarum sonitu, ante expositum Sacramentum, omnino damnavit, tamquam Rubricis et Ecclesiae legibus contrariam; ac insuper mandavit Episcopo, ut eamdem omnino aboleri curaret. Merito *Guyetus in Heortologia lib. 4, cap. 22* haec habet: " Si addenda sit precatio aliqua pro defunctis, ea non fiat, nisi post reconditum Sacramentum. Id habet praxis communis, et colligitur a pari ex eo, quod non debet manere ipsummet Sacramentum expositum, dum celebratur Missa pro defunctis: Ex Caeremoniali monastico *lib. 3, cap. 13, n. 14.* Ei adhaeret Cavalerius *Tom. 4, cap. 9, Decr. 4, n. 3.* „. Haud tamen cum ipso negaverim, precationem nullam, collectamve pro defunctis tunc temporis esse habendam, nisi post reconditum Sacramentum, quo exposito iam vidimus, Missam de requiem fieri non posse, et procul abesse debere lugubria quaeque (*Instr. Clementi § XVIII, n. 16*) „.

9. Caveas autem ne quid his Missis de requie favere iudices decretum *Montis Politiani* d. d. 22 Iul. 1848, vel ex eo argumentum sumere pro iisdem. Nam eiusmodi decretum nil prorsus, neque remote, innuit de his celebrandis Missis; sed unice agit de Expositione

Sacramenti *pro hoc vel illo defuncto* quotannis agenda, quae ex consuetudine viget. S. R. C. autem *pro gratia speciali, non obstantibus decretis, indulget ut Episcopus pro suo arbitrio et prudentia, iuxta particulares casus et circumstantias* illam permittat. Agitur enim de Indulto, quod tantum concedit, quantum sonat; concedit autem Expositionem Sacramenti pro persona privata alicuius defuncti, et nihil aliud. Ergo nulla ratione facultatem tribuit celebrandi Missas pro defuncto quando Sacramentum exponitur. Quinimo cum huiusmodi facultas alia prorsus sit ab illa, in eaque nullo pacto includatur, sequitur esse omnino ab Indulto implicite sed indubitanter exclusam. Eo magis, quod Expositio petitur a S. R. C. ut fiat loco *officiorum de requie*; ergo a fortiori Missae de requie, quae officiorum eorumdem constituunt potiorem partem, exclusae manent, seu a littera, seu a spiritu decreti. Ceterum advertas, decretum silere omnino, an Expositio sit publica, an privata; aliquid ergo habet ambigui, ut pro Expositione cum pyxide potius interpretandum sit, quam pro Expositione cum Ostensorio. Quidquid ceterum sit, de Missis in eo non fit verbum.

Sed nec iisdem Missis ullo modo favet aliud in *Florentina* decretum, d. d. 13 Mart. 1804, quidquid in contrarium appareat. Dubium enim respicit tantum PIAS PRECES PUBLICAS, quas fundere voluit Capitulum S. Laurentii Civitatis Florentinae pro anima defuncti Ludovici Etruriae Regis, *coram SSña Eucharistica Hostia, fidelium adorationi exposita super ara principe eiusdem Ecclesiae.* Ratio autem dubitandi fuit, quia parietes Ecclesiae *adhuc funereo apparatu vestiebantur*, licet plura luctus signa ab altaribus, maxime a principe, sublata fuissent. Porro S. R. C. facti speciem non reprobavit. Quid ergo? Nihil, quantum videmus, nihil omnino

pro Missis defunctorum in Ecclesia, ubi Sacramentum est solemniter expositum. Et sane, quamvis S. R. C. non reprobaverit dictam facti speciem, aliud reprobavit declaravitque abusum eliminandum, in eamdem civitatem invectum, nempe, ut Sacramento solemniter exposito exequiae pro defuncto celebrarentur. Putasne autem Sacrum Tribunal potuisse Missas de requie permittere, quod exequias reprobavit? Praeterea Dubium loquitur de piis precibus CORAM SACRAMENTO IN ARA PRINCIPE EXPOSITO. Si ergo pro his precibus Missae defunctorum intelligi possent, manifestum tunc esset, S. Congregationem permisisse Missam de requie in altari Expositionis, quod prope absurdum est. Ergo neque Decretum in *Florentina* favet Missis de requie in casu; imo neque nostram quaestionem tangit, quae de Missis defunctorum tantum agit, quae celebrandae forent in alio altari ab illo, in quo Sacramentum est expositum.

10. Itaque quod hoc in negotio apparet nobis veritati conforme, est: *a*) Expositio solemnis cum Ostensorio, semper est publica, seu pro publica causa fit, quod idem est; et Missas omnes de requie nullo in altari respectivae Ecclesiae, sive pro uno, sive pro pluribus, sive pro omnibus defunctis permittit. Quod tamen de Expositione intelligas permanenti, adorationis causa, haud vero de ea, quae pro brevissimo fit temporis spatio, causa alicuius functionis. *b*) Expositio cum pyxide, semper est privata, seu pro causa fit privata, quod idem sonat; et Missas omnes de requie permittit in Ecclesia, in qua locum habet, Expositionis altari excepto. Quae tamen Expositio et publica esse potest, si Expositioni sufficiatur solemni, quae iustis de causis potest impediri; et tunc Expositio

cum pyxide Missas impedit in singulis Ecclesiae altaribus, sicuti solemnis.

Haec, ut de *Ephemeride*, quam Illmus et Rmus Episcopus nobis citavit, prudentius sileamus, eidem Antistiti, ut serio perpendat, humiliter exhibemus, ad sententiam immutandam parati, si quaestionem aliter definire S. R. Congregationi placuerit.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 9, pag. 559*).

Quaeres 5. Quid animadvertendum circa Eucharistiae administrationem, si Sacramentum solemniter sit expositum?

Resp. Sacramento Eucharistiae solemniter exposito, Eucharistiae ministratio prohibetur in Expositionis altari, ob faciles, quae admittuntur irreverentias: ut ipsa Missa, nisi pro exponendo aut reponendo Sacramento, sit vetita. Seclusa itaque necessitate, uti si unum tantum esset in Ecclesia altare, communio fidelibus ibi ministrari nequit, cum plura eam Decreta prohibeant.

Quaeres 6. Num post communionem fidelibus ministratam, aliqua dicenda sit oratio?

Resp. Affirmative, si de Communione agatur extra Missam. Rituale enim habet primo Antiphonam *O sacrum Convivium*, quam tamen ad libitum vel dicere vel

omittere Sacerdos potest, cum *facultativa* sit (*Tit. IV, cap. 2, n. 6*). Secundo ponit versiculos *Panem de coelo* etc. quos sequitur Oratio de Sacramento: haec autem iuxta decreta praeceptiva sunt. Praefata vero antiphona, si dicatur, item et versus, cum *alleluia* tempore paschali sunt dicenda, una simul cum respectiva Oratione, super altare post datam communionem: post quae, et abstersos digitos populus benedicendus est, ut in Rituali (*Loc. cit. n. 9*).

§ 3.

DE COMMUNIONE PASCHALI ET INFIRMORUM.

Quaeres 1. Quando et unde ortum praeceptum communicandi in Paschate?

Resp. Per plura saecula, fervescente christianorum caritate, nullum fuit praeceptum communicandi in Paschate. Primitus enim erant perseverantes unanimiter in communicatione fractionis panis, nec praecepto indigebant. Sed refrigescente caritate, nedum quotidiana, sed et ipsa frequens communio cessavit: ut Lateranense Concilium IV (*an. 1215*) sub Innocentio Papa III, praeter sacramentalem confessionem, communionem, saltem in Paschate faciendam, imposuerit. Hinc quae Parocho iubet Rituale Romanum, seu circa fideles qui ad Ecclesiam possunt accedere, seu circa infirmos, ad quos Eucharistia intra praescriptum tempus deferenda (*Cap. 3, De Commun. pasch.*).

Quaeres 2. Quotuplici de ratione Eucharistia deferatur ad infirmos?

Resp. Duplici de ratione prouti vel communionem devotio postulat, vel mors viaticum; hinc vel tam-

quam simplex recipitur spiritualis refectio, vel tamquam cibus animam confortans in itinere ad aeternitatem. Qui tamen devotioni satisfacere cum communione cupiunt, ieiuni: qui vero pro viatico illam recipiunt, etiam non ieiuni esse possunt (*Cap. IV, Tit. 4, n. 4*).

Quaeres 3. Quibus vestibus Eucharistia ad infirmos deferenda?

Resp. Rituale Romanum ait (*Loc. cit. n. 6*), Sacramentum Eucharistiae ad privatas aegrotantium domos deferendum esse *decenti habitu, superposito mundo velamine:* superpelliceo nempe, super talarem vestem, et stola, super quo velum humerale, quocum tegenda pyxis. Quod si delatio Sacramenti solemniori modo fiat, ut quandoque ex consuetudine accidit, optime adhiberi potest et pluviale.

Quaeres 4. Num secreta Sacramenti ad infirmos delatio fieri possit?

Resp. Exceptis casibus haud hypotheticis sed veris, irreverentiae, almum Sacramentum *manifeste* deferendum est ex lege Ritualis (*loc. cit.*). Hinc haud probandus vanus Parochorum timor, qui futilibus de causis secreto Eucharistiam deferunt; et quod satis indecorum, sine requisitis vestibus, quae in praecepto sunt.

Quaeres 5. Quibus honoribus deferenda ad infirmos Eucharistia?

Resp. 1. Datis campanae signis ut convocentur fideles, vel etiam Confraternitas, si fuerit, adhibeatur conveniens luminum numerus, seu cereorum, quos aliqui ex fidelibus deferent almum Sacramentum comitantes. 2. Eucharistia sub umbella, vel si solemnitas postulet, sub baldachino deferatur. 3. Infirmi cubiculum mundatum esse debet, in eoque mensa linteo mundo cooperta, in quo pyxis sacra continens

deponenda. 4. Psalmos et cantica tam in eundo quam in redeundo concinentur (*Rit. Rom. Tit. IV, cap. 4, n. 7, 10, 20*).

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

APPENDIX

EX S. CONGREGATIONE R. U. INQUISITIONIS.

Insequentium Resolutionum communicatio nobis facta est a S. R. Congregatione:

I.

Specialis examinis obiectum cultus S. Ioseph sub titulo - Amicus S. Cordis - Amico del S. Cuore - factus est: et Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, omnibus mature perpensis, circumstantiis maxime in casu occurrentibus, decreverunt cum approbatione Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII, CIRCA REM PROPOSITAM INTERLOQUENDUM NON ESSE.

Insuper praelaudati Emi Patres S. R. Congregationem monendam mandarunt, ne in posterum decreta, rescripta, etc. emanet, in quibus quomodocumque novus titulus, de quo supra, approbetur aut etiam in quibus de eo simpliciter mentio fiat.

II.

Dubium I. Utrum aprobari vel saltem permitti conveniat specialem cultum Vultui adorabili Divini Redemptoris, et ab illo consueto usque adhuc Sancti Vultus imagini tributo, diversus, a Sacerdotibus a Sancto Vultu (Sainte Face) dictis, Turonibus institutis, maximopere propagatum per annales relativae Archisodalitatis?

Dubium II. Utrum ad propagandum stabiliendumve cultum, de quo in altero quaesito, Ecclesiam aut publicum Oratorium dedicari, Sodalitates ac etiam aliquam religiosam Congregationem vel Institutum sub titulo Sancti Vultus fundari conveniat?

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores, re mature perpensa, respondendum mandarunt:

Ad Dubium I. *Non expedire:*

Ad Dubium II. *Negative; et ad mentem.*

Mens est: Sancta Sedes titulum adoptans *Sancti Vultus*, tum in Brevi diei 16 Decembris 1884, speciales indulgentias Sodalitati sub tali titulo Turonibus erectae concedente, tum in Brevi diei 30 Martii 1885, Sodalitatem ad Archisodalitatis gradum elevante, favere minime intellexit, multoque minus sive directe, sive indirecte approbationem dare speciali distinctoque cultui, adorabili Vultui Redemptoris tribuendo, eo modo, quo a Presbyteris a *Vultu Sancto* dictis speciatim proponitur atque propagatur.

Sancta Sedes unice venerationi favere intellexit, iam ab antiquis temporibus erga imaginem Vultus Divini Redemptoris, aut eiusdem imaginis exemplaria habitae; ut in fidelium mentibus, ex veneratione contemplationeque praedictae imaginis, passionum Christi magis in dies memoria succrescat, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium iniuriis Divinae Maiestati illatis reparandi, augeantur.

Sequenti vero feria V, facta de his Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII relatione in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, eadem Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum resolutionem approbare dignata est.

His Sancti Officii declarationibus decisionibusque permoti, opportunum duximus, sequens authenticum *Monitum* evulgare sa: me: Pii PP. IX super novas devotiones.

Feria IV die 13 Ianuarii 1875 SSmus D. N. Pius div. prov. PP. IX., in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, mandavit . . . . . monendos esse . . . . . . scriptores, qui ingenia sua acuunt super . . . . . id genus argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Continuatio V. n. 7.*)

8. Inter alterum et alterum cantum Introitus antiquissimus est mos decantandi psalmum, post quem iterum Introitus; cui addebatur laus SS. Trinitati. Veteri inspecta disciplina, haud unus concinebatur versus psalmi, sed plures; expectabatque cantorum schola, ut Pontifex innueret cessationem. In Sacramentario enim divi Gregorii (pag. 262) legimus: " Annuente Episcopo, incipiatur psalmus a cantore cum Introitu reciprocante... hoc expleto... inchoet cantor *Gloria Patri* „. In pluribus tamen Ecclesiis psalmus cum *Gloria Patri* decantabatur ante repetitionem Introitus, ut cl. Martene scribat: Introitus totus repetetur, sed semper post *Gloria Patri* (*De antiq. Monach. ritib. Lib. II, cap. 4*). Eiusmodi erat consuetudo Monasterii Cluniacensis, haecque pariter praesens latinae Ecclesiae disciplina. Vetus expositio Missae scripto exarata in Ordine Romano Vallicellano haec habet: " Versus quare cantatur? „ sequiturque responsio: " Eo quod per eum revertimur ad Introitum... *Gloria* cur cantatur?... Ut ostendatur habere Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, aequalem, coaeternam maiestatem in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum, id est, in praeterito, in praesenti et futuro tempore „.

II.

1. Introitum sequitur notissima invocatio divinae miserationis, quam universae habent Liturgiae, id est *Kyrie eleison*, *et Christe eleison*, videlicet: *Domine miserere*. Hae preces dicebantur a Graecis irenicae, id est pacificae, ait Emus Bona (*Rer. Liturgic. Lib. II, cap. II*, §. *VI*), quia a precatione pro pace incipiunt. Appellabantur etiam Diaconicae, quia populus *Kyrie eleison* respondebat Diacono, qui eas decantans praeibat. Eas autem mira invectas sapientia in Liturgia Missae, nemo non videt; statim ac namque petit Celebrans altare, Dei misericordia imploratur, cui tantum innixi Sacerdos et populus oblaturi sunt Sacrificium. In Sacramentario Gregoriano legimus: " Imprimis dicitur Introitus... deinde *Kyrie eleison* ". Macrius docet, crebrius has preces repeti in Graecorum Missa et in aliis divinis officiis, sicuti pariter in Missis Ambrosianis (*Hortol. ad verb.* Kyrie eleison). Missale Mozarabicum docet, Mozarabes antiquiores in Missa *Kyrie eleison* repetere consuevisse (*Nota VI, prop. medium*). Idem de reliquis Liturgiis censendum, ut ritus antiquissimus dicendus sit.

2. S. Silvester, iuxta Macrium (*loc. cit.*), easdem instituit in Latina Ecclesia invocationes, sed intermissas, deinde a divo Gregorio renovatae sunt, ut ipsemet ad Ioannem Syracusanum Episcopum (*Epist. 63, libro 7*) scribit. Docemur quoque a Duranto, formulam huiusce precationis *Kyrie eleison* longe ante Arium (*saec. IV*) extitisse, maxime in Missa, quod ex Liturgiis SS. Iacobi et Marci infert (*De Ritib. Eccl. catholic. Lib. II, cap. 13*). Quod novies *Kyrie eleison* dicatur in Missa, ait Bissus, videtur introductum a

S. Gregorio Papa; sed puto ab ipso fuisse hunc ritum tantum renovatum (*Hierurg. ad voc.* Kyrie eleison). Ut proinde concludi possit, haud hunc Pontificem eiusmodi invexisse ritum in latina Ecclesia, sed servasse, et paululum mutasse. Ab Italia transiit in Galliam haec consuetudo, cum in Mozarabico Missali legatur: " Ad ritum canendi *Kyrie eleison* quod attinet, in eo discrimen inter Liturgiam Gallicanam et Mozarabicam fundari non potest; nam ritus Gallicanus non est, sed Concilii (1) decreto ab Italia et ab Urbe Roma translatitius (*Nota VI, prop. medium*) „.

3. Antiquitus dicebatur a Clericis et a populo alterno cantu, totidemque vicibus sive *Kyrie*, sive *Christe eleison* iterabatur. Etenim S. Gregorius (*Lib. 7 Registr. Ep. 64*) ait: " *Kyrie eleison* autem nos neque diximus neque dicimus sicut a Graecis dicitur; quia in Graecis simul omnes dicunt: apud nos autem a clericis dicitur, et a populo respondetur; et totidem vicibus etiam *Christe eleison* dicitur, quod apud Graecos nullo modo dicitur (Ap. Cari, *De litania kyrie eleison*) „. Hinc usus vigens alternatim recitandi *Kyrie* et *Christe eleison* alternatim a Celebrante et clerico in Missis privatis, clericus enim populum repraesentat, et easdem invocationes alterne canendi in solemnibus a Choro. Plerisque in locis Litania per alternos choros decantari solebat, pueris ad altare consistentibus, clerique vice concinentibus, populo autem respondente. Et vero quoad pueros quid simile reperitur in Apostolicis Constitutionibus, ubi Lib. 8, cap. 8 dicitur: *in iis singulis, quae loquitur Diaconus* (in precibus nimirum irenicis, quae litaniis analogae sunt) *populus dicat* kyrie eleison,

---

(1) Concil. Vasense, habit. sub Felice IV, Can. 2.

et in primis pueruli (1). Ita cl. Sala (*apud Emum Bona, Rer. Liturgic. Lib. II, cap. IV, § III, n. 1*).

4. Invocationum praedictarum numerus definitus in antiquitate Ecclesiae non erat, ut in praesenti; sed incipiebat cantus *kyrie* post antiphonam Introitus, et tot repetebatur vicibus, quot caeremoniarum ordo exigebat. Cum enim Pontifex cum suis ministris ingressus erat presbyterium, et omnia ad Missae initium disposita, tunc ipsemet Pontifex seu litaniae mutationem, a *Christe* videlicet in *kyrie eleison*, seu totius litaniae silentium innuebat. Nam Ordo Romanus primus (*num. 9*) habet: " Schola vero, finita antiphona, imponit *kyrie eleison*. Prior vero schola custodit ad Pontificem, ut ei annuat, si vult mutare numerum letaniae, et inclinat se Pontifici ". Ordo autem Ro-

(1) Organis consociare cantum *Kyrie eleison* in praesenti latinae Ecclesiae disciplina procul dubio permittitur. Caeremoniale Episcoporum explicite loquitur: « In Missa solemni pulsatur (*Organum*) alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison* (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 9.*) ». Alternatim pulsatur: hoc est, duos choros, per quos *Kyrie* et *Christe* novies canitur, organa comitantur, quae cantum sequi fas est, qui est alternus. Sed ex laudabili consuetudine, quae eidem Caeremoniali innititur (*loc. cit. n. 6*), cum ter *Kyrie* ter *Christe*, atque iterum ter *Kyrie eleison* dici debeat, prima solet invocatio cani, altera sub organo legi, atque ita deinceps. Hinc, si *Kyrie* et *Christe* canantur, organa consociari cantum semper possunt: si vero alternatim dicantur, ut altera fiat cum cantu, altera invocatio recitetur, hanc organa comitari omnino debeant. Si vero organa desint, *Kyrie* et *Christe* novies sunt concinendi, cum recitatio nonnisi sub organo possit fieri. Bene tamen animadvertas quod sive habeantur, sive non, organa, integras Missae partes cantabiles exequi cantores posse, nemo dubitavit unquam; et recitatio sub organo est permissio, non praeceptum, uti ex Caeremoniali et ex recto sensu abunde constat. Contrarium adeo rigidum est ut sustineri non possit.

manus quintus (*num. 6*) scribit: " Ipse vero Pontifex cantori annuat quando excelsiori voce *kyrie eleison* sive *Christe eleison* dici debeat „. Aetate vero Amalarii iam numerus invocationum determinatus fuisse videtur, quae et aliquam subierant mutationem, scribit enim: " Cantores dicant *kyrie eleison* (1), Domine Pater, miserere; *Christe eleison*, miserere qui nos redemisti sanguine tuo; et iterum, *kyrie eleison*, Domine Spiritus Sancte, miserere (*Lib. 3, cap. 6*) „.

5. Haud eadem fuit et est disciplina Ecclesiarum, ad tempus quod attinet Missae, eiusmodi litaniam canendi. In Ecclesia latina ex expositis constat decantatam statim post Introitum fuisse, uti Ordo Romanus primus habet, et superius vidimus (*num. 4*). Ecclesia Ambrosiani ritus dicit *kyrie eleison*, sed post hymnum *Gloria in excelsis*, uti ex Missali ambrosiano constat (*Ord. Missae*). *Christe* non habent Ambrosiani, sed tantum *kyrie eleison*, quod ter dicunt, non solum post hymnum angelicum, sed et post Evangelium, et post finem Missae. Idem de Gallicana Liturgia dicendum, cum Missale Mozarabicum habeat: " Galli in Missa Hymnum *Gloria in excelsis* olim non cantabant, sed canticum Zachariae, quod Mozarabes canere non solebant. Deinde Galli Litaniam, sive *kyrie eleison*... recibant (*De Liturg. Goth. Dissert. num. VI, col. 1158*) „.

---

(1) In vetustis Ecclesiarum Missalibus, praesertim ante saeculum X, ait cl. Sala (*Apud Emum Bona Rer. Liturgic. Lib. II, cap. IV, not. 5*) ad *Kyrie eleison* plures consueverunt additiones fieri: ex. gr. in solemnitatibus, Kyrie fons bonitatis etc. Christe unice Dei Patris Genite etc. Kyrie Spiritus alme cohaerens Patri Natoque etc. In festis autem Virginis: Kyrie ter virginum amator, Deus Mariae decus, eleison; Christe, Deus de Patre homo natus de Maria Matre etc. Kyrie, qui facis dignum thalamum pectus Mariae etc. etc.

Praeterea cl. Sala notat ex antiqua Liturgia Gallicana, olim post Introitum non statim secutum fuisse *kyrie eleison*, sed Praefationem, sive admonitionem ad populum, qua Sacerdos hortabatur plebem, ut ad quam convenerat solemnitatem, debita cum veneratione celebraret (*Ap. Bona, Reg. Liturg. Lib. II, cap. 3, pag. 73, nota 1*).

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 10, pag. 639*).

Quaeres 6. An una tantum, aut plures in pyxide ponendae sint particulae, licet uni tantum infirmo deferatur Communio?

Resp. Regulariter plures, cum Sacerdos post administratam communionem redire processionaliter in Ecclesiam debeat pro honore Sacramenti. Si vero aut noctu, necessitate urgente, deferenda sit communio, aut longum vel difficilius esset obeundum iter, una tantum: adeo ut, communione peracta, infirmoque manu benedicto, Sacerdos omnino private rediret.

Quaeres 7. Quomodo Viaticum private sit deferendum?

Resp. Data, vel noctis vel longioris aut difficilioris itineris necessitate, Sacerdos, superpelliceo et stola indutus, vas una cum particula consecrata accipit, in bursam decenter ornatam includit, quam ad collum appendit, ligat et obstringit ad pectus, ita ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat. Ita Rituale Romanum (*Tit. IV, cap. 4, n. 10*).

§ 4.

DE EUCHARISTIAE EXPOSITIONE.

Quaeres 1. Quid et quotuplex sit Sacramenti Expositio?

Resp. Sacramentum loco visibili plus minusve permanenter ostendere in Ecclesia adorandum fidelibus, Expositionem dicimus. Duplex est iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam: publica videlicet seu solemnis cum Ostensorio, et privata cum pyxide.

Quaeres 2. Quaenam utriusque Expositionis antiquitas?

Resp. Berengario (*saec. XI*) contra realem Christi in Eucharistia praesentiam debacchante, cultus in tam almum Sacramentum visus est imminui in fideli populo: ut successu temporis, haeresibus ingruentibus, Eucharistiam publice christiano populo solemniter adorandam proponere ceptum sit, a saeculo nempe Urbani IV Pontificis (*Bened. XIV Notif. XXX*). Cui verosimiliter alter Expositionis privatae successit usus: et utraque impraesenti communiter viget.

Quaeres 3. Utrum liberum sit Ecclesiarum Rectoribus Sacramentum exponere?

Resp. Negative, si de Expositione agatur solemni. Sacra enim C. Concilii (*17 Aug. 1630*) requirit, ut Expositio solemnis nonnisi ex causa publica fiat, quae ab Ordinario sit approbata. Quod si de privata Expositione agatur, Rectores Ecclesiarum, iuxta praefatae Congregationis dispositionem, sine ulla facultate peragere eam valent. Pro utraque nihilominus evitanda est frequentia, quae facile in dedecus Sacramenti verge-

ret. Hinc nonnisi semel in die ex S. R. C. decretis permissa censetur in iisdem Ecclesiis.

Inferes Expositionem publicam, et pro causa publica, sicuti Expositionem privatam et pro privata causa, idem omnino esse.

Pro Expositione autem privata seu cum pyxide tantum, ut nulla requiritur facultas Ordinarii, ita privata causa sufficit. Notandum vero, pyxidem non esse super altari, sed intra tabernaculum, ostiolo aperto, exponendam, sicuti ex decretis certo constat.

Quaeres 5. Quid specialius in utraque Expositione servandum ?

Resp. 1. Nulla ad cultum esse debet imago in altari Expositionis, sive solemnis sive privatae. 2. Ornatus, si ibi adhiberi velint, lugubres esse nequeunt. 3. Ostensorium super thronum locari debet. 4. Sacra Hostia vitreas laminas, inter quas includitur tangere non debet. 5. Candelarum numerus, licet haud lege determinatus, solemnitati Expositionis, quantum fieri poterit, respondeat. Quae omnia, et lex positiva statuit, et honor exigit almo Sacramento solemniter exposito conveniens.

(*Continuabitur*). Franciscus Stella P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE DUP. I.ae CL. PRIMIQUE ORDINIS FESTO TRANSLATO INCIDENTE IN ALIUD DUP. I.ae CL. CUM FERIATIONE.

Iuxta Breviarii Rubricas, si Nativitas S. Ioannis Baptistae occurrat cum festo SS. Corporis Christi, transferenda est in diem immediate sequentem. Iam vero anno 1886 alicubi accidit, ut cum, duobus praefatis festis occurrentibus, Nativitas S. Praecursoris transferenda esset in diem 25 Iunii, magna exorta fuerit contentio inter Ecclesiae Rectorem et alium loci Presbyterum. Etenim die 25 Iunii illic recolebatur festum S. Gulielmi Patroni principalis, et quidem ut par est, cum feriatione, erga quem popularis devotio maxime ferebatur. Nunc autem Ecclesiae Rector defendebat, iuxta Rubricas officium agendum esse de S. Ioanne Baptista, utpote primae classis primique ordinis, cuius festum vi Rubricarum nonnisi festo Corporis Christi cedit, consequenter in aliam diem liberam amandandum Patroni officium, licet die sua propria celebrandam feriationem admitteret. Alter vero Presbyter, populi devotioni favens, oppositum tuebatur, seu ex recto, ut dicebat, liturgico sensu, seu ex feriatione, qua non gaudente S. Christi Praecursore, quippe qui translatus erat, eam tamen veluti sibi usurpasset. Re ad Vicarium delata, quaestio in populi fa-

vorem soluta est. Hinc Ecclesiae Rector totum in Breviarii Rubricarum studium admovens animum, haec sibi peculiariter quaesita resolvenda proposuit:

1. *Quid sit liturgice dies* propria *et* non propria, *et num utraque iisdem iuribus gaudeat?*

2, *Utrum festa cum feriatione recolenda etsi inferioris ordinis, praeferri nec ne debeant in paritate ritus quibuscumque translatis etiam primi ordinis?*

3. *Quid in casu iudicandum de solutione quaestionis a Vicario data?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Vuiovich e Pontificio Coll. Urb. de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 17 Jun. 1891: acta Epitoma per Rmum Dom. Calcedonium Mancini P. C. M.

1. Dies festus alicui Sancto vel mysterio proprius, non semper uno eodemque nomine in sacra Liturgia signatur. Attamen differentia, plerumque in verbis tantum sita est, quae quamvis diversa, idem significant: ita v. gr.. *dies propria, dies natalitia*, vel etiam *dies quasi natalitia*. Nomina autem magis in Liturgia usurpata sunt *dies propria et dies non propria;* et de hisce praecipue inquiritur in primo quaesito. Cui ut faciamus satis, reponimus: imprimis quid *dies propria*, quidque *dies non propria* sit, dicentes, postea vero num utraque iisdem iuribus gaudeat.

Dies propria ea dicitur, in qua Sancti vel Mysterii alicuius festum ideo recolitur, quia ea die, vel Mysterium completum est, aut Sanctus caelestem patriam ingredi meruit; vel Ecclesia statuit, ut memoria alicuius Sancti vel Mysterii perpetuo in ea recolatur,

quamvis dies mortis eius illa non sit, et Mysterium ea die haud completum fuerit. Diximus festum Sancti, dies in qua ille vel morte cruenta martyr occubuit, vel placide obdormivit in Domino: et recte, liturgice enim dies natalitia, illa est in qua Sanctus ad meliorem vitam renasci meruit.

Uti enim divus Chrysostomus animadvertit, Sanctorum sepulcra palatiis principum longe anteponens, vix reperitur Alexandri magni tumulus, nescitur eius mortis dies: " at vero servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quae regiam ac dominam omnium civitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti sunt omnibus, qui festi per totum orbem aguntur (*Hom. 26 in Epist. 2 ad Corinth.*) „. Idem asseri iure merito potest de diebus, quibus praecipua mysteria vel facta Sanctissimae nostrae Religionis expleta sunt, ob solemnem memoriam, qua illa recoluntur in universa Ecclesia.

Quapropter diem 6 Ianuarii diem propriam Epiphaniae Dñi esse dicimus, sicut 10 Augusti S. Laurentii Mart.: in primo casu, quia in Ecclesia, ea die Mysterium illud accidisse, communiter receptum est: in secundo, quia Sanctus Martyr ea die in craticula superpositus diem obiit supremum.

Dies propria dicitur etiam, dies ab Ecclesia per Breve Apostolicum, seu Bullam Canonizationis assignata ad recolendum festum alicuius Sancti, vel dies determinata ab illius auctoritate ad aliquod recolendum Mysterium, quamvis dies, vel mortis Sancti, aut expletionis Mysterii, minime sit.

Ita v. gr. ad recolendum festum Transfigurationis Dñi N. I. Ch. dies 6 Augusti a suprema auctoritate assignata est, sicut et ad celebrandum festum S. Vincentii a Paulo dies 19 Iulii, etc. quamquam

neque hic Sanctus spiritum exalaverit, neque gloriosa dominica Transfiguratio ea die acciderit.

Ideoque S. R. Congregatio (*in una Neapolitana d. 28 Nov. 1692*), declaravit, hos dies in perpetuum a S. Sede assignatos, habendos esse ut *dies proprios* in toto rigore. Idem dicendum de festis mobilibus: quae quamvis respectu habito ad diem mensis, fixa minime sint dicenda; ut dies proprii nihilominus habendi sunt ii in quibus cadunt. Eiusmodi v. gr. sunt festa sacratissimae Passionis Christi in Quadragesima, quae non diebus mensis, sed feriis affixa sunt.

Ea propter, dies proprii liturgice accepti, ii omnes dicuntur, quos Ecclesia statuit atque assignavit ad Sanctum aliquem vel Mysterium recolendum, mobiles vel fixi sint, natalitii vel quasi natalitii, Sancti vel Mysterii.

Dies non propria ea nuncupatur, in qua officium tantum et Missa in honorem alicuius Sancti vel Mysterii celebratur, in die propria illius Sancti vel Mysterii omissa, ob occurrentiam alterius festi maioris ritus aut dignitatis, haud vero solemnitas externa illud festum concomitans, in ea locum habet. Loco tamen huius nominis, hoc alio vocabulo *dies assignata* Liturgici saepe utuntur. Hinc v. gr. 20 Martii dies esset non propria seu assignata pro S. Cyrillo Hierosolymitano, in iis Ecclesiis ubi S. Doctor in die propria, 18 scilicet Martii, a S. Gabriele Archangelo perpetuo impediretur, uti in romano accidit calendario. Dies 18 Martii est dies propria illius Sancti, et 20 eiusdem mensis est *dies non propria:* eo quod prima dies est festi, in altera vero Officium tantum celebratur et Missa de festo.

Ut res tamen magis pateat, ante oculos triplex casus impedimenti festi alicuius habendus est: 1. Impedimen-

tum perpetuum et universale, commutationem secum ferens a S. Sede per assignationem alterius diei faciendam: 2. Impedimentum perpetuum et particulare, aliquam tantum Ecclesiam respiciens; et tunc repositio locum habet, quae ab Episcopo vel a calendarii redactore de consensu Episcopi fieri potest; et dies non propria, vel reposita aut assignata appellatur. 3. Impedimentum accidentale, quod *Translationi* locum dat, quae a calendarii redactore iuxta occurrentiae leges fieri potest, et in Liturgia dies translata vocatur.

Uno verbo, *dies propria* alicuius Sancti, est *dies mortis: dies propria* Mysterii, est dies in qua ipsum completum est, aut etiam dies ab Ecclesia determinata ad aliquod recolendum mysterium vel festum. *Dies non propria* illa est, in qua Officium et Missa alicuius Sancti vel Mysterii celebratur: licet eadem die nec festum nec Mysterium recurrat quae alia die accidit, quam peculiari auctoritate sua non mutavit Ecclesia. Diximus *peculiari auctoritate.* Quod ut plene intelligatur, advertendum, festa omnia semper in die determinata ab Ecclesiae auctoritate esse recolenda. Haec autem exigit ut festa diebus propriis recolantur: quae tamen si impedita perpetuo in universa fuerint Ecclesia, tunc Summus Pontifex *directe atque immediate* per Breve Apostolicum aliam diem liberam sufficit impeditae, quod et pro particulari Ecclesia quandoque fit. Si vero impedimentum vel particulare sit pro Ecclesia aliqua, vel sit tantum temporaneum, tunc *indirecte ac mediate,* hoc est per legem communem latam, impeditae diei liberam sufficit. Qua lege Episcopi dies perpetuo in propria Ecclesia impeditos in aliam liberam perpetuo reponunt, vel calendariorum redactores diem accidentaliter impeditam in aliam pariter liberam ad annum transferunt.

Dies ergo propria, illa quoque, severe loquendo est, quam solemni auctoritate immediate Ecclesia mutat: non propria vero, quae mediate per Episcopos aut redactores calendariorum vel perpetuo vel per accidens transfertur. Quae dies tamen si mutata perpetuo fuerit, tamquam propria saepe saepius dicitur, quia a novis et ab aliis officiis occurrentibus tamquam propria non impeditur. Nihilominus, sicut inter diem, quo obitus sanctorum aut Mysteria evenerunt, et diem quam Ecclesiae auctoritas immediate selegit, aliquod intercedit discrimen; ita, et a fortiori inter hos dies, qui vere sunt proprii, et dies seu repositos seu translatos, aliquod discrimen ponendum est, quippe qui non sunt proprii, seu extra proprios dies memorantur.

Haec pro primi quaesiti parte satis sint, ad secundam veniamus eiusdem, num, scilicet, dies propria et non propria iisdem iuribus gaudeant? Cui negative respondendum esse arbitramur.

Et sane, dies propria duplex, ut ita dicam, obiectum habet: officium, atque liturgicum festum, vel, ut se exprimit Guyetus, externum ac internum Ecclesiae festum. Ita v. gr. si festum Purificationis B. M. V. in Dominicam incideret Septuagesimae, Officium, ad Rubricarum normas, in diem immediate sequentem transferretur, externaque solemnitas in ipsam Dominicam celebraretur. Insuper dies propria translationi perpetuae obnoxia non est pro universali Ecclesia. Addas etiam diem propriam ac diem festum promiscue usurpari, cum idem significent, ac unam sine altero stare vix intelligitur.

Dies non propria e contra officium tantum habet, et translationi atque perpetuae occurrentiae legibus obnoxia est, semperque a die festo proprie dicto se-

iuncta est. Consequenter potioribus dies propria videtur iuribus gaudere, quam non propria.

2. Ad secundam petitionem quod attinet, utrum festum cum feriatione recolendum, etsi inferioris ordinis, praeferri nec ne debeat in paritate ritus quibuscumque translatis etiam primi ordinis, antequam categorice respondeamus, sequentia praenotanda sunt.

Neminem latet feriationem, duplicem praeceptum comprehendere, audiendi Sacrum, abstinendique ab operibus servilibus, quae quidem solemnitatem etiam exterius adaugent. De hac feriatione auctores non desunt, qui fuse loquantur; ex quibus colligi potest, communem eam sententiam esse quae docet, in inaequalitate ritus duarum solemnitatum, feriationem attendendam non esse, cum ritus tantum tunc praevaleat; idest, festum agitur illius Sancti vel mysterii cuius praevalet ritus; et alterius minoris ritus, officium tantum, haud vero feriatio quae sua die observanda est, in primam diem liberam transfertur. Excipe tamen, festum in diem incidens in qua Missa celebrari non possit, uti v. gr. festum Annuntiationis in feria VI vel Sabbato maioris hebdomadae incidens; tunc enim haud solum Officium, sed et feriatio in feriam II post octavam Paschae transfertur.

Sed in quibusdam particularibus Ecclesiis quaedam vigent S. Sedis speciales dispositiones, iuxta quas et feriationem interdum simul cum officio transferre licet. Ita v. gr.: in quibusdam Ecclesiis Ordinis monachorum S. Benedicti, dum festum S. Fundatoris in maiori hebdomada vel in Octava Paschae incidit, feriatio una cum officio transfertur (1).

(1) Notum ponimus festum S. P. Benedicti apud Monachos Ordinis cum feriatione celebrari.

Ast haec haud multum pro re nostra faciunt, cum in quaesito de festis diversi quidem ordinis, sed aequalis ritus agatur. Quae autem sint maioris ordinis festa, adnumerata prostant in Rubricis Breviarii (*Tit. X de Transl. fest.*), inter quae S. Ioannis Baptistae festum invenitur; quod in translatione cum festo S. Gulielmi Patroni loci, ut dicitur in casu nostro, occurrit. S. Gulielmi festum inferioris quidem est ordinis utpote particulare, sed feriationem adnexam habet prae S. Ioanne, qui utpote translatus feriatione non gaudet. Hinc inquiritur, feriatio sufficiens ne ratio est, quae praevalentiam det alicui festo super alterum feriationem non habens?

Respondendum nobis videtur affirmative, dummodo ritu aequalia sint: quod ex recentissimo decreto festum Sacratissimi Cordis ad ritum dupl. I cl. elevante colligimus.

Ibi enim legitur: " Idem festum (SSñi Cordis) feria VI post octavam Corporis Christi, tanquam in sede propria recolatur; et nonnisi solemnitatibus I classis universalis Ecclesiae, nempe Nativitatis S. Ioannis Baptistae, ac SS. App. Petri et Pauli, nec non particularibus festis eiusdem ritus, seu Dedicationis ac Titularis Ecclesiae locique Patroni, *quando haec sub duplici praecepto fiant*, locum cedat etc. „ Nunc plenissime iis inhaerentes, quae ab Ephemeridibus Liturgicis in explanatione illius Decreti dicta sunt, observamus, iure merito illam exceptionem de qua in Decreto, factam esse. Si enim praedicta exceptio posita non fuisset, cum festum Sacratissimi Cordis utpote universale digniusque, Dedicationi, Titularique ac Patrono praevaleret, hoc sine ulla sufficienti causa sequeretur inconveniens, feriationem fieri de uno, Officium vero de altero.

Itaque, si ob feriationem praeferendum est festum minoris dignitatis, alteri licet maioris dignitatis, sed absque feriatione, a fortiori praeferendum est festum minoris quidem dignitatis, sed cum feriatione, festo, licet maioris dignitatis, sed translato ideoque sine feriatione. In casibus enim in Decreto contemplatis, de duobus agitur festis cum feriatione ac in die propria positis: in casu nostro e contra, de duobus festis agitur, quorum unum cum feriatione ac in die vere propria, alterum vero in die non propria celebratur adeoque sine feriatione. Quapropter argumentum nostrum stare nobis videtur, atque dignitate non attenta, praeferendum festum S. Gulielmi licet minoris dignitatis, sed in die propria ac cum feriatione, festo S. Ioannis Baptistae translato.

3. Sed ad tertium iam progrediamur quaesitum, quid, in casu, iudicandum de solutione a Vicario data. Omnes, de quibus loquuti sumus, in casu nostro reperimus circumstantias: scilicet, festum S. Gulielmi Patroni loci cum feriatione ac in die propria; et festum S. Ioannis Baptistae sine feriatione ac in die non propria, licet primum dignitate inferius sit alteri. Ea propter, iuxta quae in secundo quaesito fuerunt exposita, pro Vicario rationem militare dicimus, qui nodum in favorem S. Gulielmi exolvit; et, ut vidimus, recte: primo, ex argumento a Decreto SSmi Cordis deprompto: secundo ex translatione S. Ioannis, ob quam magnum sequeretur et sine ratione incommodum si Officium de eodem S. Ioanne celebraretur, cum populus festum de S. Gulielmo agi putat.

Non diffitemur tamen difficultatem, quae ex Rubrica speciali Breviarii festo S. Ioannis apposita enasci potest. Ibi enim dicitur, occurrentibus solemnitatibus Corporis Christi, et S. Ioannis, transferri istud in diem

25, tamquam in *sedem propriam*, aliis translatis vel omissis festis post octavam. Imo Rubrica addit: " Sed si fuerit I vel II classis transfertur in primam diem infra octavam, officio duplici non impeditam (*Rubr. spec. die 25 Iun.*) „ Quod ceterum et Decretis S. R. Congregationis confirmatur.

Verum, Rubrica haud ita aperta ac perspicua est, ut omnem precludat viam benignae interpretationi; festa enim I, vel II classis in genere, haud necessario peculiaria quaedam comprehendunt festa, quae cum feriatione celebranda sunt. Oppositum quidem docet Cavalerius dicens: " In sequenti igitur die (*25 Iun.*) Nativitas S. Ioannis Baptistae censenda est ut occurrens, adeoque transferri faciet festum quodlibet, licet Dedicationis, aut Titularis vel Patroni, quod alicubi occurreret (*Tom. II, cap. XIII, Decr. XVII, n. 1.*) „ At unica, quam de suo asserto rationem cl. auctor allegat, est Sancti Praecursoris dignitas. Verum cum feriatio in honorem S. Ioannis celebrata iam fuerit quippe quae non transfertur, et solum remanserit celebrandum festum chori, videtur incongruum solum festum chori praeferre alteri festo, quod chori est simul et fori; idque haud obstante dignitate S. Praecursoris, cuius non est agenda feriatio, sed tantum officium. Praeterea inconveniens haberetur, quaedam nempe populi deceptio, qui honorare intendit Patronum, dum clerus officium aliud celebrat, cui nullam accipit partem populus.

Ad Decreta autem quod spectat, ea, responderi potest, antiquiora per alia recentiora, peculiariter per Decretum *Altero nunc* esse explicanda. Istud autem veluti principium firmat, festum cum feriatione, etsi minoris dignitatis, praeferendum esse alteri maioris quidem dignitatis, sed sine feriatione, modo ritu sint

paria. Ergo. Arroges Rubricam dicere, S. Ioannem in occurrentia transferri in diem sequentem, tamquam scilicet in sedem propriam. Sed profecto verba *tanquam in sedem propriam* minoris sunt ponderis, quam *in sedem simpliciter propriam:* secus enim ipsum festum praeceptivum seu ipsa feriatio transferenda praeciperetur, quod falsum est.

SUPER INSTRUCTIONE CLEMENTINA
ANIMADVERSIONES

Caius Presbyter devotus erga SS. Sacramentum Sacrorumque Rituum observantissimus, persaepe ac devotione assistit Missis solemnibus, aliisque Functionibus, quae in Urbis peraguntur Ecclesiis occasione Orationis 40 Horarum; et maxime iis piis Functionibus delectatur. Attamen valde commotus fuit aliquibus factis compertis in aliquibus Ecclesiis, de quibus certiorem fecit Titium, Presbyterum pariter devotissimum erga Almum Sacramentum, cupidissimumque observationis Sacrorum Rituum, praesertim Instructionis Clementinae Clero Populoque Urbis carissimae, ac omnium legitimarum Consuetudinum Romanarum — qui gaudenter suscepit solutionem Dubiorum sequentiam, a Caio et a semetipso propositorum, nimirum:

I. Inquiritur quisnam in genere possit dispensare ab observatione Instructionis Clementinae, in Urbe, et ubi est praeceptiva ?

II. An valeant dispensare *a*) Locorum Ordinarii *b*), Praelati Regulares, Superiores Generales, Provinciales

Ordinum vel Congregationum, Capitula Generalia ac Provincialia, Parochi ac omnes Rectores Ecclesiarum?

III. Quid sentiendum sit de consuetudinibus oppositis Instr. Clem.?

IV. An in specie valeant iidem dispensare:

1. A quantitate luminum praescripta sub §. VI, pro Oratione 40 Horarum, et sub §. XXXVI, pro qualibet Expositione?

2. A sonitu maioris campanae ad singulas horas diurnas et nocturnas sub §. X?

3. A prohibitione celebrandi Missas sive solemnes sive privatas, praeter duas solemnes pro Expositione et Repositione, in Altari ubi est expositum SS. Sacram. sub §. XII?

4. A cantu Missae *Pro Pace*, die intermedio, cum Ministris paratis sub §. XV?

5. A Processionibus peragendis die Expositionis et Repositionis sub §§. XIX, XX, XXX, ubi Ecclesia sufficienti Ministrorum numero instructa est, et sacra habentur indumenta?

6. A prohibitione impertiendae Benedictionis SSm̃i infra integram Expositionem 40 Horarum, nisi post Missam Repositionis sub §. XXXI?

7. A prohibitione sedium cameralium, loco scamni, pro Celebrante et Sacris Ministris in Missa solemni sub §. XXV? item ab usu scamni, loco genuflexorii sub §. IX?

8. A piis pecuniae collectionibus vetitis sub §. XXVIII.

9. Ab observatione formae praescriptae pro Benedictione cum Ostensorio danda sub §. XXXI?

10. Ab observatione §. XXXV, quo praecipitur, ut in Sacristia cuiusvis Ecclesiae, in qua Expositionem institui statutum est, continuo affixa sit Instructio

Clem., ut nemo valeat regularum ac praescriptorum in ea traditorum ignorantiam praetendere?

Resp. Quoad I. Conditor ipsius; nam res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur vel dispensatur, nisi sint casus in Iure excepti; sed praefata Instructio, iuxta piam SS. Pontificum mentem, de mandato Sanctitatis suae Clem. XII, confirmata atque iterum fuit promulgata (1), prout clare dicitur in initio Instructionis; ergo non potest dispensare nisi solus Rom. Pont. vel S. R. C., quae est Organum Romani Pontificis, ipsiusque gerit vices, in materiis Rubricarum, Rituum ac Caeremoniarum.

Quoad II. a) Negative, ut patet ex responsione ad I.; possent, quatenus a Legislatore concessa fuisset facultas dispensandi, de qua deberet certo constare; praeterea, possent, si esset casus exceptus, quod deberet pariter certo constare. Utique Episcopi in propriis Dioecesibus sunt Sacrorum Rituum tutores et custodes; et nedum possunt, sed etiam tenentur observantiam legum liturgicarum suis in locis urgere et defendere, licet non valeant amplius iure suo nihil in Liturgia moliri; nam a tempore S. Pii V. Liturgia Romana ita praescripta est, ut Ius Liturgicum expresse Sedi Apostolicae fuerit et remaneat omnino reservatum.

b). Si Episcopi non possunt esse iudices ad declaranda Dubia super sacris Ritibus et Caeremoniis exorta, ut sapientissime declaravit S. R. C. in una *Visen.* 11 Iunii 1605, multo minus Superior Regularis, Capitula Generalia, Parochi, aliique Rectores Ecclesiarum.

Quoad III. In materia Rubricarum ut valeat consuetudo retinerique possit, debet esse rationalis, le-

---

(1) Ab Emo Card. Vic. Sanctitatis Suae die 1 Sept. 1730.

gitima, scilicet debet esse *laudabilis*, ita ut non adimat, sed potius ritibus Ecclesiae reverentiam addat, *immemorabilis*, *conformis* Rubricis, et aperte non repugnans S. R. C. Decretis saltem Generalibus, seu ipsis non aperte contradicens, prout constat ex pluribus Decretis S. R. C. in una *Oscen.* 16 Martii 1591 ad 10, ubi dicitur quod consuetudines contra Missale Rom. dicendae sunt potius corruptelae, quam consuetudines: in una *Romana Genuflexionis,* 18 Iunii 1689, ubi S. R. C. declarat consuetudines contra Missale Rom. esse abusus et corruptelas etc. Innocentius XIII, *Const. Apostolici Ministerii* 23 Maii 1723, Bened. XIV, *in Const. Accepimus.* 16 Iulii 1746, qui prorsus damnans consuetudines contra sacros Ritus, adhortatur Episcopos, ipsisque iubet ut reiiciant omnes abusus contra sacros Ritus. — Ut constat ex Iure Canonico, consuetudo, quae non habet supradictas conditiones, est *instimabilis,* id est reprobata ab ipso Iure, ut abrumpens nervum Ecclesiasticae Liturgiae, perniciosa bono communi Religionis. Et certe quae contra Ius seu Legem fiunt, debent utique pro infectis haberi. — Ne dicatur, ad tuendam talem consuetudinem legi liturgicae oppositam (1), quod non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni; item ne dicatur, ad tuendam talem consuetudinem, effugiendamque obligationem legis servandae, quod exceptio a regula firmat regulam in contrarium; quia debet certo constare de exceptione; nec quod servare legem in tali vel tali casu, foret nimis legi adhaerere, ita ut verificaretur principium illud: certum est, quod is committit in legem, qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem; quia si in casu tali verba sunt clara ut reapse

(1) Et in casu praesenti Instructioni Clem. contrariam.

sunt, et bene manifestant voluntatem legislatoris, obiectio non valet. Utique generi per speciem derogatur, si tamen clare constet de eadem specie, quod in casu de consuetudine contra legem generalem Liturgicam manifestam non apparet. Quae rationes valde iuvant ad solvenda fere omnia dubia sequentia.

Denique bene notandum est, quod, quoties alicubi in materia Rubricarum, et Romae praesertim, quae est Mater, Domina ac Magistra Omnium Ecclesiarum totius Orbis, reperitur aliqua consuetudo laudabilis, scilicet quae non sit legi opposita, nec ei contradicat, nec repugnet, tutius est ei stare; quia cum consuetudo praeter legem vel iuxta legem, sit optima legum interpres, cum optime mores populi demonstret, ei stare est securius ad vitandam occasionem admirationis, et periculum offensionis. Quando silet lex in certis adiunctis et locis, et viget legitima consuetudo, huic standum est; sed si nulla consuetudo vigeat, in locis, prudenter agendum in aliqua consuetudine vel usu introducendo, ne oriatur admiratio, et scandalum; et praesertim Romae, ubi nihil est innovandum, inconsulta Sancta Sede. Et certe cavendum est omnino, ne in Urbe introducatur aliquis usus alienus contra praxim receptam; quia in Sacra Liturgia, sicut in omnibus rebus, omnes nationes a Roma accipiunt et accipere necessario debent, quidquid boni, conformisque est menti Sacrae Liturgiae.

Quoad IV. Negative in omnibus, ut constat manifeste ex principiis supra expositis. — *Quoad singula.*

Ad primum. In praedicto §. *VI. praecipitur*, ut *saltem* viginti lumina seu candelae nunquam desint per totam diem; ut idem quoque, clausa Ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera. Si vero aliquae Familiae Reli-

giosae, sive virorum sive faeminarum, habent in Constitutionibus a S. Sede approbatis, facultatem exponendi SS. Sacram. cum duodecim candelis tantum, vel quatuordecim etc. sive per diem solum, sive per diem et noctem, non eo ipso eximuntur ab obligatione servandi rigorose Inst. Clem., prout S. R. C. in una Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum, die 17 Dec. 1888 ad I, declaravit, et servari mandavit, in casu simili; quia non iuvat Constitutionum Ordinis vel Congregationis adprobatio; nam praedictae Constitutiones respiciunt magis disciplinam internam Familiae Religiosae, quam Liturgicam. Insuper Sac. Congr. Ep. et Regul. semper approbat res liturgicas in Constitutionibus contentas sub clausula vel explicita vel implicita (1), sed semper posita: quod non esset, si Sac. eadem Congr. Ep. et Regul. submittebat materias liturgicas adprobationi S. R. C. — Fortassis si in dictis Ecclesiis non ardent, tempore nocturno, nisi duodecim candelae, hoc fit vi Constitutionum; sed sine iure ullo, ut patet ex Decreto citato. — Fortassis dices, quod hoc fit ob defectum sufficientium redituum; sed hoc in casu standum foret, et quidem laudabilius, dispositioni Instructionis: quae, consulens paupertati Ecclesiarum, permittit, ut, de nocte, clausis ianuis, adhiberi possint lumina ex alia minus nobili materia, puta ex oleo, aut adipe, dummodo saltem decem ex cera sint, ut bene notant Cl. Cavalieri in suo Commentario in Inst. Clem. §. VI. n. 1. et Cl. Gardellini pariter in suo Commentario in Inst. Clem. §. VI. n. 2.; " Quia adhuc occlusis Ecclesiae ianuis, Sacramentum stipandum esse statuit Instructio eodem numero, quae iam non mandantur apponi in expositio-

(1) Si nempe sit praescriptio conformis sacris Ritibus.

nibus ad pompam, sed in honorem Sacramenti publice expositi „ ut recte adnotat Cl. Cavalieri loc. cit.

Adhuc fortassis non servatur Instructio, non utendo facultate supradicta, ob maiorem reverentiam erga Almum Sacramentum; sed hac in re oportet sapere ad sobrietatem, et non se putare reverentiores erga SSm̃um Sacramentum quam ipse Legislator; et consequenter, ut omnes Ecclesiae sive Regulares sive saeculares sint, sive maiores sive minores, cultum debitum, reverentiamque debitam ostendant ergo Venerabile Sacramentum, sufficit, ut *attendant parumper menti, intentioni*, ac voluntati S. Romanae Ecclesiae, tam recte et sapienter manifestatae in perlaudabili Instructione. Et bene notandum est, atque in mente altissime inculcandum, quod laudabilius conformiusque menti Ecclesiae ac sensui liturgico, hoc in casu, ut patet ex §. VI, dimidium tantum luminum ex cera ardeat, et aliud dimidium ex oleo, de quo contenta est Instructio, quam adhibere, ex defectu luminis naturalis ad ornatum illuminationemque Templorum Dei, imo ad illuminandum Altare Expositionis ipsumque Ostensorium, ut Sacra Hostia magis elucescat, et facilius a fidelibus conspiciatur, istam novam et modernam lucem, quae vulgo *Gaz* nominatur. Et facile probatur; nam quidquid in Ecclesiis adhibendum praescribitur a lege Liturgica, sensu Liturgico habet et necessario habere debet symbolismum aliquem. Nunc autem *Oleum*, et *Cera* ab Ecclesia praescribuntur in Functionibus Ecclesiasticis et Liturgicis certe ad symbolismum, qui nullo modo reperiri potest in supradicta luce moderna, ut infra constabit. Et statim probatur, primo quidem quoad *Oleum;* etenim est materia omnino pura, nobilis et optime significat gratiam Spiritus Sancti, quae enutrit animam, eam medetur ab infirmitatibus suis,

eamque roborat ac illuminat ad bonum: qui effectus omnes producuntur ab oleo in ordine materiali; insuper oleum provenit ex oliva, arbore certe purissima et pretiosa quae est symbolum pacis.

Secundo quoad *Ceram;* est fructus purae ac diligentissimae apis, conficientis ac colligentis ceram ex suavissimo succu dulcissimorum florum; est ergo materia purissima, nobilissima: significat optime Sanctissimam humanitatem Redemptoris ac Salvatoris nostri simulque eius Matris Virginitatem; ergo sapientissime et rectissime S. Mater Ecclesia has duas adhibet materias in Sacris Functionibus; ergo aptissimae sunt ad Cultum Divinum; ergo omnino conformes menti Ecclesiae. Haec omnia quoad symbolum olei et cerae, ut omittamus usum olei in confectione et administratione Sacramentorum.

Tertio quoad lucem dictam *Gaz*, undenam provenit? est ne pura materia, nobilis? habet ne aliquod symbolum? nequaquam; nam provenit ex fontibus impurissimis, ex corruptione corporum... non est nisi ater vapor simul habens odorem teterrimum; ergo nullo modo est nobilis, nullo modo animam potest ad Deum elevare, nec movere ad pietatem, ad orationem, et caret omni symbolo. — Quare ergo praeferenda est ista moderna lux, cuius usus in Ecclesia Dei est abusus, prout materia opposita menti Liturgiae, prout carens omni sensu mystico, Oleo, cuius lux plena est munditie, nobilitate ac mystica significatione, quae omnino exigitur in luminibus adhibendis in Ecclesia Dei?

Idem prorsus dicendum de numero luminum, quae ardere debent in qualibet Expositione in Urbe, prout mandat praesens Instructio sub §. XXXVI, ubi exigit ut servetur *supradictus viginti luminum numerus,*

nempe praescriptus sub §. VI. Si quis velit invocare argumentum Constitutionum sui Instituti, si sit Regularis, relate ad minorem luminum numerum, hoc ipsi non licet, obstat enim Decretum supracitatum.

Ad secundum. Negative; nam lex praecipit, ut " omni diei ac noctis hora detur signum cum maiori campana. „ Cl. Cavalerius iam citatus §. X, haec habet: " Signa autem per campanam maiorem data, id ultra habent commodi, ut etiam a longe extra Ecclesiam existentes de expositione moneant, et identidem ad actus virtutum excitent. „ Cl. Gardellini loc. cit. §. X, n. 2 haec addit: " Neque clausis Ecclesiae ianuis noctu cessare debet ad singulas horas campanae sonitus; quia cum expositio continua sit, eo signo etiam qui vigilant, et a sommo excutiuntur et ad promendos erga Sacramentum devotionis actus excitantur. Obiicies forte, nullam adesse obligationem, ut campana maior pulsetur ad singulas horas sive diurnas sive nocturnas, quando aliqua Ecclesia sive Regularium sive saecularium vices gerit alicuius Ecclesiae tunc temporis impeditae. Cui respondetur, simpliciter negando assertum; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; sed in casu Instructio non distinguit. Parvi refert quod Ecclesia e. gr. saecularis faciat Orationem 40 Horarum non nomine proprio, sed nomine Ecclesiae Regularis, vel Seminarii etc. et e converso; quia non est verosimile quod Rom. Pontifex condens Instructionem semper duraturam in Urbe, ignoraverit difficultates temporum, egestatem Ecclesiarum, et consequenter necessitatem supplendi; certe hoc debuit praevidere, cum Inst. sit opus constans ex experientiis RR. PP., auctorum probatorum, et temporum: quod si non expressit, hoc accidit quia hoc iudicavit inutile. Sed dices: fideles in viciniis

commorantes taedio afficientur ex sonitu campanae saepe repetito. Cui respondetur: primo, qui sentit commodum, sentire debet onus; et certe commodum in casu est immensum, ut patet. Insuper idem probatur ex duobus testimoniis supra allatis. Denique satis noti sunt mores Populi Romani, et praesertim sua pietas erga SS. Eucharistiam, ut non aegre, sed gaudenter ferat hanc invitationem ad Christum Regem laudandum et adorandum. Contrarium cogitare foret iniuriosum nimis.

Ad tertium. Negative; lex enim est manifestissima, et mandat, ut in Altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa, exceptis duabus solemnibus pro Expositione, et Repositione; ut scilicet populus unice sit adorationi intentus. Si aliqua Ecclesia sive Regularis sive saecularis, in qua non desunt Altaria lateralia, ad tuendam suam praxim celebrandi quotidie sive unam Missam sive plures coram SSmo Sñto exposito, invocat speciale Indultum a S. Sede concessum in casu, respondetur: vel S. Sedes mentionem fecit de Expositione 40 Horarum in Indulto et concessit facultatem celebrandi in Altari Expositionis, etiam pro Oratione 40 Horarum, vel non; si primum, nulla est difficultas, sed nullum Indultum huiusmodi tenoris usque nunc cognoscimus; si vero secundum, negatur; quia consuetudo in casu foret indebita, illegitima, et contraria recenti Decreto S. R. C. die 17 Dec. 1888 iam citato. Nec dicas: Generi per speciem derogatur; quia, ut iam probatum est in principiis supra positis, Rescriptum speciale non derogat legi Generali, et in casu Instructioni, nisi de ea fiat expressa mentio et derogatio, quod constare debet ex Clausulis Rescripto appositis; sed de quibus de facto in casu non constat, cum Orator non petierit hanc exceptionem. Et certe

Decretum particulare, alicui Familiae Religiosae sive virorum sive faeminarum concessum, permittens unam solam Missam sive Conventualem sive Communitatis, sive cantatam sive lectam, coram SSm̃o Sñto exposito, nullamque mentionem faciens de Expositione 40 Horarum, non dicit exemptionem a Lege generali seu Inst. Clem., mandante sub gravissimis poenis omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut tempore Expositionis solemnis 40 Horarum, in Altari SS. Sñti expositi, nulla alia Missa celebretur, praeter duas solemnes prima et tertia die. Et probatur ex doctrina Canonica, quod Decretum particulare, cum aperte non dicat talem concessionem contra legem generalem, haec non intelligitur per Decretum particulare derogata. Insuper Rescriptum cohaerere debet cum supplicibus Litteris iuxta Decretum S. C. Concilii in *Milevitan. Benefic.* 28 Ianuarii 1832; sed in casu aperte scimus ex investigationibus multis a nobis factis, nullam mentionem actam fuisse nec in materia de Lege generali, seu Instructione, nullamque dispensationem petitam fuisse. Praeterea Legislator, concedendo Privilegium, quod voluit expressit: denique regulariter Rescriptum stricte est interpretandum. Et Auctoritas Instructionis est Pontificia, ut dicitur in §. I, obligans quascumque Ecclesias, quomodocumque privilegiatas, Almae Urbis, et quidem sub poenis gravissimis. Et certe S. R. C. interrogata responderet negative, nisi peteretur ex speciali gratia.

Et certe foret contra mentem, et contra rationes gravissimas, quibus motus fuit Clemens VIII, instituendo Orationem 40 Horarum alternatim et iugiter habendam in Ecclesiis Almae Urbis, ut facile constat ex Brevi *Graves et diuturnas Clem. VIII*, sub die 25 Nov. 1592. Videamus quaenam fuerint

hae causae. Sum. Pont. sic loquitur: " *Graves et diu-* „ *turnae christianae reipublicae calamitates, quae peccatis* „ *promoventibus, quotidie magis ingravescunt,* pastoralem „ sollicitudinem nostram quam universae Ecclesiae „ debemus, assidue commovent, magno sane cum do- „ loris sensu praesentium malorum et impendentium „ periculorum motu, *sed praecipue cor nostrum et pa-* „ *terna viscera nostra transfigit luctuosus status nobilissimi* „ *et olim florentissimi Galliae regni, quod tot iam annos* „ *summa rerum perturbatione et omnium malorum acerbi-* „ *tate conflictatur. Serpunt in dies latius haeresum incendia,* „ *iamque, pari furore inflammati Sanctae Ecclesiae inimici,* „ *hinc haeretici, inde Turcae, cervicibus nostris propius* „ *imminent, plane ut manifeste omnibus appareat ad tam* „ *multa incommoda repellenda inanem esse omnem operam* „ *hominum, inanes labores et imbecilles vires, nisi caelestis* „ *gratiae auxilio roborentur; quod ut consequi possimus,* „ *confugiamus necesse est ad illam desideriorum nostrorum* „ *fidelem internuntiam atque interpretem, et bonorum om-* „ *nium conciliatricem orationem, quae ex corde humili et* „ *animo contrito emissa, caelos penetrat, iram Dei mitigat,* „ *plagas et flagella avertit, et divinae misericordiae impe-* „ *trat abundantiam.* Est enim, ut Sancti Patres illam „ vocant, clavis caeli; et cum ascendit oratio, descen- „ dit Dei miseratio, et quidem tanto facilius et ube- „ rius descendit, quanto maior fidelium ac piorum „ multitudo, in uno charitatis spiritu copulata, conti- „ nuatas adhibet preces „. — Nonne calamitates quibus petitur Respublica Christiana, Sancta Ecclesia, adhuc graviores sunt? nonne praesentia mala et impendentia pericula, quibus conflictatur et comminatur Respublica Christiana et Sancta Ecclesia, sunt adhuc maiora? nonne inimici Sanctae Ecclesiae, pacis et ordinis Christiani sunt adhuc numerosiores, magis furore inflammati

ad omnia destruenda? — Utique omnia ista mala ac pericula, quae undique nobis intenduntur, adhuc sunt maiora ob fidei imminutionem ac morum relaxationem (1), ut saepe saepius Santitas Sua Leo XIII declaravit in suis Litteris Encyclicis. Quisnam igitur, tantis malis imminentibus, non se existimet felicem, imo felicissimum, ad tam multa incommoda repellenda nedum facere quantum potest, verum etiam aliquid ferre incommodi? Rom. Pont., § 1, statuit normas circa celebrationem piae ac salubris 40 Horarum Orationem relate ad distributionem Ecclesiarum et temporis. — In § 2 hortatur vehementer Clerum Populumque Urbis ad pie et diligenter orandum pro causis sequentibus: " Pauperes omnes sumus; et Dei gratia indigemus, bo„ norum omnium auctor et largitor est Deus, nihil „ boni adipisci, nihil mali evitare sine Eo possumus; „ *petite ergo et accipietis, pulsate et aperietur vobis.* Orate „ pro Ecclesia sancta catholica, ut, dissipatis erroribus, „ unius fidei veritas toto orbe terrarum propagetur. „ Orate ut peccatores redeant ad cor, et ne scelerum „ fluctibus absorbeantur, sed per poenitentiae tabulam „ salventur. Orate pro regum et christianorum pace „ et unitate. Orate pro afflicto regno Galliae, ut qui „ dominatur cunctis regnis et cuius voluntati nihil „ resistit, regno christianissimo et optime de christiana „ religione merito, veterem pietatem et pristinam „ tranquillitatem restituat. Orate ut fidei hostes te„ terrimi Turcae, qui furore et audacia incensi, chri„ stianis omnibus servitutem et vastitatem minitari „ non cessant, ipsius Dei omnipotentis dextra conteran„ tur. Orate denique pro nobis ipsis, ut Deus infirmi-

(1) Omnes errores modernos, qui ita irrumpunt in omnes nationes ut illis sit prorsus difficile eas liberare.

„ tatem nostram sublevet, ne tanto oneri succumba- „ mus; sed det nobis in populo suo, verbo et exemplo „ proficere, et opus ministerii nostri adimplere, ut „ una cum grege nobis, licet immeritis, credito, ad „ vitam sempiternam perveniamus, per apersionem „ sanguinis Agni immaculati, quem in altari offerimus, „ et Deo Patri repraesentamus, ut respiciat in faciem „ Christi sui, et parcat nobis peccatoribus, interce- „ dente etiam advocata nostra Sanctissima Virgine „ Dei Genitrice Maria, Sanctisque omnibus cum Christo „ Domino regnantibus „. Nonne iidem prorsus eflagitationibus Deum exorare debemus? Nonne ergo defraudaremus Ecclesiam et Rempublicam Christianam auxilio potentissimo, si omitterentur Missae solemnes ac SS. Sñti Processiones?

Ad quartum. Pariter negative; nam ibi *expresse iubetur*, ut in diebus Expositionis, medio, et Repositionis, cum Ministris paratis Missae canantur, et non aliter, etiam in Ecclesiis Regularium, non obstante quocumque eorum usu aut praetensa consuetudine in contrarium. Si aliqua Ecclesia destitueretur Ministris vel sacris indumentis, ut accidit in Monialium Ecclesiis, tutius nobis videtur invitare duos Ministros ad canendas Missas solemnes in casu, uti de facto fit, et ut scimus ex propria experientia. Ut nobis videtur in his duobus casibus, non posset excusari, et invocari principium illud: Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum (1). Sed statuto sufficienti Ministrorum numero, habitisque sacris indumentis. non cantare Missam in die medio, tantummodo quia Ecclesia gerit vices alterius Ecclesiae, aut quia hoc infert aliquid incommodi, hoc non intelligitur; et valde melius est

(1) Praxis Urbis non permittit recurrere ad tale effugium.

cantare hanc Missam, etiam cum aliquo incommodo; quia sic agendo, bene mereretur de Clero Populoque Romano. Insuper Urbs et Religio privarentur auxilio potenti, his in temporibus calamitosis, cum hae Missae sint *pro re gravi, et publica Ecclesiae causa.* Praeterea Ecclesia in quo probatur Oratio 40 Horarum, gaudet privilegio immenso, quod in hoc consistit quod omnia Altaria tunc temporis sint privilegiata, ut patet ex speciali Rescripto Pii Papae VII, die 12 Maii 1807, quod est certe valde considerandum. Bene notanda quae dicit Cl. Gardellini §. XV, n. 1: " Solemnitas sacrae actionis iure suo postulat, ut omnia, quae ad eam ordinantur, eo modo fiant, qui tantae celebritati conveniant, atque respondeant. Si Missa votiva sit pro re gravi, aut publica Ecclesiae causa, solemniter est celebranda ex praescripto Rubricae *part. 1, tit. 9, num. 14.* Secus enim privilegiis non gaudet, quae eidem competunt. In illis autem, quas celebrari iussit Instructio, nedum concurrunt votivae qualitas, publicum bonum, gravis Ecclesiae causa, verum etiam sacrae functionis solemnitas; quamobrem omnino sunt solemniter cantandae cum Ministris paratis ".

2. Nec valet effugium ex eo petendum, quod iis, qui ex Instituto usum non habent cantandi Missam cum Ministris paratis, desint ad hoc opus paramenta; nam facile est eadem commodata habere ab aliis Ecclesiis. Ratio vero desumpta ex Instituto non valet contra legem, quae consulit Festi, aut functionis solemnitati. Post tam graves rationes, quomodo adhuc invocare rationem incommodi, scilicet quod talis vel talis Ecclesia vices gerit alterius, praesertim cum compertum sit, aut functiones rite agendas esse, aut poenam mereri nisi bene fiant? Liceat nobis dicere, tutius esse cantare Missam solemnem hoc in

casu cum aliquo incommodo, quam celebrare Missam lectam, ad conciliandam sibi Cleri Populique Romani benevolentiam et amorem — Fas etiam nobis sit animadvertere, quod in hac Missa lecta saepe Rubricae non servantur, ut pluries comperimus oculis nostris; etenim haec Missa, ut habetur in initio Kalendariorum, et constat ex Rubricis et Decretis S. R. C. erit sine Gloria et sine Credo cum Oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione; ergo prohibitum est ne addantur commemorationes diei occurrentis, collectae imperatae, vel omittatur Oratio SS. Sñti.

Ad quintum. Negative, ut patet ex rationibus iam allatis praesertim *ad quartum* quaesitum. Praeterea D. N. I. C. fere sine causa defraudaretur gloria et honore sibi debitis, quibus illum magna vi diabolus contendit privare. — Melius est certe augere triumphos Christi, quam minuere.

Ad sextum. Pariter negative ex rationibus iam datis; est enim standum Decreto S. R. C. 17 Dec. 1888 supra citato; standum est legi, vi cuius nullo modo licet SSmum Sacramentum e throno deponere, durante solemni Expositione pro Oratione 40 Horarum, seu eam interrumpere, pro benedictione danda cum SSmo Sñto; quia est lex generalis omnes obligantes in Urbe, contra quam, ut supra vidimus, lex particularis nihil valet. Haec lex, ut patet ex dictis supra, condita fuit a Clemente VII, per Const. *Graves et diuturnae*, 25 Nov. 1892, statuta ab omnibus servanda; denique confirmata iterumque promulgata a Clem. XII, iuxta mentem suorum praedecessorum. Quod expositio SS. Sacramenti, praeter Expositionem illam solemnem 40 Horarum, interrumpi possit, iuxta prudens Ordinarii arbitrium, ut detur semel vel iterum in die eadem, eademque in Ecclesia benedictio, S. R. C. hoc per-

mittit, ut patebit infra; sed nullo modo hoc licet in Expositione pro Oratione 40 Horarum, quia haec ideo instituta fuit, ut *diu, noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur*, ut legitur in supracitata *Const.*; ergo durante Oratione, quae nunquam intercipitur, non licet deponere SS. Sacramentum e throno, ut cum illo benedictio populo impertiatur. Ipsa Inst. Clem., iussu Clem. XII. confirmata iterumque promulgata, ut supra dicitur, certe sufficienter docet SS. Sacramentum non posse nec debere deponi per totum spatium 40 Horarum, ex ipsa denominatione et interpretatione communiter recepta; ipsaque praxis Ecclesiarum Urbis, optima legum interpres, in casu recte indicat quid sit agendum. Haec insuper omnia comprobantur sequenti Decreto S. R. C. *in una Societatis Iesu*, 11 Maii 1878 ad Dubium V; nam Dubio proposito: " An liceat pluries in eadem Ecclesia et die impertiri benedictionem cum SSmo Sacramento occasione piarum Congregationum vel ad devotionem; item an liceat interrumpere expositionem SSmi Sacramenti pro danda benedictione ob causas indicatas? „ S. eadem Congr. respondendum censuit et rescripsit: Ad V. " Ad primam et secundam partem: iuxta prudens Ordinarii arbitrium, evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de Expositione Quadraginta horarum „. Responsio non indiget declaratione; verba: " *dummodo non agatur de Expositione Quadraginta horarum* „ clarissime demonstrant mentem ac voluntatem S. R. C., optimeque probant, et quidem peremptorio definitoque modo, nunquam licere Expositionem 40 Horarum interrumpere. Ne invocetur dispensatio ab Ordinario obtenta, quod quadrate ac rotunde negamus, cum certissime constet ex Iure Canonico, Episcopos

seu locorum Ordinarios prorsus nihil posse in S. R. C. Decreta, prout dispositiones emanatas ab Interprete Officiali Rom. Pontificis voluntatum; immo iidem urgere debent remediis debitis S. R. C. Decretorum strictissimam observationem, ut constat ex pluribus Const. RR. PP. ac S. R. C. Decretis, etiamque ex Concil. Trid. Sess. XXII, *in Decreto de observandis et vitandis in celebratione Missae:* ubi Sancta Synodus Episcopis ac locorum Ordinariis tribuit potestatem, vi cuius possunt ac debent, etiam ut Delegati Sedis Apostolicae, corrigere pravas consuetudines, abususque omnes, ut sapienter notat Bened. XIV, in Const. *Accepimus,* 16 Iulii 1746, circa necessitatem retinendae Imaginis SSm̃i Crucifixi in Altari pro Sacrificio Missae celebrando, directa Episcopis Ditionis Ecclesiasticae. Praeterea non invocetur consuetudo, cum certo constet ex pluribus Const. RR. PP. et S. R. C. Decretis usus contra Rubricas ac Decreta esse abusus et corruptelas, omnino reprobandas atque eliminandas: neque approbatio Constitutionum a Sancta Sede, vi quarum singulis diebus semel permittitur impertiri benedictionem, interrumpendo expositionem SSm̃i Sacramenti, quae in pluribus piis Institutis tam virorum quam mulierum peraguntur, sive diu tantum sive diu ac noctu; nam haec eorum expositio omnino particularis est, prout propria istarum piarum Familiarum Religiosarum, dum e contra illa est omnino solemnis Expositio totius Urbis, pro publica causa Ecclesiae, iussu RR. PP. ac praesertim Clementis VIII et Clementis XII. Insuper adprobatio Constitutionum Familiarum Religiosarum non spectat ad materias Rubricarum, qua tales, sed potius ad oeconomiam domesticam, ac semper praesupponit facultatem a S. Sede iam praehabitam. Denique etiam deficiente *lege* positiva,

adhuc aequum est stare praxi Urbis; quia, ut omnes norunt, unaquaeque regio suos habet mores, consuetudines ac usus, qui debent servari et coli, et quibus periculosum est contraire.

Interim fas sit aliquas animadversiones facere, quae locum habent in praesenti quaesito: prima spectat ad usum basis parvae metallicae vel ligneae in media Altaris mensa positae, supra quam collocatur Ostensorium cum SSño Sñto, pro *Tantum ergo* canendo, benedictioneque Fidelibus impertienda, et statim amovendae. In se hoc non nobis videtur esse prohibitum ab aliqua lege, sed longe melius est collocare Ostensorium super ipsam mensam, super petram consecratam, in qua conficitur sacrificium Missae. — Basis est quid inutile positum super Altare per brevissimum spatium, quod excitat admirationem in Urbe; et cum sit usus omnino contrarius praxi Urbis, quem valde offendit, prorsus tollendus est ut singularitas et novitas inaudita. *Secunda* est usus arborum viridium in plano presbyterii, in Altari, et florum naturalium in nimia quantitate. Quoad arbores: virides plantae non sunt liturgicae, et prorsus amovendae sunt ab Altari; locus earum est hortus, non templum, nec Altare Dei. Quoad flores naturales, utique sunt liturgici, sed in Altari poni debent, cum gratia, decore, elegantia ac parsimonia, iuxta mentem Caerem. Ep. Lib. I, cap. XII, n. 12. *Rami, quibus inhaerent flores in vasibus, post paucos dies, perarescunt, flores ipsi, in regionibus tepidioribus, post aliquas horas marcescunt, et odorem emittunt teterrimum, aqua etiam statim corrumpitur, emittitque odorem acerrimum:* quae omnia aegre sustinent foeminae et etiam laici, uti scimus certa scientia, et loco cultus in odorem suavitatis, fit contrarium.

De ornatu Altarium, de vasculis cum flosculis ac de candelabris superimponendis pro diversitate dierum et solemnitatum loquitur Caerem. Ep. in toto cap. XII, Lib. I. Id profecto exigit decor ille, qui domui Domini convenit, et qui a nobis diligendus est, ut cum Davide dicamus; *Domine dilexi decorem domus tuae.* Cum hoc autem decore tam iustissime debito praesentiae D. N. I. C. in SS. Sñto, pugnat usus nimis copiosus florum naturalium; quia post tres, quatuor dies, fere semper evenit, ut ceteroquin comperimus inquisitionibus secretis ac diligentissimis saepe a nobis factis, in vasculis, post solemniores dies, ut non reperiantur nisi immunditiae, emittentes odorem teterrimum, adeo ut, quando vascula aqua eluuntur ac mundantur, nemo eum valeat sustinere, quod nobis videtur prorsus indignum in Altari Expositionis SSm̃i Sacramenti. Festis solemnioribus arbores, plantae virides ponuntur in quantitate enormi; item flores. Die quadam solemniori Em̃us quidam Praelatus, post Missam solemnem pontificalem, non dubitavit manifestare suam mentem hac in re, nullo modo illum modum agendi approbans, aegre ferens. Praeterea ut vidimus saepe oculis nostris, et certe cum dolore, hoc ingens acervum arborum, plantarum ac florum impedit, quominus thurificatio Altaris fiat liturgice, et Ministri decore et expedite exerceant suum munus a lateribus Altaris. Quoad flores naturales, sunt quidem liturgici, positi in debita proportione, ut supra notavimus; fas tamen sit dicere quod iuxta praxim Ecclesiarum omnium Orbis, praesertim Urbis, et iuxta mentem sacrae Liturgiae, melius esset adhibere vascula cum flosculis aureis, argenteis aut sericis, commixtis simul aliquibus vasculis florum naturalium rite et decore confectis ac dispositis. Hac in re nihil innovandum est, inconsulta

S. Sede; et certe S. R. C. interrogata super hoc negotio, responderet: nihil innovetur. Et adhuc certe non locuta est, quia sperat talem usum ex se, taedio cessaturum. Ut pluries supra diximus, valde cavendum, ne aliquis usus extraneus in Urbe introducatur, qui posset offendere praxim Romanam; quia in sacra Liturgia, sicuti in omnibus rebus ad Religionem pertinentibus, omnes nationes ab Alma Urbe edoceri debent, omniaque ab ea accipere (1). — *Tertia.* Ne adhibeatur thus emittens odorem nimis acrem, quod laedit

---

(1) Suadendum est Rectori, ut potius utatur Expositione more Romano, ligno deaurato confecto, in omni expositione, etiam Feria V in Coena Dñi, loco huiusmodi struis lignorum, arborumque, vasculorum, ac candelabrorum, quae nullum nomen nullamque habent gratiam. Altare sic ornatum est quid nimis rusticum et agreste, nimis sapiens levitatem et novitatem; tunc melius foret exponere SS. Sacramentum in horto, vel in campis aut in silvis. Valde adhortandum est, ut Altare decoretur cum maiori gratia, modestia et simplicitate ac gravitate, uti faciunt aliae Ecclesiae Urbis: consultius foret non pati, ut Ecclesia permaneat nuda, diebus solemnioribus, sed potius ornata, ac cuius parietes interiores vestiantur pannis pretiosis ac pulchrioribus more Romano, iuxta dispositionem Caerem, Episc. Lib. I, c. XII. — Longe melius esset uti candelabris sive argenteis, sive inauratis sive deargentatis, cum multis luminibus, cum multis candelis maioris ponderis, quae exornarent Altare Expositionis SS. Sacramenti, Thronum Regis Regum, cum maiori decentia, cumque regia magnificentia et apparatu. Longe melius esset stare dispositioni sapientissimae Caerem. Ep. loc. cit. quoad ornatum Ecclesiae et Altaris, quoad usum eorum omnium, quae adhiberi possunt et debent in huiusmodi ornatu, et quoad modum ipsum decorationes faciendi. Denique animadvertendum est quod dispositio Caerem. Ep. hoc in loco respicit omnes Ecclesias, ut clare patet ex Bulla Clementis VIII, in initio huius Libri posita. Sic faciendo, cultus debitus Deo tribueretur, decentia et sensus liturgicus salvi essent, et omnes contenti forent.

mulieres cunctisque est ingratus, ut plures nobis dixerunt, et ut nos ipsi comperimus.

Ad septimum. Negative: Patet manifeste; nam Instructio mandat, ut Celebrans non utatur sede camerali, sed scamno (brachia non habente), cuius ornetur pars posterior rubri alteriusve coloris panno, et in quo simul cum Ministris sedeat. Pariter iubet Caerem. Ep. Lib. I, cap. XII, n. 23: " Scamnum oblongum coopertum aliquo tepete, aut panno aptari a latere Epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono, et Subdiacono „. Quoad Decreta S. R. C. hac in re, sunt innumera; sufficiat nobis citare ultimum in una *Dubiorum*, die 17 Sept. 1822 ad 7, in quo S. eadem Congr. mandavit stricteque praecepit Locorum Ordinariis, ut omnimodam illius observantiam urgerent, et in quo declaratur, ut *abusus reprobandus, atque damnandus*, usus adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante, sedes camerales serico damasceno ornatas, loco scamni tapete cooperti, et similia scabella pro Ministris.

Est usus omnino oppositus unanimi consensui Auctorum probatorum, praxi omnium Ecclesiarum, speciatimque Ecclesiarum Urbis. Quoad Auctores, audiamus Cl. Martinucci Lib. II. c. IV. n. 7. *De Missa Solemni:* " 7. In cornu Epistolae statuetur scamnum cum modico dorsuali seu postergali, quo Celebrans cum Ministris considebit: scamnum instruetur Aulaeo laneo, quod conveniat solemnitati: oportet ut scamnum sit aequale, sine fulcris, sine prominentia, aut discrepantia ulla pro Celebrante: nullus, Celebranti quidem, supponatur pulvinus. Licebit tamen uti exiguo suppedali ligneo, quod exiguo etiam contegetur tapeto viridis coloris. Interdicitur usus sedium cameralium et Celebranti et Ministris, itemque sedes ut aiunt ca-

merales pro Celebrante, ac duo scabella pro Ministris „; et alibi passim. Audiamus Cl. Gardellini in suo Comment. in Inst. Clem. §. XXV. n. 3. Postquam retulerit sanctionem Inst. Clem. dispositionemque Caerem. Ep., ac plura S. R. C. Decreta, haec addit: " 3. Quae cum ita sint, consequitur, nedum in solemnibus Missis pro Oratione quadraginta Horarum sedes camerales vetitas esse, verum etiam in aliis omnibus expositionibus, et nunquam adhibendas vel in Missis, vel in Vesperis, et Matutinis Horis, quae in celebrioribus festivitatibus solemniter cantantur, cum festivo apparatu a Sacerdote cum Ministris pluvialibus indutis. Nam *Instructio* hac in parte sequitur legem universalem. Cavenda hinc esset Praesidum auctoritate, illorum licentia, qui in aliquibus Ecclesiis adhibere praesumunt sedem cameralem pro Celebrante cum scabellis pro Ministris. Scamno utendum omnino est cum postergali cooperto panno rubei, vel alterius decentis coloris. Huiusmodi vero tegumentum potest esse sericum et differre debet ab altero pro laicis posito extra presbyterium, tegendo panno serico, sed vilioris materiae „. Verbis expressioribus uti non poterat. Ergo stat nostra propositio.

Quoad alterum negative; nam lex sic absolute loquitur: Per vices unus aut alter Sacerdos, vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapete pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum Altaris gradum, orantes die ac nocte. Deinde Inst. iubet ut aliud scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, collocetur extra presbyterium, et in quo confratres suis vicibus pariter

orent, ubi existit aliqua Confraternitas. Iubet ergo Inst. ut scamnum vulgo dictum *Banco* ponatur intra presbyterium loco genuflexorii; iubet ergo distincte mandans, quod omnes ante scamnum, non in genuflexorio, orare debeant. Cl. Gardellini haec addit in §. IX. n. 15. " ... Quae regula in Urbe servanda omnino est: in aliis vero Dioecesium Ecclesiis, censet „ Cavalerius parari posse genuflexorium pro Clero. „ Verumtamen, etsi posse non inficiar, nihilominus „ ex decentia ab eo parando abstinendum puto, et „ scamnum potius decenti ornatum tapete adhibendum, ad differentiam Episcopi, qui, si veniat ad „ Sacramentum venerandum, utitur genuflexorio.

„ 14. Ut autem scamnum pro Laicis extra presbyterium paratur, ita illud pro Ecclesiasticis locandum est " vicino all'infimo grado dell'Altare „ hoc „ est in plano presbyterii; quamobrem contra legem „ illi faciunt, qui illud apponunt in Altaris gradibus, „ nisi tanta esset presbyterii angustia, ut secus fieri „ nequiret „.

Ergo uti genuflexoriis, loco simplicis scamni, in casu, est prorsus agere contra legem absolutam, eique contradicere; ergo ista genuflexoria sunt prorsus removenda a presbyterio in casu, et in eo ponendum solum scamnum decenter ornatum iuxta legem. Ne dicas haberi privilegium utendi genuflexorio, loco scamni, in casu, in Constitutionibus vel in consuetudine; nam amplius sustineri nequit iuxta decretum S. R. C. supracitatum ad primum, 17 Dec. 1888 ad I, et iuxta principia posita ad III, ad ***primum*** et in aliis etiam quaesitis. Fortassis dicas: vi Constitutionum Sacerdotes stare debent in genuflexorio panno rubro cooperto, alii vero in genuflexorio tapete viridi coo-

perto (1), sed frustra; nam Inst. iubet nedum Sacerdotibus, verum etiam omnibus in Sacris Ordinibus constitutis, orare ad idem scamnum. Lex, ut optime notat Cl. Gardellini loc. cit. n. 14, non prohibet quominus Laici regulares presbyterium ingrediantur ac orent genuflexi in dicto scamno: " nam hi, deficien„ tibus Sacerdotibus, et Clericis, ad horum supplendas „ vices admittuntur, et cum ex privilegio in Clero „ computentur, induantque Superpelliceum, licite pos„ sunt presbyterium ingredi, et orare ad scamnum „ pro Ecclesiasticis assignatum „. — Paulo ante sub n. 3 loquens de iis qui intra presbyterium orare debent, dicit: " . . . Lex tamen aliquam modificatio„ nem admittit quoad numerum, et gradum Cleri„ corum, qui huic adorationi vacare debent. *Instructio* „ equidem exigit unum, vel duos Sacerdotes, aut sal„ tem Clericos in Sacro Ordine constitutos; adiicit „ tamen conditionem, quatenus haberi possint. Quod „ si hi desint, vel pro singulis horis haberi nequeant, „ substitui poterunt Clerici ad Minores gradus pro„ moti, vel etiam Regularium Ordinum Laici, et qui „ Monachi Conversi dicuntur „. Idem dicit in n. 1. — Facimus has animadversiones pro omnibus Ecclesiis sive Regularibus sive saecularibus. In casu oportet sapere ad sobrietatem, ne inveniatur sapientior quam ipse Legislator. Ergo nobis concludendum est: non licet in Oratione pro Expositione 40 Horarum, intra presbyterium uti genuflexoriis; insuper cavendum est ne contradicatur praxi Urbis Ecclesiarum in casu. Et iuxta eamdem praxim foret valde conveniens col-

---

(1) Quod quidem comperimus oculis nostris in inspectionibus nostris.

locare ante Altare Expositionis, extra presbyterium, scamnum decenter ornatum ibique semper permansurum, et inserviens adorationi pro Episcopis.

(*Continuabitur*).

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Antequam ad consuetam Dubiorum solutionem progrediamur, opportunum ducimus praenotare, in Opere cl. Solans circa Sacramentum solemniter exponendum et deponendum cum casula, nihil dici, nec pro nec contra. Ipsemet enim Auctor nobis per Epistolam confessus est, per verbum *Celebrantem*, nonnisi Sacerdotem intellexisse, functionem peragentem. Ea propter nos quoque scripsimus: *Cl. Solans probare videtur*, quod tamen nunc accipimus esse a veritate alienum. Falsum est ergo quod in Dubio e Republica Mexicana proveniente supponitur ab adm. Rev. Inquirente (*V. num. 9 huius anni, pag. 537*).

I. *E. Melita.* **De floribus in altari, festo Titularis tempore Passionis occurrente.** Si festum Titularis aut Dedicationis incidat in hebdomadam Passionis, licebitne altare vasis floreis exornare?

Resp. Affirmative, Festorum enim celebratio, vi Rubricarum, haud infra hebdomadam Passionis est vetita. Posita autem festi permissione, dubitari non potest, illud esse proprio respectivo ritu celebrandum. Ad ritum autem, minus licet principaliter, pertinent

ornamenta altaris, inter quae vasa florum, quos sive naturales sive arte confectos inter candelabra Caeremoniale permittit (*Lib. I, cap. XII, n. 12*). Nec quid obstat, si imagines omnes ad cultum destinatae, esse velatae iuxta Missalis ac Caeremonialis Rubricam debeant. Id enim tempus significat Passionis, in quo et festum Titularis in casu celebrari permittitur, aliaque mysteria, quae ex positiva lege imagines velatas requirunt. Sed ex hoc non sequitur, aliis permissis mediis solemnitates quae celebrantur, haud posse ostendi.

II. *Ex eodem loco.* **De iure tradendi aspersorium Episcopo.** In processione S. Marci, cum Episcopus Ecclesiam aliquam ingreditur a suis Canonicis consociatus, cuinam competit aspersorium tradere Episcopo? An Rectori Ecclesiae, quam intrat, an digniori ex Capitulo?

Resp. Quae aspersorii Episcopo porrigendi ius respiciunt, aliquam Dioecesis ingredienti Ecclesiam, plurima sunt Decreta, et in tres dispesci classes possunt. Ad primam ea Decreta pertinent, quae eiusmodi ius tangunt quando Episcopum unus aut aliqui comitantur ex Canonicis. Ad alteram illa, quae casum considerant, quo integrum Canonicorum Collegium Episcopum praevenit, vel consociat. Ad ultimam ea quae negotium disponunt, quando Episcopus, praesente Capitulo, processionibus praeesse debet. Eiusmodi Decreta, ni fallimur, triginta sunt: duodecim ad primam pertinent classem, octo ad secundam, decem denique ad tertiam.

Iam nunc principium generale alias (*V. Ephemerid. 1892, num. 3, pag. 161*) firmatum non possumus quin confirmemus; imo ad casum illic quod attinet relatum, dicimus vix illud exceptionem pati. Casus tamen hic

propositus diversus quidem apparet, agit enim de Episcopo Ecclesiam non Cathedralem ingrediente in processione S. Marci; at superius enunciatum principium et hic applicandum esse iure merito docemus. Duo huic principio Decreta se opponere videntur: alterum *Lauden.* ad 3. d. d. 18 Ian. 1653, quod nihilominus cum de consuetudine agat, legem iubere nequit: alterum pro eadem Laudensi Ecclesia emanatum *6 Apr. 1680*, quod eamdem consuetudinem vult retineri, et confirmat. Ex hoc quoque igitur decreto nihil argui potest contra principium generale, quod innumeris aliis statuitur decretis. Hinc iure merito sapiens S. R. Congregationis Tribunal expetitum die 18 Aug. 1884 ab Episcopo Bergomensi, utrum intellexerit his duobus Decretis statuto principio derogare, **Negative** respondit; iussitque ut **Decreta pro opportunitate serventur.** Stat ergo generale principium, viginti circiter firmatum Decretis, ut aspersorium Episcopo Ecclesiam aliquam suae Dioecesis ingredienti, haud a digniore Canonicorum, qui eum forte comitantur, sive cappa sint redimiti sive non, sive etiam dignior quibusdam in rerum adiunctis pluviale sit indutus, sed a digniori ipsiusmet Ecclesiae, quam Episcopus intrat. Quod et servandum in processione S. Marci non est ambigendum, cum nulla in oppositum ratio suppetat. Itaque adm. Rev. Inquirens exposita perpendat, et in sua Decretorum peritia facile intelliget, omne in praesenti negotio deponi posse dubium, quod nulli fundamento innititur.

III. *E Pedemontio.* **De quodam ritu in Communione ministranda**. In distributione SSmae Eucharistiae, si Sacerdos ob magnum communicantium numerum ad altare redire debeat, ad aliam pyxidem cum particulis

accipiendam, denuo ne repetere debet, ad populum versus, " Ecce agnus Dei etc. „?

Resp. Negative. Secunda enim distributio, non est nisi continuatio primae; cum ergo verba *Ecce agnus Dei* in initio actionis, sicut praecipit Rubrica, dicta sint, amplius locum non habent. Insuper, praedicta verba ad innovandam fidem in Christum realiter praesentem, et memoriam passionis eius, sicuti et ad excitandum desiderium communicantium suscipiendi Ipsum, Ecclesia in ore ponit Sacerdotis, SSñam Eucharistiam distribuentis. Qua ergo ratione iterarentur, cum Ecclesiae propositum iam obtentum sit? Qui enim particulis in altera pyxide positis communicant, certe iam aderant saltem cum distributio incoepta fuit; verba quapropter audierunt, fidemque et ardens desiderium Christum suscipiendi in cordibus suis excitasse praesumitur.

IV. *Ex eodem loco.* **De benedictione coronae unius decadis**. Quid dicendum de novis coronis unius decadis? Si benedicantur, acquirunt ne Indulgentiam?

Resp. Rev. Inquirens vel de nova forma data coronae, a S. Dominico dictae, loquitur, vel de corona aliqua de novo inventa. Si primum, dicimus, ipsam haud ita posse benedici, ut indulgentiis ditetur; Ecclesia enim non tantum materiam simpliciter coronarum benedicere et indulgentiis ditare intendit, sed materiam sub tali forma, uti facile erui potest ex innumeris S. Ind. Congregationis responsis. Atqui corona unius decadis, formam non praeserfert ab Ecclesia requisitam: ergo etc. Si alterum, reponimus, ex decreto iussu Benedicti XIV edito, ac Indici librorum prohibitorum praeposito (*§. IV, n. 8*), prohibentur Rosaria quaecumque de novo inventa aut invenienda sine opportuna S. Sedis facultate.

V. *Ex Urbe.* **De obligatione Cantus liturgici in Missali inscripti.** Quaeritur utrum Missam decantantes teneantur ad Cantum liturgicum in illa exequendum, prouti prostat in Missali.

Resp. Affirmative. In primis dicendum est hanc quaestionem pertractatam iam fuisse ac resolutam in Ephem. ann. 1891 p. 472, XII. p. 663. - p. 698. - Sufficiat nobis adiungere quod aliter agens valde probat, se prorsus carere scientia liturgica debita hac in re. Quoad intonationem *Gloria in excelsis*, et *Credo* a Celebrante, et *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* a Diacono in Missa solemni, ut alia omittamus, aperiamus Missale Romanum, percurramusque tantisper *Const. Quo primum, S. Pii V*, ac videamus quid velit, quid praecipiat; an verba Sum. Pont. sint praeceptiva vel tantum directiva: " Quo primum ... *Mandantes ac districte* „ *omnibus et singulis* ecclesiarum praedictarum *Patriar-* „ *chis, administratoribus, aliisque personis quacumque eccle-* „ *siastica dignitate fulgentibus*, etiamsi S. R. E. Cardi- „ nales aut cuiusvis alterius gradus et praeeminentiae „ fuerint, *illis in virtute sanctae obedientiae* praecipien- „ tes, ut ceteris omnibus rationibus ... in posterum „ penitus omissis, ac plane reiectis, *Missam iuxta ritum,* „ *modum, ac normam, quae per Missale hoc a nobis nunc* „ *traditur, decantent, ac legant...* „ et hoc quidem sub gravissimis poenis. Ubinam reperitur merum consilium, mera directio? — Idem iterum atque iterum confirmatur atque renovatur in *Const. Cum Sanctissimum* Clem. VIII. et *Si Quid.* Urb. VIII. Denique S. R. C. in Decreto posito in initio Missalis Rom. haec addit: " Demum renovando decreta alias facta, *mandat Sacra* „ *Congregatio in omnibus et per omnia servari rubricas* „ *Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et* „ *contraria consuetudine, quam abusum esse declarat* „.

Et certe S. R. C. hoc in Decreto comprehendit regulas circa cantum liturgicum in Missali Rom. contentas. —Ergo iure concludendum est nobis, aliter agentem non legisse supracitatas Constitutiones in initio Missal. Rom. positas. — Quoad Litanias maiores sive in Sabbato Sancto sive occasione Expositionis pro 40 Horis cantandas, legatur Miss. Rom. in Sabbato Sancto, et videatur an vere liceat cantare prout cuique libuerit! Quoad cantum Gregorianum sive in Missa solemni, sive in Missa cantata pro Defunctis, sive in Vesperis solemnibus, sive in aliis Functionibus sacris, aperiatur Caerem. Ep. Lib. I. c. XXVII, et videatur an cuique liceat cantare prout sibi libuerit. Quoad tonum Epistolae, Evangelii, imo Capitulorum, intonationum Antiphonarum, aperiatur ac legatur Caerem. Ep. loc. cit. legantur Pont. Rom., Rituale Rom., Directorium Chori, et his in Libris quaeratur mens Ecclesiae in cantu liturgico. — Qua vocis modutatione confessio per Diaconum ante communionem in Missa solemni facienda sit, consulas Caerem. Ep. Lib. III, c. XXXIX; studeas Constitutionibus huic libro appositis, et indicatis, studeas ceteris libris liturgicis de cantu liturgico tractantibus, et postea adhuc defendatur oppositum. Non accipimus hic praeceptum quoad singulas notas musicales in unoquoque tono, sed quoad suam substantiam. Asserimus igitur quod Celebrans debeat cantare, saltem quoad substantiam, e. g. *Gloria*, prout notatur pro diversitate Festorum ac Missarum etc. — Item de Diacono quoad *Ita Missa est* et *Benedicamus Domino;* consequenter quod non fas est Celebranti in Missis B. M. V. uti tono *Gloria* praescripto in duplicibus, et solemnibus diebus; item de Diacono dicimus quoad *Ite Missa est* etc. Asserimus adhuc, quod utrique non licet aliquam sumere modulationem in casu

non inscriptam, seu notatam in Missali Romano, quod uterque debet cantare in tono debito, quin attendat choro, qui debet prosequi cantum. — Et probamus nostrum assertum ex Dec. S. R. C. in una Ratisbonen. 25 Maii 1877 ad Dubia I. II. III. ubi dicitur: 1° canendum *Gloria in excelsis* et *Ite Missa est* in tono de B. M. V. infra Octavas Nativ. Dñi et Corporis Christi: — 2° in festis infra Oct. Nativ. sicut in omnibus festis infra Octav. Corporis Christi incidentibus: — et 3° in genere, quoties Praef. de Nativ. Dñi dicenda est. — Ergo quotiescumque in Missa dicenda est Praef. de Nativ. Dñi, semper *Gloria* et *Ite Missa est* in tono B. M. V. a Celebrante et Diacono cantari debent, et eis fas non est eligere tonum alterum. Quod constat ex Iure Canonico, ubi docetur cum consensu DD. quod *Verba legis accipienda sunt cum effectu,* i. e. nihil otiosum, nihil frustra in lege dictum esse censendum est, quod *verba legis, nisi aliud obstet, accipienda sunt secundum propriam significationem.* Et certe quod S. R. C. in casu voluit, scivit, et quod voluit et scivit, expressit (1). Quoad Litaniarum cantum sufficit audire cantum e. g. occasione Ordinationum Generalium, quae saepe fiunt in Archibasilica S. Ioannis Lateranensis. — Quoad *Gloria* etc. sufficit audire cantum in Ecclesia Missionis.

VI. *Ex eodem loco.* **De libris in usu contrariis S. R. Congregationis Decretis.** Quid facere debeat Superior Ordinis Regularis vel Congregationis reperiens Libros Consuetudinarios Instituti, etiam immemoriales, contrarios esse, contradicere ac repugnare S. R. C. Decretis?

(1) Cantus vero *Credo* est unicus prout in Missali Rom. notatur in omnibus festis.

Resp. Res est facillima; nempe omnino tenetur ex Libris Consuetudinariis, Directoriisque omnes dispositiones praefatas delere, penitusque expungere, prout oritur ex S. R. C. Decreto in una *Molinen.* 26 Sept. 1857 ad XIX, ubi S. eadem C. reprobavit dispositiones *contrarias* Rubricis ac Decretis, sed Libris consuetudinariis, equidem antiquis, conformes. Praeterea consuetudines contradicentes ac repugnantes Rubricis vel S. R. C. Decretis, non sunt nisi abusus prorsus eliminandi, ut clare constat ex Const. **Apostolici Magisterii** Innocentii XIII, 23 Maii 1723, exque pluribus aliis S. R. C. decretis.

VII. *E Gallia.* **De ritibus post communionem a Sacerdote exequendis.** Quaeritur: utrum Sacerdos, in Communione Fidelium extra Missam, omnibus communicatis, ac reversus ad Altare, genuflexioneque peracta, debeat, dum dicit: *O Sacrum etc.*, super aperta Pyxide pollicem et indicem manus dextrae tergere, Pyxidem aperire, abluere ac purificatorio abstergere: vel reversus ad Altare, tenensque digitos super Pyxidem apertam iunctos, oculisque in Sacramentum intentis, dicere *O Sacrum* etc., antequam Pyxidem cooperiat, manusque abluat ac abstergat?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Et probatur; nam omnes Auctores Liturgici recentiores primum docent modum: sic Cl. Martinucci Lib. I, c. XXII. §. 2, n. 13, Baldeschi tom. I, c. III, art. II, n. 11. A Carpo in suo Caeremoniali p. II, c. I, art. XII, n. 103., Zualdi *in suo Caeremoniali Missae privatae* p. III, c. III, n. 4. De Herdt. etc. Bauldryus quidem p. III, tit. XIII, c. VIII, n. X, Meratus in Gav. p. II, tit. X, n. XXXII, aliique nonnulli antiquiores Auctores contrarium docent. Sed animadvertendum est quod, cum hac in re nihil a

Rubrica praescriptum sit expresse, cum praeterea haec sint Iuris positivi ac proinde mutabilia secundum diversa temporum adiuncta ac Doctorum sententias, longe melius est stare praxi actuali ac Auctorum recentiorum doctrinae. Est usus omnium Ecclesiarum Urbis, et confirmatus doctrina omnium probatorum Auctorum in Urbe degentium.

Secundus modus quidem prima fronte videtur magis ponere reverentiam erga SS. Sacramentum, sed, ut nobis videtur, non praesefert nisi speciem pietatis ac reverentiae, sapiens potius exagerationem ponensque singularitatem, prout contradicens ac repugnans disciplinae actuali, traditae ac comprobatae praxi Urbis, consensuque Auctorum recentium ac Auctorum probatorum. Denique hac in re, sicut in ceteris, prorsus nocivum est non sapere ad sobrietatem, scilicet se ostendere sapientiorem omnibus Auctoribus competentibus.

VIII. *E Bruxellis.* **De separatione Matutini a Laudibus in choro.** Utrum liceat separare in Choro recitationem Matutini a Laudibus, praesertim si Officium recitatur ab omnibus Choralibus stantibus, SS. Sacramento exposito?

Resp. Negative; et probatur ex Decreto S. R. C. in una Societatis Presbyterorum SS. Sacramenti, die 11 Martii 1871 ad postulatum positum post IV Dubium, in quo Orator petebat: " Postulavit insuper „ ut liceat suae Societatis Alumnis in choro recitationem Matutini a Laudibus seiungere, ita ut Matutinum anticipetur pridie primis vespertinis Horis, „ et Laudes recitentur summo mane, quum Alumnis „ suis media nocte surgere ad Matutinum cum Laudibus recitandum impossibile sit, dum quisque ad „ adorationem faciendam perdurante nocte per turnum

„ surgere debeat „. S. eadem Congr. respondit: “ Negative „. Atque ita rescripsit et servari mandavit; et iure quidem, quum Matutinum et Laudes unicam constituant Horam Canonicam (1); et non sint nisi septem Horae Canonicae. In recitatione privata utique Matutinum potest separari a Laudibus, non vero quando Officium recitatur in Choro. Nullus Ordo Regularis, ni fallimur, tali gaudet privilegio, quod nimis adversaretur disciplinae Ecclesiae hac in re.

Equidem dari potest casus, quo Communitas aliqua choro non sit adstricta. Sed reponimus, dato etiam quod Ecclesia non obligetur Choro, idem servandum esse, quia disciplina Ecclesiae hoc in casu non respicit Ecclesias solum obligatas ad Chorum, sed Officium Divinum dicendum in Choro. Cum enim aliquis actus liturgicus exercetur, non ex obligatione fortassis, eo certe modo exerceri decet, quo praescribitur. Sed in casu ab Ecclesia praescribitur, ut in Choro non separetur Matutinum a Laudibus; ergo si aliquis publicus actus liturgicus, qui ponendus est ex obligatione, fieri non debet nisi iuxta legem, a fortiori actus eiusdem naturae, qui sub nulla obligatione praescribitur. Insuper nullius roboris est ratio desumpta ex consuetudine, prout repugnans disciplinae Ecclesiae. Ut scimus ex diligentissimis a nobis pluries factis inquisitionibus, haec facultas in nullis reperitur Constitutionibus Institutorum. Imo etiamsi in his haberetur, adhuc standum foret Decreto S. R. C. supra citato, ut patet ex iure Canonico. Denique ne dicatur quod Off. integrum recitatur a choralibus stantibus: concedimus factum, sed respondemus: si chorales non valeant ob infirmi-

(1) Non caret mysteriis hic numerus Horarum septenarius, ut bene Gav. Sect. I, c. III, tit. I, n. 5.

tatem, lassitudinemque totum Off. in Choro stantes recitare, potius sedeant, quam seiungant Matutinum a Laudibus. Utique, ut sapienter declarat Caerem. Ep. Lib. II, c. XXXIII, n. 33. loquendo de Vesperis, et Officiis Divinis persolutis coram SS. Sacramento exposito infra Octav. Corporis Christi, " Conveniens esset, „ ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, „ quam Canonici, et omnes praesentes, et in Choro „ assistentes, durante Officio, starent semper capite „ detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitu„ dinem Officii praestare non poterunt, non omittan„ tant saltem in signum reverentiae, detecto capite, „ existente Sanctissimo Sacramento super Altari, divi„ nis Officiis assistere „.

Congruentius esset ergo semper stare in Officiis Divinis coram SS. Sñto exposito, sed non est vetitum sedere; at prohibitum est omnino separare in Choro Matutinum a Laudibus. Ergo longe melius est minorem erga SS. Eucharistiam publice expositam ostendere reverentiam, approbatam ab Ecclesia, quam inducere consuetudinem, quae est abusus et corruptela prorsus opposita Ecclesiae disciplinae, eiusque abrumpens nervum, contradicere praxi omnium Ordinum ac Ecclesiarum etiam privilegiatarum, repugnans menti ac voluntati Ecclesiae clare manifestatae in supracitato Decreto. Ergo est usus reprobandus ut essentialiter pravus, damnandus, ac omnino tollendus.

IX. *Ex eodem loco.* **De situ crucis in altari, et de campanula pulsanda in Missa.** Quaeritur: Utrum Crux in altari collocari possit eo praecise in loco, super quo SS. Sacramentum in Ostensorio exponitur: et utrum campanulae sonitus possit omitti in Missa, quando Sacramentum non est solemniter expositum?

Resp. Negative ad primum, et probatur. Extat Decretum S. R. C. in una *Cuneen.* 2 Iunii 1883 ad III, quod sic se habet: " Utrum tolerari possit usus statuendi crucem super throno, et in eo praecise loco, super quo publicae adorationi in Ostensorio exponitur SSm̃a Eucharistia? Et quatenus affirmative, num tolerari possit usus Crucem ipsam superimponendi corporali, quod Expositioni inservit "? Cui Dubio S. R. C. respondit: Ad III. " Negative in omnibus "; atque ita rescripsit, declaravit, servari mandavit. Ergo usus praedictus damnandus est atque eliminandus, prout abusus et corruptela. Eo ipso quod simplex Crux collocatur super thronum, in quo cum baldachino exponitur SS. Sacramentum, thronus cum baldachino non amplius tribuit SSm̃ae Eucharistiae honorem omnino specialem, extraordinarium, qui deberet comitari ac manifestare ipsius expositionem. Baldachinum reservatur specialiter SSm̃o Sacramento publice exposito, rei ipsi contentae sub sacris speciebus, non vero figurae, id est tanquam Regi, Christo publice exponendo seu exposito. Consuetudo non est invocanda, prout manifeste repugnans ac contradicens Caerem. Ep. et pluribus Decretis S. R. C. quae damnant talem consuetudinem ut abusum.

2.° Quoad secundum, pariter negative; talis usus damnatur Decreto S. R. C. in una *Marianopolitana* die 18 Iulii 1885 ad XII. Nam Dubio proposito: " Utrum Rubrica, qua praecipitur campanulam a ministro Missae lectae pulsari, spectet ad Oratoria..., in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro "? S. eadem Cong. respondit: Ad XII. " Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis Oratoriis ". Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Ergo usus contrarius Decreto damnatur; non suffragatur

consuetudo contraria, ut patet in responsione ad primum.

Haec quaestio iam pertractata fuit in Ephem. Liturg. i. e. ann. 1888, p. 391-392. Nec dices quod sonitus campanulae locum non habet in capellis, equidem omnino separatis ab Ecclesia, in qua publice expositum manet SS. Sacramentum, sed ab eadem parum distantibus; nam istud effugium nullius roboris est, perinde ac si praedictae capellae forent veluti partes Ecclesiae, quia his in locis saepe dicitur vel cantatur Missa de Requie, quod certe non liceret, si essent partes Ecclesiae. Nec iterum dices: parumper audietur sonitus campanulae ab fidelibus stantibus in Ecclesia intentis ad adorationem SSm̃i Sacramenti, ab eoque distrahet; cui respondetur dicendo, quod sufficit leviter pulsare campanulam ad servandum praescriptum Rubricae et Decreti supracitati, et ad excitandam mentem Celebrantis ad orationem elevationemque in Deum.

X. *Ex eodem loco.* **De quibusdam genuflexionibus ad altare Sacramenti solemniter expositi.** In quadam Ecclesia, dum Sacramentum est expositum, clericus ad altare custodiendum deputatus sequenti modo se gerit: scilicet, cum est extendenda tobalea super Altaris mensam, primo aptat partem a cornu Evangelii ad mediam mensam usque. Deinde, cum certe sufficeret transire in ipso suppedaneo cum simplici genuflexione ad cornu Epistolae, quod simpliciter esset faciendum, genuflectit in suppedaneo, descendit a latere per longiorem viam, transit in plano ante Altare, iterum genuflectit infra gradus, ascendit a latere Epistolae per longiorem viam in suppedaneum, tertia vice genuflectit, et aptat alteram extremitatem tobaleae. — Item prorsus fit, sive quum defert candelabra, et vascula florum ad Altare, sive quando accendit et

extinguit candelas in Altari, vel quodlibet aliud operatur; hinc quaeritur, an haec omnia rite se habeant?

Resp. Negative, et quidem iure, ut clare patebit. Primo nescimus quam ab causam sic agatur in casibus supracitatis: fortassis ob maiorem reverentiam erga SS. Sacramentum; sed frustra. Utique pietas valde utilis est ad augendam conservandamque reverentiam in SS. Euch.; verumtamen illa semper recto debet sensui respondere, nihil in se habere repugnans, aliquid habens offensionis, ne evadat ridicula, ne avertat a Cultu Divino, quum deberet potius sua suavitate ac decore attrahere; quod valde considerandum ac ponderandum est. Hic modus agendi, ut facile patet omni consideranti, sapit ac redolet devotionis excessum, novam singularitatem ac affectationem. Nonne Celebrans cum Sacris Ministris in Missa solemni semper et rite transeunt in ipso suppedaneo, SSmo exposito? Nonne iidem faciunt in thurificatione Altaris? Nemo tamen eos accusat modica pietate et incoherentia. — Verificatur bene adagium: *in medio stat virtus.* Fas nobis sit concludere quod longe satius est, et quidem iuxta sensum communem, mentemque Sacrae Liturgiae, ac veram pietatem, si Sacrista aliique omnes his in casibus transeant in ipso suppedaneo, facientes reverenter in transitu genuflexionem unico genu. Haec itaque pro tutiori praxi Rectori Ecclesiae N. sunt suggerenda, ut in Almum Euch. Sacramentum cultum ostendat debitum.

N. B. Insuper bene notandum est 1° quod Subdiaconus cum defert, in Missa solemni coram SSmo exposito, Missale ante Evangelium, non debet tres genuflexiones facere, nempe: primam in suppedaneo a parte Epistolae, alteram in plano in transitu ante Altare, tertiam in suppedaneo a parte Evangelii, sed

duas tantum, nimirum: unam in suppedaneo in recessu a cornu Epistolae, et aliam in accessu ad cornu Evangelii in suppedaneo: 2° quod idem faciendum est a Ministro Missae privatae in Altari expositionis, quando defert Missale in Missa; 3° quod quoties aliquis ascendit ad Altare vel ab eodem descendit, non necesse est, quod hoc faciat transeundo per longiorem viam; sed sufficit quod e. g. ab Altari descendens, paululum se retrahat ad cornu Evangelii vel Epistolae, ne directe terga vertat Sacramento, ut Celebrans in Missa sive solemni sive privata et in casibus similibus.

XI. *E Dioecesi Veronensi.* **De Translatione Indulgentiae in translatione SS. Cordis Iesu.** Hoc anno festum mobile SS. Cordis cum fixo S. Ioannis Baptistae occurrit, et transferri debuit in sequentem diem tamquam in propriam sedem (*Decr. Urb. et Orb. 28 Jun. 1889*). Iam quaeritur: Utri ex diebus annexa censenda erat Indulgentia? An diei quo occurrit, an diei in quem translatum est SS. Cor Iesu?

Resp. Principium definitum ponimus: " Omnes indulgentiae, quae... festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur... translatae intelligantur pro eo die, quo festa... etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem... sive in perpetuum... sive ad tempus... legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nulla fieri translationem decrevit „ S. Indulg. Congregatio (*9 Aug. 1852*).

Aliud quoque certum et indiscutibile principium admittendum est, videlicet: " Translato festo in perpetuum... ad aliam diem, sive ex speciali S. R. Congregationis decreto, sive a praescripto Rubricarum

assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transferatur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione (*12 Ian. 1878*) „.

Ex hoc postremo ac recentiori Decreto sequitur, ita primum et antiquius esse, ad ultimam quod spectat partem, intelligendum, ut indulgentia uno tantum in casu non transferatur, videlicet: quando festum et per accidens tantum transfertur quoad officium et Missam, et sine ulla externa solemnitate transfertur.

Ergo sive festi transferatur (perpetuo vel per accidens non interest) officium et Missa cum externa solemnitate, sive externa tantum solemnitas sine officio et Missa: sive perpetuo transferatur officium et Missa sine ulla externa solemnitate, semper diei translato adnexa est indulgentia: hoc in aprico est, et dubio locum impraesenti non relinquit.

Hisce positis, inquirimus: Festum SS. Cordis quo sensu transfertur? Profecto non perpetuo, sed tantum per accidens; ergo ratione officii et Missae perpetuo translatorum, sive cum, sive sine externa solemnitate, indulgentia diei perpetuo translato non competit in casu, quia non est eiusmodi. Manet ergo ut quaestio fiat de accidentali translatione, quae tunc tantum fert secum indulgentiam, cum trahit quoque secum externam solemnitatem, sive cum officio et Missa, sive non.

Hinc quaeritur: Translatio SS. Cordis Iesu in casu, trahit ne secum solemnitatem externam seu extrinsecam? Ex responsione, si certa dari possit, affirmativa, vel negativa, abunde patebit proposito Dubio certa responsio.

In quo autem huiusmodi solemnitas externa consistat, licet plura complectatur, facile tamen conveniendum. Etenim norunt omnes, feriationem, seu festum fori, apparatum aliquem peculiarem Ecclesiae, expositionem cum luminibus Sacrae imaginis, populi ad Ecclesiam concursum, specialium precum effusionem, functionem relativam, aliaque eiusmodi: haec sive omnes simul, sive ex parte, extrinsecam solemnitatem constituunt.

Itaque, aut haec praefata habuerunt in casu locum, vel habebunt in die translata; et indulgentia eidem diei adnexa censenda est, haud diei, quo officium simplex et Missa facta sunt: aut non habuerunt vel non habebunt locum in die translationis, sive haec eadem peracta in die festi fuerint sive non; et tunc indulgentia non erit censenda diei translato adnexa, sed festo.

Adm. Rev. Inquirens notat, translationem extrinsecae solemnitatis fieri non posse, nisi *de licentia Ordinarii;* citatque tria decreta, ex quibus hanc clausulam probat. Ad nos quod attinet, reponimus, primum Decretum Indulg. quod esset 16 Sept. 1841, quamvis inter alia authentica citatum vidimus, nihilominus reperire nos non potuisse: alia vero duo, nempe 12 Ian. 1878, et 9 Aug. 1852, attente perlegisse, et restrictionem praedictam haud invenisse. Arbitramur ergo, translato festo, Rubricarum vel Decreti iure, ut in casu, Parochos aliosque Ecclesiarum Rectores optime posse et extrinsecam cum illo solemnitatem transferre in utilitatem fidelium. Ceterum, dato etiam praefatam licentiam requiri, haud credimus nimis super hoc insistendum, cum vel implicita esse possit, vel tacita, vel praesumpta. Ordinariis enim nil magis esse corde iure merito censendum, quam

ovium sibi commissarum bonum. Ita salvo meliori iudicio.

XII. *E Republica Mexicana.* **De Patronis locorum quoad Regulares.** Patronus principalis Nationis Mexicanae est B. Maria V. de Guadalupe, quae die 12 Decembris sub ritu duplici primae classis cum octava recolitur, etiam a Regularibus, ex privilegio Benedicti XIV.

Praeterea Clerus secularis, praeter Patronum Civitatis et Dioecesis, S. Rosam a S. Maria sub ritu duplici primae classis cum octava, uti Patronam principalem totius Americae, recolit. Sed Regulares non ita. Quidam enim idem festum sub ritu duplici primae classis sed sine octava recolunt, quidam vero sub ritu duplici tantum, prouti in universa Ecclesia, ipsum celebrant. Quinam recte?

Resp. B. M. Virgo de Guadalupe nec non S. Rosa a S. Maria sunt duo patroni, principales quidem sed universales. Atqui ex pluribus Decretis abunde constat, Regulares, secluso peculiari indulto, non posse de duobus Patronis eiusdem loci officium recitare ritu Patronorum proprio. Ita sentiunt innixi Constitutioni Urbani Pontificis VIII (*Orthodoxorum 2 Ian. 1669*) Gavantus, Meratus, Quarti, Guyetus aliique, seu dictam commentantes Constitutionem, seu S. R. Congregationis decreta exponentes. Vi enim Rubricae, unius tantum Patroni sub ritu dup. primae classis cum octava, sine octava a Regularibus, recitari potest officium. Id autem comprobatur, si licet de duobus Patronis sub eodem ritu solemni fiat, alter tamen eorum particularis est, alter universalis; sed comprobari nequit quando vel uterque particularis est, vel etiam uterque universalis, ut in casu nostro. Cum ergo Regulares aliqui in regno Mexicano sub ritu competenti celebrent officium B. Mariae de Guadalupe Nationis

Patronae, non tenentur etiam ad recitationem officii S. Rosae Americae Patronae sub eodem ritu.

Errant ne ergo Regulares alii, qui S. Rosam quoque uti Patronam recolunt? Iure liturgico communi inspecto, affirmative; sed non idem facile asserendum, attenta vi aut indulti, aut consuetudinis, de quibus silemus.

XIII. *E Provincia Ianuensi.* **De tribus mappis in altari ubi raro celebratur**. Altaria in quibus numquam, vel valde raro Missa celebratur, loco tobalearum, cooperiri ne possunt, quando in ipsis non celebratur, aliquo panno rubei vel viridis coloris?

Resp. Affirmative reponendum certo est, maxime si id fiat diebus profestis. Rubrica enim tres mappas seu tobaleas in unoquoque altari requirens, iuxta expositores ac commentatores, de altari intelligenda est, in ordine ad Missae Sacrificium. Quarti enim (*part. 1, tit. 20, dub. 8*) docet, sententiam communem esse, ex rigore praecepti et ad vitandum mortale, duas sufficere tobaleas praeter corporale, vel unam duplicatam.

Ex qua doctrina, praesertim ex verbis *praeter corporale*, manifeste eruitur mappas altarium ordinem dicere ad Sacrificium, et propter ipsum requiri.

Adde insuper, ex Rubricarum praescripto, et ex S. R. Congregationis Decretis, mappas ex lino aut cannabe esse debere, simul ac benedictas. Quae, ob ordinem, ad Missae Sacrificium, certo praescribuntur.

In altari ergo illo in tempore, quo Missa non celebratur, mappae a Rubrica minime requiruntur; quapropter bene cooperiri potest ad sordes impediendas panno aliquo decenti. Diximus tamen, maxime diebus profestis; etenim indecorum nobis appareret, diebus solemnioribus, altare licet laterale una saltem mappa munda et oblonga non cooperiri.

BIBLIOGRAPHIA

Novus prodiit liber in lucem, cui titulus: Caeremoniale Romano-Seraphicum; et operae pretium iudicamus parumprer super eo immorari, utpote Opus Venerabilibus Consociatis nostris, ceteris que sacrae Liturgiae cultoribus perutile. Equidem ad specialem redactum est usum FF. Minorum Capuccinorum uti ex ipsomet patet titulo; magno nihilominus posse vertere commodo ecclesiasticorum omnium certiores lectores facimus.

1. Praeter enim consuetudines Fratrum Minor. S. Francisci proprias, pro quibus specialiter Opus exaratum fuit, ritus omnes ac caeremonias ad sacras quascumque functiones spectantia, ordine, brevitate, perspicuïtate exponit evolvitque. Omnia autem, quae Religiosi illius Ordinis sunt propria, ab aliis, quae ecclesiasticis cunctis sunt communia, discernere unicuique ex contextu et exponendi ratione facillimum erit.

2. Licet Operis natura haud secum ferat necessitatem probandi quod asseritur, sed rituum tantum caeremoniarumque modum et ordinem; in hoc nihilominus Caeremoniale reperies (in iis inquam aliquid dubii vel discussionis praeseferentibus) competentes continuo citatas auctoritates seu Rubricarum Generalium, seu Decretorum S. R. Congregationis. Ut consequenter nil Caeremoniale doceat, quin vel admissum communiter sit, vel legitime probatum.

Sed peculiari aestimatione ceteris hucusque vulgatis huiusmodi Caeremoniale alia de causa praestat.

Notum est enim, in Liturgia incepisse iam S. R. Congregationem quasdam immutare dispositiones antiquiori aetate emanatas, quarum peracta nondum fuit evulgatio. Nunc autem Caeremoniale, cuius iure merito laudes inteximus, cunctis recentioribus hisce dispositionibus apprime respondet. Uni enim ex R̃mis Apostolicarum Caeremoniarum Magistris Operis revisionem commisit S. R. C. qui curam suscepit quae in illo contenta sunt perpendendi, et ad normam praesentis iuris in singulis reducendi.

4. Quod tandem nobis et forte omnibus admirationem excitat, nescimus enim num in quibuscumque aliis Caeremonialibus idem contigerit, est authentica S. R. Congregationis approbatio. Toti enim praemittitur Operi Decretum, quo Sacrum Tribunal declarat, *Revisione rite peracta, praesens Opus, cui titulus etc. solerti equidem studio exaratum liturgicis legibus apprime consonum*. Consequenter ab eo ulterius commentando merito abstinemus, cum et dicta, et praefata maxime declaratio Operis excellentiam satis abunde praedicent. Nostri ergo velut officii ducimus Caeremoniale Romano-Seraphicum Venerabilibus Consociatis Ephemeridum Liturgicarum maximopere commendare (*Vid. Operiment huius num. pro reliq.*).

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE UNICA AQUAE BAPTISMALIS BENEDICTIONE PER ANNUM CUM CEREO MANU SIMPLICITER BENEDICTO.

Titius Parochus benedictionem aquae baptismalis in sua Ecclesia semel in anno peragit, hoc est in pervigilio Pentecostes; in Sabbato Sancto autem omittit, quia sacri ministri, quibus ad functionem cum decore agendam utitur, legitime impediuntur. Ex quo sequitur, eum hanc baptismalem aquam ad Sabbatum usque Pentecostes quotannis servare. Cum vero illius corruptionem timeat, optimum iudicat, meliori qua potest ratione, Oleum Sanctum sicut et catechumenorum ipsumque Chrisma e superficie aquae statim post benedictione absoluta colligere, ex his enim oleis corruptio aquae derivat. Nuper vero elapso anno accidit quoque, ut cereus, quem Subdiaconus (acolytho enim Parochus uti renuit) deferre debebat in processione ad fontem, adeo vehementer in terram decideret, ut iam comminutus ad consuetum in fontis benedictione usum amplius inservire non potuerit. Quapropter cum alio praegrandiori cereo in Sabbato Sancto benedicto Parochus uti non valeret, novum cereum illico manu benedicit, eoque utitur in functione, immittens et extrahens de fonte iuxta Missalis Rubricas, sicque ritus reliquos exercet, prouti praescriptum est. Quae omnia,

cum approbare vix possit Caius alterius paroeciae Rector, haec tria secum quaerit:

1. *Quid dicendum veniat de antiquitate et tempore benedictionis fontis baptismalis, quidque observandum ea de re circa graecam Ecclesiam?*

2. *Utrum in Ecclesiis fontem baptismalem habentibus, eius benedictio in pervigilio tam Paschatis quam Pentecostes praeceptiva sit?*

3. *Quid de agendi ratione Caii sit censendum, seu in adhibita aquae servandae methodo, seu circa usum cerei manu benedicti, seu denique circa eiusdem cerei delationem per Subdiaconum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Ioseph Gasperini e Pontif. Seminario Pio, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die I Iulii 1892: acta Epitoma per Rmum. P. Petrum Desideri parochum e Camilliadibus.

1. Quaeritur primo quid dicendum veniat circa antiquitatem seu fontis baptismalis benedictionis, seu temporis, quo consuevit Ecclesia eiusmodi benedictionem peragere: quid praeterea circa graecam Ecclesiam ea super re animadvertendum sit.

Eiusmodi profecto est Ecclesiae catholicae natura, ut ab ipsis suis incunabulis paulatim amplitudinem illam divitiarum evolvens, quibus veluti inaestimabilibus thesauris aucta a Christo fuerat, ita mirabiliter extendit, ut semper se novis induerit splendoribus, suisque fuerit filiis incomparabili utilitati spiritus. Divitiarum diximus amplitudinem, rituum illum caeremoniarumque complexum, quibus Sacramentorum ac Sacramentalium decus magismagisque effulget.

Ad propositam quaestiunculam nostram quod pertinet, licet aqua utcumque naturalis ad animam a sordibus cunctis abluendam, forma, ut par est, accedente, ex divina institutione sufficiat; nihilominus a vetustissima aetate solemniori fuisse illam ritu benedictam, diligenterque in propriis vasculis asservatam, irrefragabilia ac plurima testimonia demonstrant. Memorabilia enim verba sunt imprimis S. Cypriani dicentis: " Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere (*Epist. LXX ad Ianuarium*) „. Ambrosius et ipse docet: " formam baptismi et usum hoc habere, ut ante fons consecretur, et tunc ascendat qui baptizandus est (*Lib. I De Sacram. cap. V*) „. Haud dissimiliter Augustinus loquitur agens de baptismo, seu contra Donatistas (*Lib. VI*), seu contra Iulianum (*Lib. IX, cap. VIII*); sed sequentia verba peculiari sunt mentione digna: " Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur (*Serm. CCCLIII*) „. Ceterum videre est Natalem Alexandrum, longum referentem agmen Patrum, seu Latinorum seu Graecorum eamdem testantium veritatem (*Lib. II Theol. Dogmat. et Mor. Tract. II, cap. I, art. II, reg. III*). Idem luculentissime comprobatur ex pluribus Ordinibus Romanis, quos cl. Martene recenset ac describit (*De antiq. Eccl. Ritib. Lib. I, cap. XIII, art. XVIII*).

Ad tempus autem transeuntes, quo fontis benedictio fieri consuevit, notandum primo est, communem in primaeva antiquitate viguisse consuetudinem baptisma conferendi maxime in duobus celebrioribus Ecclesiae solemnitatibus, Paschae videlicet et Pentecostes: ex quo iisdem diebus festis solemnis benedictio

fontis. Namque, ait Tertullianus, *diem baptismo solemniorem Pascha praestat;* et Hieremiae verba illa exponens *Congregabo illos ab extremis terrae in die festo*, ait: " Paschae diem significat et Pentecostes, qui est proprie dies festus (*Lib. De Bapt. cap. XIX*) ". Hanc itaque consuetudinem meminit Gelasius Pontifex, hanc divus Gregorius I, hanc et alter Gregorius Papa ad Clerum scribens plebemque Thuringiae, dicens: " Sancti baptismi Sacramentum nonnisi in Paschali festivitate et Pentecoste esse celebrandum (*Vita S. Bonifacii Episc. Mogunt. Mart.*) ". Insigne praeterea est Alcuini testimonium de officio agens Sabbati Sancti, scribit enim: " Hodie hora nona baptismus celebratur, sicut in Pentecoste ". Hinc Siricius Papa, sicut S. Leo magnus fontis benedictionem in duobus praefatis solemnitatibus consuetudinem romanam appellant aliarumque Ecclesiarum (*Epist. ad Himerium Episc. Tarracon. et Epist. ad Episc. Sicil.*).

De Ecclesia Graeca animadvertendum peculiariter est, et ipsam habuisse quondam eamdem consuetudinem eadem die benedicendi fontem, baptismumque conferendi, non tamen in Pascha et Pentecoste, sed in Epiphania, quod et aliquando in aliqua ex latinis Ecclesiis accidit. Divus enim Chrysostomus de baptismo Christi verba tenens, explicite docet: " Haec enim dies est, qua baptizatus est Christus, et aquarum naturam sanctificavit; propterea que in hac solemnitate, sub media nocte omnes cum aquam haustam acceperint, domum latices referunt ac recondunt ". Sebastianus autem Pauli notat, eadem in solemnitate duplicem fieri consuevisse aquae benedictionem: alteram pro aspergendo populo, alteram pro baptizandis Catechumenis (*Dissert. De ritu Eccl. Neretinae, pars I, num. VII, pag. 48*). Ceterum ipsum Graecorum Euchologium habet

formam utriusque benedictionis, sub titulo " Officium maioris aquae benedictionis in Sanctis Theophaniis " (1). Cum cl. Goario vero observandum venit, disciplinam praesentem Graecorum hac super re fuisse paulatim mutatam. Graeci enim impraesenti aquam tantum, quam lustralem dicimus, in Theophania benedicunt, haud baptismalem. " Desinente namque baptizandi, in Paschae Pentecostesque festis, more, desiit et aquam illis diebus in Oriente consecrandi consuetudo (*Euchol. Graec. In baptism. offic. Notae, n. 7*) ". Hinc quotiescumque baptismum administrant Graeci, aquam consecrant, quam post baptismum veluti sordidam statim effundunt in sacrarium, non tamen pedibus calcant, ut falso quidam fabulati sunt. Plura his super ritibus erudite exponit Denzinger, qui utiliter consuli poterit (*Ritus Oriental.*). Quidquid nihilominus de Graeca sit Ecclesia, indubium proinde tenendum est a primis viguisse saeculis consuetudinem in latina Ecclesia fontem baptismalem benedicendi, tam in Pascha quam in Pentecoste: quam consuetudinem ad nos usque pervenit, fideliterque servamus adhuc, in pervigilio praedictorum festorum, in quo solemnitas initium habet. Hinc et praesens Rituale Romanum: " Quamvis Baptismus quovis tempore... conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum San-

---

(1) Hinc forte in quibusdam Ecclesiis latinis etiam orta est consuetudo, vel potius abusus aquam quamdam benedicendi in die festo Epiphaniae, uti etiam in Urbe (in Eccl. S. Andreae *a Valle* dicta), forma ex latino et graeco ritu mixtam, quam nuper quoque S. R. Congregatio proscripsit (*Plurium Dioecesium 17 Maii 1890, confirm. a Leone Papa XIII die 11 Iun. eiusd. anni*).

ctum Paschae et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis aqua rite consecratur (*Tit. II, cap. I, n. 27*) „.

2. Hinc altera in casu petitio, quae inquirit, utrum in illis Ecclesiis, quae fonte baptismali gaudent, huiusmodi benedictio solemnis aquae in utraque ex dictis solemnitatibus, sit nec ne praeceptiva.

Cum de lege agatur, nonnisi codices aperiendi, in quibus leges liturgicae prostant. Itaque inquirendum primo quid Rituale Romanum ferat. En eius textualia verba, quibus lex exprimitur: " Aqua... solemnis baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes (*Tit. II, cap. I, n. 4*) „. Ex quibus verbis apertissime patet, Rituale Romanum hoc unum exigere, ut aqua rite benedicatur: sive autem id fiat in uno, sive in altero ex duobus Sabbatis, nil amplius illud praescribit. E Rituali ergo nil certi per se potest haberi. Nihilominus Decreta non desunt, quae evidenter in utraque solemnitate aquae baptismalis benedictionem praecipiunt. Constat primo ex Decreto in *Lucana*, d. d. 12 Apr. 1755, quod invocatur ab altero in *Urbevetana;* declarante " Parochos fontem baptismalem Sabbatis diebus Paschae et Pentecostes benedicere debere (*7 Dec. 1844*): „ contraria vero consuetudo in eodem Decreto eliminanda, uti abusus, edicitur. Aliud praeterea et recentius extat Decretum, in quo ab Episcopo S. Hippolyti exoratur S. R. Congregatio, ut declarare dignetur, utrum, ob *antiquissimam consuetudinem*, haud contrariam Rituali Romano, praxis retineri possit aquam baptismalem benedicendi tantum in Sabbato Sancto Paschatis. Iam audi responsum: " Et Sacra Congregatio, re mature perpensa, iuxta alias Decreta, ac praesertim in una Lucana, die 12 Apr. 1755, et in una Urbevetana diei 7 Dec. 1844,

rescribendum censuit: Aquam baptismalem in parochiis esse benedicendam in Sabbatis Paschae et Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet. Atque ita rescripsit et servari mandavit (*13 Apr. 1874*) „. Ex his ergo abunde patet, non solum benedictionem in casu esse in praecepto, sed nil contra eam posse quamcumque oppositam consuetudinem, quae cuicumque rationi innitatur, corruptela ex competenti auctoritate declaratur.

3. Pluribus ergo aliis omissis, quae afferri in rei confirmationem possent, videndum iam quid sit iudicandum de Titii agendi modo, quod ultimum quaesitum postulat. Imprimis dicitur, Caium in Sabbato Sancto omittere benedictionem aquae baptismalis ex ministrorum defectu, videlicet quia functionem cum decore persolvere nequit. At reponendum post exposita indubie est, Titium haud recte se gerere, quippe qui contra legem manifesto agit. Quod rationem attinet, quam affert, dicendum, ad decorem functionis non esse necessarium ministrorum numerum, quem Caeremoniale requirit; sed fieri etiam posse vel cum solis ministris Missae paratis, si adsint, iuxta Missale: vel fieri etiam tribus quatuorve cum clericis, aut etiam cum aliquibus laicis viris ad aliquod pium sodalitium pertinentibus, respectivo habitu indutis, iuxta Rituale Parvum Benedicti XIII, quod pro minoribus apposite confectum est Ecclesiis. Atque ita functio, qua fieri potest maiori minorive solemnitate facienda est, numquam vero omittenda, si enim conveniens adhibeatur studium et diligentia; aderit et functionis decor. Hinc cl. De Herdt docet, etiam Decretis superius relatis innixus, non solum tam in Sabbato Sancto quam in vigilia Pentecostes hanc peragendam

benedictionem; sed nec omitti eam posse *etiamsi nullus in fonte baptizatus fuerit:* " quia Ecclesia sine distinctione praecipit ut nova aqua in his Vigiliis benedicatur (*Pars 5, n. 54*) „. Idque profecto sapientissimis de causis, ac peculiariter ad fidem ac devotionem in populo christiano excitandam, ad abundantiores baptizatis impetrandas gratias, malignique hostis repellendas fraudes, uti perbelle divus Thomas exponit (*Libr. Sentent. IV, dict. V, quaest. 2*).

Solet praeterea Titius, meliori modo quo potest, sacra olea ex aquae superficie abradere, statim ac aqua benedicta fuit, ne haec, uti ille timet, corrumpatur. Iam nunc animadvertendum imprimis, si aqua bis in anno renovetur, ut S. R. C. praecipit, omnis forte abigendus corruptionis timor. Secundo, vix intellectu est, aquam ex oleis corrumpi, quae eam potius ab aeris contactu impedientia, praeservare nata sunt. Tertio adducitur auctoritas cl. Baruffaldi, qui (*Tit. 4, n. 11*) docet, si quandoque oleum aquae in benedictione permixtum supernatans mucescat, non esse prohibitum bombacio aquam ab oleo expurgare, cum non officiat consecrationi (1). Sed respondemus, aliud

---

(1) Auctoritatem Baruffaldi hoc super negotio retulit Doct. Piacenza, uti in Ephemeridibus Liturgicis videre est (*ann. IV, pag. 689, n. 62*). Praesentis dissertationis auctor de authenticitate auctoritatis huiusce dubitavit, quod neque literam neque sensum verborum hac in materia loco a Doct. Piacenza citato et alibi in auctore valuit reperire. Nihilominus certo tenendum est, verborum sensum, quem Doct. Piacenza retulit, in Baruffaldo revera extare, et auctoritatem citatam esse authenticam et certam, cum oculis ipsimet nostris perspexerimus. Quaestio potius afficere potest diversas editiones, in quarum aliqua, praefata verba non leguntur, neque eorum sensus.

est videre mucescens oleum in aqua, et abradere: aliud est, ob periculum plerumque vanum, idem ordinario agere post benedictionem. Ut hic de prima agendi ratione taceamus, certe altera non est probanda; dato enim etiam, aquam non amittere consecrationem, ratio nullo apparet pacto sufficiens, ut oleum ex aqua abradatur. Haec namque iis constare elementis debet, quae Rituale exigit pro baptismate conferendo, quod non comprobaretur in casu.

Sed etiam mucescente oleo, potiusquam privatae alicuius auctoris, esto probatissimi, opinioni, iure arbitramur, standum esse legi, si perspicue loquatur. Iam vero Rituale de casu corruptionis verba facit, quidque agendum tunc sit docet. En eius textualia verba: " Si vero (*aqua*) corrupta fuerit... Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra praescribitur (*Tit. II, cap. 1, n. 7*) „. Huiusmodi ergo, mucore enascente, adhibendum erit medium, quod lex suggerit, altero relicto privatae auctoritatis. Eoque magis, quod medium idem ab eodem Baruffaldo suggeritur (*Tit. IV, §. IV, n. 14*), cum dicat: " In his tribus casibus (*corruptionis, effluxionis et deficentiae*) unicum remedium docet ipse textus, et est benedictio novae aquae „.

Tertio, parvo cereo utitur Titius pro benedictione fontis, quod alius in terram decidens comminutus fuit. Indubium est, cereum alium a paschali adhiberi in casu posse dummodo benedictum, habeatque infixa quinque grana incensi, id declarante S. R. Congregatione (*Venezuela 23 Apr. 1875*). Aliud decretum d. d. 19 Iulii eiusdem anni, nonnisi benedictionem hoc in cereo, a paschali diverso, explicite exigit, et de granis incensi silet. Sed facile conveniendum ex mystica si-

gnificatione, et eadem iuxta superius decretum grana in cereo parvo requiri, et peculiarem benedictionem; atque ita interpretandos credimus auctores, qui alium a paschali cereum, dummodo benedictum, sufficere dicunt. Ita, re in se inspecta, quin reprobandum iudicemus actum Titii, qui ex casu improviso, quod necessitas illi suggessit, id operatus est.

Aliquid dicendum manet de Subdiacono, qui loco acolythi cereum detulit in processione, ita volente Parocho. Super quo animadvertendum, liturgicos quosque auctores convenire, haud ad Subdiaconum, sed ad acolythum spectare cereum deferre, qui et ante alios ministros in processione incedere debet. Ita sentiunt, ut reliquos taceamus, Gavantus, Meratus, De Herdt, Martinucci etc. Idque toto iure, ex Rubrica enim ipsius Caeremonialis Episcoporum, etiam praesente Episcopo, acolythus designatur, haud Subdiaconus pro deferendo cereo benedicto; a potiori ergo idem fiet, si Parocho, absente Episcopo, functio erit peragenda. Subdiaconus autem ad latus procedet Celebrantis, una cum Diacono. En Caeremonialis textus: " Celebrans... aliquo acolytho portante cereum benedictum accensum, medius inter Diaconum et Subdiaconum, et post ipsum sequente Episcopo, ibit ad benedicendum fontem baptismalem etc. (*Lib. IV, cap. XXVIII, n. 7*) ". In casu proinde haud lex servata fuit, sed merum Titii arbitrium, pro acolytho enim, Missae Subdiaconus intelligi nequit; immo neque alius, nisi cum solo superpelliceo, more acolythorum, indutus. Excepto ergo cerei parvi usu, in quo Titius ex necessitate excusandus, in reliquis apparet censura dignus.

SUPER INSTRUCTIONE CLEMENTINA
ANIMADVERSIONES

(*Contin. V. n. 11, pag. 684*).

Ad Octavum. Semper negative, ob legem apertissimam, in qua prohibetur, quominus, tempore expositionis, licet particularis, apponantur in Ecclesiis, lances ad eleemosynas deponendas, ne stent ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici, neque laici, sicuti ne clerici, confratres, mandatarii, aliaeve personae quaestuantes per Ecclesiam circumeant. Fere idem declaratum et innovatum fuit a S. R. C. in una *Mechlinien.* 5. Sept. 1867, ad XII, quoad expositiones SSm̃i Sacramenti in genere, praeter expositionem pro 40 Horis, in quo S. eadem Congr. permisit pias pecuniae collectiones in Ecclesia ubi est SS. Sacramentum expositum, modo fiat iuxta Ecclesiae ianuam, et absque rumore. Ut videtur, Inst. Clem. haec in se est severior quam recens istud Decretum, in quo conceditur licentia colligendi eleemosynas in expositionibus SSm̃i Sacramenti extra tempus 40 Horarum, dummodo fiat iuxta ianuam, non vero per Ecclesiam, et sine rumore. Ut patet, Decretum istud non permittit eleemosynas intra expositionem 40 Horarum ob rationes supra allatas; nam Legislator tantum hanc licentiam concessit pro expositionibus extra 40 Horas, quia nihil aliud petebatur ab Oratore, quod et fuisset negatum si petitum fuisset. Ratio, quam affert Cl. Cavalerius loc. cit. §. XXVIII. n. 1, clara est: " Ad evitandam fidelium distractionem, quam causat facile intus Ecclesiam tempore cuiusvis expositionis, inter-

dicitur eleemosynarum collectio sive mediis lancibus, vel personis stantibus, aut Ecclesiam percurrentibus „. Cl. Gardellini §. XXVIII, n. 3. Subdit: " ... Legem eludere non licet, et ubi non urgeat necessitas, servanda est regula. Concedam tamen aliquid de iuris rigore esse laxandum favore illarum Ecclesiarum, quarum opes impares sunt ad digne ac decenter illam solemnem functionem peragendam, quam propterea nequirent perficere, nisi identidem, urgentibus locorum, ac temporum circumstantiis, aliquod sibi compararent subsidium a fidelium pietate. Verumtamen magna cum cautela id fieri oportet, tum ne distrahantur ab oratione fideles, tum ne aliquibus eleemosynarum collectio offensioni, et scandalo sit. Idcirco ab ea quaeritanda intra Ecclesiae ambitum abstinendum, et melius est id fieri silenter ad Ecclesiae ianuam, etiam in expositionibus minus solemnibus, et particularibus, ad quas etiam extenditur *Instructio*. Nam huius finis praecipuus est, quod nulla praebeatur occasio fidelibus avertendi mentem, et animam ab oratione „. Quod probatur per sanctionem, quam Instructio adhuc expressius firmat, ne pauperibus Fideles intra Ecclesiam elargiantur eleemosynam; sed extra Ecclesiam per spatium decem cannarum ab Ecclesiae porta distantes stare praecipiuntur, ne clamoribus, et strepitibus Ecclesiam impleant, intusque orantes fideles distrahant, atque perturbent, ut sapienter notat Cl. Cavalerius loc. cit. Et certe Sancta Mater Ecclesia cognoscit, horum egestati succurrere quam magnum sit opus misericordiae, et meriti plenum, attamen prohibet ne ipsis fideles dent eleemosynam intra Ecclesiam! Quid ergo dicendum de usu quaestuandi Ecclesiam percurrendo, pie quidem, sed eo tempore praecise, quo fideles magis ei sunt intenti,

nempe: tempore Missarum, statim post consecrationem et elevationem, et tempore quo cantatur *Tantum ergo*, immediate ante Benedictionem SSm̃i Sacramenti? Quid dicendum quando haec collectio fit, Ecclesia fidelibus repleta?

Ad Nonum. Negative; quia lex est manifesta, cum dicat: "... Quibus (orationibus) finitis, genuflexus (celebrans) humerale velum assumet, atque *solus* ad Altare ascendens, debitis factis reverentiis, in manibus, uti dictum iam fuit, cum veli humeralis extremitatibus, Ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur, atque Sacramento supra corporale reposito, descendet, suoque loco genuflexus manebit „. Quod Cl. Gardellini, § XXXI, n. 12, explicat his verbis: "... Celebrans ... more surgit, et ascendit illico ad Altare, ibi, facta genuflexione, accipit, manibus coopertis veli extremitatibus, ostensorium, et convertens se ad populum, benedictionem impertitur. Quando autem Sacerdos ascendit ad Altare, cum eo ascendunt etiam Socii Ministri, sed hi genuflectere debent in ore suppedanei, ubi inclinati elevant pluvialis fimbrias, dum Sacerdos benedicit populum „. Ut videtur, nullo modo iubet Sacerdotem manere genuflexum ad accipiendum Ostensorium a Diacono stante, nec, data benedictione, Diaconum genuflexum recipere illud a celebrante stante, ut clare dixisset, sicut dixit et mandavit ante et post processionem sub §§. XIX, XXIV, XXX, XXXV, iuxta principium Iuris: Quando Legislator voluit dicere, scivit: ideo non dixit, quia noluit. Quod est plane conforme dispositioni Caerem. Ep. Lib. II, c. XXXIII, n. 20, 24, 27, quibus in locis aperte distinguit inter modum accipiendi Ostensorium, sive ante et post processionem, sive ante et post benedictionem. Praeterea plerique auctores

liturgici, ne dicamus omnes, loquuntur ut Cl. Gardellini supra citatus, e. g. C. Cavalerius in Cap. IX *De Repositione SS. Sñti.* — Cl. Baldeschi Append. I, Art. III, n. 58. De Repositione SS. Sñti in Oratione 40 Horarum. — Cl. Bauldry P. IV, C. XVI, Art. III, n. XXXV. — Cl. Merati, P. IV, tit. XII, n. XX, XXII. — Cl. Martinucci, Lib. II, C. XXXVIII, n. 96. — Cl. A. Carpo, P. III, C. XIV, Art. II, n. 208. Equidem ultimus praelaudatus Auctor, loc. cit. dicit quod ubi in more est positum ut Celebranti, ad dandam benedictionem, Ostensorium a Diacono porrigatur, et etiam Celebranti genuflexo a Diacono stante ante benedictionem, et Diacono genuflexo a Celebrante stante post benedictionem, hic usus servari potest. Sed respondemus dicendo, quod Cl. Auctor videtur, ni fallimur, suum probare assertum, fretus auctoritate alicuius Decr. S. R. C. in una *Lucionen.* die 12 Aug. 1854 ad 57, quod invenire non potuimus in Collect. Gardelliana, et quod fortasse inscribitur in Analect. Iuris Pontificii 2ª Serie p. 2188, 12 Aug. 1854 ad 57. Sed frustra, ut nobis videtur; nam hoc Dubium tantum loquitur de consuetudine, vi cuius Celebrans a Diacono Ostensorium accipit ante benedictionem, illudque Diacono Celebrans remittit post benedictionem, quin ullum verbum dicat de celebrante genuflexo vel stante, nec de Diacono stante vel genuflexo. Imo contrarium clare probatur ex Decreto allato; etenim S. R. C. in responsione Dubio proposito, confirmat usum supra relatum, citando proxim Ecclesiarum Urbis, in quibus viget consuetudo, qua Celebrans stans accipit Ostensorium a Diacono stante, et remittit illud Diacono pariter stante. Et certe verba Decreti memorati accipienda sunt prout sonant; sed in illo nulla fit mentio de consuetudine, prout contendit Cl. Auctor; ergo non

probatur talis consuetudo, nec assertum Auctoris. — Cl. De Herdt p. 2, n. 67. *Ritus exponendi et deponendi SS. Sacramentum §. II, n. 2, et n. 3, not. 1°* addit etiam Sacerdotem genuflexum posse Ostensorium accipere a Diacono stante, pariterque Diaconum genuflexum posse accipere Ostensorium a Celebrante stante post benedictionem SSm̃i Sacramenti, iuxta Rubr. Missalis, Feria V, in Coena Domini, et Caerem. Ep. Lib. II, cap. XXIII, nn. 12, 13, c. XXXIII, nn. 20, 24. Sed, forte Cl. Auctor non advertit, quod omnibus in locis citatis, sive Feria V in Coena Domini, sive in Festo SS. Corporis Christi, tum Rubr. Missalis Romani, tum Caerem. Ep. loquuntur tantum de Processione eiusque initio et fine, et nullo modo de benedictione cum Ostensorio, quod omnes unanimiter admittunt. Caerem. Ep. Lib. II, c. XXXIII, n. 27 clare distinguit modum accipiendi Ostensorium ante benedictionem illudque collocandi in Altare post benedictionem, a modo agendi ante et post processionem, descripto in Lib. II, c. XXIII, nn. 12, 13, et c. XXXIII, nn. 20, 24. Ergo ex hoc nihil probandum contra nos. — Iuxta principia supra posita consuetudo ista non potest sustineri, prout contraria Caerem. Ep. et Inst. Clem. locis citatis; quia iuxta Caerem. Ep. ut valeat servari consuetudo, esse debet conformis Rubricis, id est laudabilis, quod negatur in casu. — Denique Innocentius XIII. *in Const. Apostolici ministerii*, die 23 Maii 1723, haec habet: “ §. 22. Episcopi insuper abusus omnes, qui „ in ecclesiis aut saecularibus aut regularibus contra „ praescriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis „ romani vel rubricas Missalis et Breviarii irrepserint, „ studeant omnino removere. Et, si adversus ea quae „ in dicto Caeremoniali statuta sunt, consuetudinem „ etiam immemorabilem allegari contingat, postquam

„ recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam „ probatam suffragari utpote irrationabilem de iure „ non posse; executioni eorum, quae in dicto Caere- „ moniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec „ ulla suspensiva appellatio admittatur „. Ergo talem consuetudinem nullo modo posse suffragari, iure arbitramur.

Ad decimum. Negative nam ratio istius sanctionis est evidens, ut cit. Cl. Cavalerius §. XXXV, n. I, dicat: “ Eo inspicit sanctio, ut tollat e medio excusationem, quam super praeceptorum inobservantiam regulariter transgressores assolent allegare „.

CONCLUSIO.

Nobis liceat concludere ex supra dictis, certe multo melius esse Inst. Clem. fideliter et sine dispensatione servare ob reverentiam erga S. Sedem, auctorem huius tanti et tam pretiosi monumenti RR. PP. in SS. Sacramentum Altaris; longe tutius, toto tempore expositionis pro Oratione 40 Horarum, se abstinere a celebratione Missae, a Vesperis solemnibus, ab omni functione, in cantu ad Altare expositionis: quae omnia sub poenis gravissimis ab Inst. prohibentur, et prohibitiones fideliter religioseque servantur ab omnibus Ecclesiis Urbis, ne fideles distrahantur ab adoratione SS. Sacramenti, ut Clerus Populusque Romanus videat, et cognoscat hanc expositionem esse expositionem solemnem 40 Horarum, totius Urbis, pro re gravi, pro bono communi totius Ecclesiae, iussu Clementis VIII institutam, et pro causis gravissimis enumeratis in Brevi *Graves et diuturnas* huius Pontificis 25 Nov. 1592; non vero expositionem particularem alicuius piae Familiae Religiosae: ut denique et consequenter fideles magis

incitentur ad orandum iuxta causas omnes enumeratas in Brevi supracitato. Aequum est vitare, ac fugere omnes singularitates, abusus, corruptelas, consuetudines irrationabiles, quae cultum divinum depravant, et servare fideliter, amanter ac gaudenter, omnes sacros Ritus ac Caeremonias. Nobis fas sit concludere: vel Inst. Clem. est ex integro et ad unguem servanda prout continens voluntatem absolutam Sanctae Sedis summe venerabilis, ut monumentum gloriosum pietatis RR. PP. erga SS. Sacramentum, experientiaeque ipsorum per longissima tempora, instituta ad ordinandas solemnes Expositiones 40 Horarum aliasque expositiones in Alma Urbe, Matre, Domina ac Gubernatrice omnium Ecclesiarum Orbis, a qua omnes abusus et corruptelae contra sacros Ritus compescuntur: vel necessario ad competens Tribunal seu ad S. R. Congregationem recurrendum est, ut obtineatur praedicta dispensatio. Haec nobis essent suggerenda quibuscumque Ecclesiis negligentibus in sacris Ritibus observandis. Et certe non defuerunt animadversiones diversae hac illac pluries in Ephemeridibus a nobis factae. Nobis ergo parcendum, si hodie liberius locuti sumus: quod fecimus, ut semel pro semper sciatur, quod non licet imponere innovationes in Urbe aut introducere, laedentes decorem Cultus Dei, cum simus custodes sacrarum consuetudinum romanarum. — Et ita quidem salvo meliore iudicio.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania.* **De Ss. Sociis Patroni.** Ss. Patroni Socii pluries in Ephemeridibus ann. 1887, et 1890 dicuntur transferendi, si revisio Calendarii praecesserit Breve *Nullo unquam*, secus omittendi. Verum annis insequentibus 1891 (*pag. 239*) et 1892 (*pag. 139*) absolute omittendi praedicantur: quid ergo?

Resp. Responsio perfacilis et unicuique patens. Antea, cum primitus Rubricae renovatae exponendae erant, omnino distinguere oportebat inter revisionem Calendariorum ante Breve *Nullo unquam* factam, et revisionem, quae idem Breve sequi poterat, ne Ss. Socii Patroni abs re e Calendariis expungerentur. At impraesenti negotium satis clarescit: ut qui post Breve *Nullo unquam* Calendarium disponunt, Rubricas servare debeant; neque de eo, quod ante Breve erat agendum, discutiendum erit usque ad consummationem saeculi. In citatis ergo paginis agitur de intelligentia Rubricarum, quae nonnisi hoc praedicant, de Ss. Patroni Sociis nihil esse agendum: quid ergo? Num impraesenti et in posterum reformari Calendaria poterunt ante Breve *Nullo unquam?*

II. *E Sardinia.* **De translatione festorum diebus Dominicis affixorum.** Plura festa hic apud nos habentur Dominicis affixa, uti v. gr. Commemoratio S. R. E. SS. Pontificum, B. Maria V. sub titulo Gratiarum, Maternitas eiusdem B. M. V. Puritas etc.: possuntne eiusmodi festa in diem primam liberam transferri, quoties cum aliquo festo superioris ritus occurrant?

Resp. Per se, Negative. Vide in praecedenti numero 10 (*pag. 611, ad Dub. III*). Diximus per se; etenim esse posset, ut in Decreto concessionis, talis praeberetur facultas praedicta festa transferendi.

III. *Ex eodem loco.* **De festo Titularis ab uno Sacerdote celebrando vel non.** Quum in aliqua Paroecia solus Parochus, vel alius Sacerdos adest, tenetur hicne, ad festum Titularis celebrandum?

Resp. Tota ratio dubitandi, ni fallimur, in hoc tantum sita est, quod unus tantum Sacerdos Ecclesiae deservit; cum neminem latere possit, omnes, quibus Ecclesia vere est propria, qui scilicet a legitima et competente auctoritate illi inscripti sunt, vel Beneficium, etiam tenue, in ea possident, teneri ad festum Titularis celebrandum sub ritu dupl. I.ae cl. cum octava.

Sed tali dubio, per S. R. Congregationem iam satisfactum est. Etenim ab R̃mo Episcopo Altonen. in Statibus Foederatis Americae Septentr. eidem S. Congregationi petitum fuerat, utrum festum Titularis seu Patroni Ecclesiarum, tam consecratarum quam non, in illis Americanis Missionibus, ubi plerumque accidit, quod aliqua Ecclesia Sacerdotem non habeat residentialem, sed unus Missionarius quinque inserviat Ecclesiis, celebrandum sit sub ritu dupl. I.ae cl. cum octava, tam quod Missam, tam quoad officium. Et en quoad habuit responsum: " Affirmative ad utrumque, tum quoad Missam si in iis Ecclesiis (*quae ut exponitur in dubio, plerumque sunt tales ut vix hoc nomine appellari possint*) commode celebrari valeat, tum quoad officium si qui Clerici ad Horas Canonicas obligati, *vel saltem ex ipsis unus*, iisdem Ecclesiis sint adscripti (*Altonen. 28 Sept. 1872*).

Et quam sapienter, ac iuste, hoc festum ab omni

Ecclesia S. Congregatio urgeat celebrandum, nemo est qui non videat. Est enim unum ex tribus festis principalibus ac solemnioribus, quae certo convenit ut numquam omittantur, cum devotionem fiduciamque christianarum plebium erga earum caelestes advocatos quam maxime foveant.

IV. *Ex eodem loco.* **De officiis votivis.** In die 1 Octobris, festo S. Remigii Episc. Conf. semid. ad libitum et simpl. de praecepto, recitari ne potest officium votivum, vel accidentaliter duplex translatum?

Resp. Affirmative, arbitramur. Nam si sequens ratiocinatio, quam a cl. De Herdt (*pars. 4 n. 284*) mutuamus, stat: procul dubio, et nostra stabit affirmatio. En quomodo egregius iste auctor arguat, ex quodam Decreto generali (*24 Ian. 1682*) docente, in occurrentia festi ad libitum cum aliquo officio translato, vel cum uno ex votivis officiis, quae per mensem concessa sunt recitari, liberum esse officium ad libitum recitare, et officium translatum ulterius transferre vel illud votivum omittere. Si ergo, ait, liberum est officium ad libitum recitare; sequitur etiam liberum esse omittere, et officium translatum aut votivum recitare, prout etiam S. R. Congregatio (*Corduben. 16 Feb. 1669*) respondit, pro officio votivo, festum semiduplex ad libitum " impedimentum esse ad libitum „; impedire enim, " si amat officium festi ad libitum recitare: non impedire, si ab eo abstinendum censet „.

Hisce positis, nos ita ratiocinamur: si iuxta cl. De Herdt et S. R. Congregationis Decreta citata, officium votivum recitari potest quando occurrit semiduplex ad libitum, a fortiori illud recitari valet dum aliquod semiduplex ad libitum, sed simplex de praecepto, occurrat. Omnibus enim compertum est, iuxta

Rubricas, officia votiva, absque ullo dubio in die occurrentiae alicuius Simplicis recitari posse. At non diffitemur, et nostram et cl. De Herdt ratiocinationem infirmari posse, ob recens S. R. Congregationis decretum (*Nanneten. 18 Iulii 1884*) prohibens officia votiva in festo S. Canuti Regis semiduplicis ad libitum.

Quid ergo dicendum? Nuperum forsan, antiqua revocavit decreta? An potius recens interpretandum? Pro nunc silemus. Alias, Deo favente, rem declarabimus.

V. *Ex Ebroicis in Normannia.* **De Antiphona " Regina Caeli „ recitanda vel non, ad meridien Sabbati ante SS.mam Trinitatem.** Quidam ad meridiem Sabbati ante Dominicam SSmae Trinitatis adhuc dicendam docent antiphonam " Regina Caeli „ et quidem ex declaratione Benedicti XIV. Verum ne est?

Resp. Negamus. Adeo perspicua res nobis apparet, ut tempus terere iudicemus in ea immorando. Nam Rubrica specialis in proprio de Tempore ad Missale apposita manifeste loquitur: " Post Missam (Sabbati ante SSmam Trinitatem) expirat tempus paschale „. Nunc autem *Regina Caeli* dicitur tantum tempore Paschali. Ergo. Ad auctoritatem autem quod attinet Benedicti XIV, quae in contrarium adducitur, exoramus Rev. Inquirentem ut locum indicet, et titulum operis, in quo doctissimus ille Pontifex praedicta tradat, et tunc respondebimus (1).

---

(1) Casu nobis occurrit quaedam *Collectio casuum* de pluribus materiis, qui resoluti fuerunt in Ecclesia Montisregalis, Episcopo Ioanne Thoma Ghilardi, anno 1867: ibique ad pag. 88, quaest. XII legimus: « A Missa Sabbati Sancti ad meridiem Sabbati post Pentecosten *inclusive*... dicitur *Regina caeli* ». Additur quoque, *Angelus Domini* stando esse dicendum in Sabbatis Quadragesimae; et

VI. *Ex eodem loco.* **De " Credo „ in festo S. Confessoris Pontificis dicendo vel non.** In festo S. Taurini huius dioeceseos primi Episcopi (haud vero Patroni), Proprium Missalis indicat " Credo „; *Ordo* e contra absolute docet: " Credo „ omittendum. Cuinam parendum?

Resp. Secluso speciali indulto, vel ratione aliqua particulari v. gr. alicuius octavae, absque dubio *Ordini* standum est. Ratio enim non extat, ob quam Proprium Missalis indicet " Credo „. Namque S. Taurinus, utpote simpliciter Confessor et Pontifex ad symbolum in Missa ius nullum habet.

VII. *Ex eodem loco.* **De ornamentis laneis planetarum.** Casula serica vel semiserica, crucem ad ornatum habens integre ex lana, licita ne est?

Resp. Affirmative. (Vide Ephemerides ann. IV, pag. 629 et seq.).

VIII. *E Thracia.* **De Missa in feria V in Coena D.ni ad Moniales communicandas.** In cappellis Monialium, ubi SSmum quidem Sacramentum asservatur, sed functiones maioris hebdomadae non peraguntur, licetne Missam feria V in Coena Dñi celebrare, ad illas angelico cibo reficiendas?

---

citatur Encycl. Bened. XIV, 20 Apr. 1742, nec non S. C. Indul. 30 Nov. 1825.

Nunc quaerimus: Cum duo sint asserta, ad quodnam eorum refertur Encyclica sicut et decretum S. C. Indulg.? Credibile ne, si ad primum referantur, in Encyclica et Decreto adesse aliquid aperte Rubricis oppositum? Tempus non suppetit conferendi Encyclicam; sed a priori graviter dubitandum, tantum Pontificem id dixisse. Decretum apogryphum credimus, utpote in authentica Collec. Decretorum S. C. Indulg. non inscriptum. Quid ergo? Hic et nunc a data sententia non recedimus.

Resp. Inquirimus, utrum huiusmodi Moniales possint, saltem feria V in Coena Domini communicare? Hinc S. R. C. Regularibus permittit, ut vel in Ecclesia, ianuis tamen clausis, vel in Oratorio privato Missa lecta recitare possit in casu. Iam nunc si eam Missam recitare permittitur Superior regularis pro suis, non videmus, quare non cappellanus Monialium pro Monialibus (*Tert. Ordin. S. Francisci 31 Aug. 1839).*

IX. *Ex Augusta Praetoria.* **De privata recitatione officii, tempore Missae conventualis.** Canonici nonnulli, si diebus quibusdam dominicis non tenentur ad Matutinum et Laudes eiusdem diei dominici recitandum in choro, possunt ne idem privatim recitare officium tempore Missae conventualis, in qua alii cantores proprium munus obeunt?

Resp. Cum hic non agatur de recitatione chorali, quae tempore Missae conventualis est prohibita, sed tantum de privata uniuscuiusque Canonici recitatione officii, nihil obstat, per se loquendo, ut illud unusquisque a se recitet tempore Missae conventualis, si canendi munus per alios exercendum sit. Ratio est, quia Canonici in casu Missae conventuali assistunt, proprioque muneri satisfaciunt; private autem officium recitant non tamquam Canonici, uti enim supponitur, non tenentur in casu, sed tamquam personae privatae. Atqui privatus Sacerdos id procul dubio iure potest; ergo et Canonicus. Diximus *per se loquendo;* primo quia ex Caeremoniali Episcoporum, Missae conventualis tempore, legere Canonicis non permittitur, cum ad id, cui assistunt, attendere debeant (*Lib. 1, cap. V, n. 4*). Secundo, quia, nisi rationabilis causa excuset, Missa post Matutinum et Laudes absolutas dicenda est iuxta Rubricam (*Rit. serv. in celebr.*

Miss. Tit. I, n. 1): quod a Canonicis posse in casu adimpleri supponi vix potest.

X. *E Brixia*. **De obligatione Regularium festa de praecepto quoad forum celebrandi.** Religiosi, Calendario proprio utentes, praeter officia Dioecesis in num. 8 Ephemeridum (498) vertentis anni indicata, tenentur ne etiam ad officium festorum, quae in Dioecesi de praecepto quoad forum servantur?

Resp. Affirmative. Plura S. R. Congregationis hanc rem praedicant decreta. Citare tantum nobis sufficiat recentiora (Cong. Cleric. Exc. SSmae Crucis et Passionis D. I. C. 26 Martii 1859, et Patavina 28 Aprilis 1866), quae omni certudine gaudent. Ephemerides autem loco citato de Patrono, Titulo ac Dedicatione tantum loquuntur, quia ista universalia sunt, et ideo omnes respiciunt Regulares: insuper quia de iis peculiariter expetitae fuerunt.

XI. *Ex Insulis in Gallia*. **De ordine in invocatione "Gesù, Giuseppe e Maria ecc.„** In statutis Consociationis S. Familiae ab Ephemeridibus evulgatis, nota invocatio reperitur, italico idiomate " Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia etc. „ Hinc quaeritur, quinam ordo in praedicta invocatione a S. Congregatione servatus fuit? Non dignitatis, quia tunc Maria ante S. Ioseph ponenda erat: similiter non auctoritatis, tunc enim dicendum esset, Ioseph, Maria, Iesus: qualis ergo?

Resp. In invocatione latina ordo servatur dignitatis, dicitur enim " Iesus, Maria Ioseph „. In italica e contra nullus ordo dignitatis vel praelationis servatur. Sacra namque Congregatio sapienter censuit eiusmodi invocationem haud immutare, sed tradere uti eam quodammodo sacravit antiquitas et ab omnibus, in Italia saltem, noscitur et recitatur, seu privatim seu publice.

XII. *Ex Hispania.* **De intelligentia cuiusdam Decreti.** Decretum in *Urgellen.* quod Ephemerides referunt pag. 344, an. 1892, n. 6 declarat, in Missa Pontificali Subdiaconum ascendere non debere ad dexteram Diaconi in corum Epistolae, seu pro *Agnus Dei* recitando, seu pro aqua infundenda ad purificationem Pontificis, aut pro ampullis praebendis Diacono, vel pro *Sanctus* recitando, haud obstante, si qua viget, consuetudine. Iam quaeritur: Eiusmodi declaratio applicari ne quoque potest ad Missas non pontificales, in quibus tamen ex privilegio admittitur Presbyter Assistens?

Resp. Negative S. R. C. dubio sibi proposito satisfacit, et dubium Missam respicit pontificalem; Missa vero, quae cum Presbytero Assistente solemniter decantatur, haud pontificalis necessario est. Presbytero enim Assistenti gaudere possunt, ex immemorabili quadam consuetudine, Canonici, et ex recentioribus decretis ipsimet simplices Neopresbyteri, quorum Missa nihilominus haud certe ex eo pontificalis dicenda est. Quod ergo de Pontificali Missa dubium S. R. C. resolvit, ad Missam cum Presbytero Assistente applicari nec potest, nec debet, nisi et ipsa pontificalis revera sit. In citata autem authentica dubii resolutione edicitur servandum Caeremoniale Episc. quod de Missa Pontificali explicita verba facit, et in quo Subdiaconus in casu locum non habet. Hinc ait cl. De Herdt: " Patena Diacono reddita, (*Subdiaconus*) redit ad locum suum in plano... ibique persistit etiam ad *Agnus Dei*, ad quod dicendum, ad Celebrantem ascendere non debere (*Prax. Pont. Lib. II, cap. 8, Offic. Subdiac.*) ". Et paulo ante (*loc. cit.*): " In fine praefationis ad altare non ascendit ad dicendum Sanctus ". Idem sentit ad reliqua quod attinet dubii. At docet quoque resolutio

servandam Rubricam Missalis; quae in Ritu servando in celebratione Missae solemnis non pontificalis, eosdem respicit casus, et diversos imponit ritus. Quod sapienter factum credimus, ut Orator apprime intelligeret, ritus et caeremonias Pontificalis Missae cum ritibus et caeremoniis Missae solemnis non esse confundendos, sed utrosque respective servandos. Hanc autem, uti ceterum patet, esse mentem S. R. Congregationis nulla apparet dubitandi ratio, quidquid privati auctores sentiant.

Nota. Circa alterum dubium legantur *Animadversiones* ad pag. 715 et seq.

XIII. *E Sardinia.* **De repositione et translatione officiorum, quae sunt impedita.** In paroeciis dioecesis cuiusdam nonnulla officia impediuntur perpetuo a festo Patroni loci ab eiusque die octavo. Quaeritur: An officia ista impedita debeant reponi, seu perpetuo transferri, in primam diem liberam pro calendario dioecesis, an transferri tantum, seu in primam diem liberam in unoquoque anno accidentaliter amandari?

Resp. Affirmative ad primum, et negative ad alterum; quia aliud est repositio, aliud translatio, ut quae officia reponi praescribuntur ex Rubricis, transferri tantum in singulis annis nequeant. Quae enim officia perpetuo impediuntur, ius habent ad alium diem, in quo tamquam in sede propria recoli debent. Namque officia eiusmodi festiva sunt et non votiva, ut vagari in toto calendario debeant; proindeque diem perpetuo assignatam habere debent, a qua amplius amoveri perpetuo non possunt, nisi in casu alterius festi aut officii requisitas habentis conditiones, vi quarum antiquis illis officiis praevaleat. Quo in casu iterum officia ab uno die amota, alio in die perpetuo sunt assignanda, ob superiorem iam expositam rationem. Iam

nunc pone S. Hieronymum Aemiliani die 20 Iulii impeditum a S. Margarita V. M. Titulari Ecclesiae vel Patrona loci: item S. Pantaleonem die 27 eiusdem mensis impeditum a die octava: quid de istis duobus officiis ages, nisi eis alios duos dies assignes, in quibus perpetuo sint recolendi? Hi autem dies erunt illi, qui primi sunt in calendario liberi.

Oppones vero, ex hoc difformitatem derivare inter calendarium dioecesis et calendaria paroeciarum, darique locum pluribus translationibus in calendariis paroeciarum, quibus non indiget calendarium dioecesis. Sed respondemus, obiectiones huiusmodi nullius esse ponderis. Ad primam dicendum, difformitatem in casu esse necessariam et fere omnibus Ecclesiis communem, utpote festa aliqua propria habentibus; et varietas potius quam difformitas appellanda est, quae pulchriores facit Ecclesias, et quidem in honorem Titularium et Patronorum. Ad alteram dicendum, assignatis una vice pro semper officiis impeditis, eaedem in generali dioecesis et in particularibus paroeciarum calendariis occurrent translationes faciendae, licet aliquo cum discrimine, quia dies quidam erunt liberi pro illo calendario, quae pro istis impediti erunt; sed ex nuper dictis ad hoc non est attendendum, cum id leges requirant.

Infer ex principiis positis, duplicia, etsi minora, perpetuo impedita, non posse omnino, secluso indulto, ad simplicem ritum redigi, cum id fieri tantum possit et debeat in casu accidentalis occurrentiae.

Nota. Quando festum Nativitatis B. M. V. ritu dup. 1. cl. celebratur, nihil faciendum de S. Adriano, et Lectio VIII dividitur ex communi lege in duas: prima desinet ad verba *Sedem tuam,* altera incipiet ad *Iudas autem.* Ita A. Carpo (*Calend. perp. Adn. ad*

d. 8 Sept. 1): ita quoque Guyetus ex Gavanto etc. (*Lib. III, cap. III, quaest. 12*), atque ita fit communiter.

Nota. In fine solutionis Dubii XI e Diocesi Veronensi, num. Nov. pag. 698 et seq. haec a Ven. lectoribus ut addantur exoramus: Denique a principiis etiam, quae certa posuimus, abstrahentes, ex ipso Decreto SS. Cordis Iesu superius citato evidens fit, die festo SS. Cordis semper lucrifieri Indulgentiam posse, *sive proprio sive translato.*

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE HUIUS VI. TOMI

De Cantu Gregoriano.

XIII. De obligatione utendi cantu liturgico . . . p. 247
Cantus liturgicus harmonicus . . . . » 559
De cantuum Missae ritibus antiquis . . . . » 385
Continuatio . . . . . . » 641

Decreta SS. Congregationum.

Ex S. Rituum Congregatione.
Bobien. De versiculis Domine exaudi et Dominus vobiscum . . . . » 65
Commentarium . . . . . » 66
Decr. circa Anniv. Dedic. Eccl. . . . . » 69
Decr. circa Beatif. V. S. D. P. Baldinucci . . . . . » 317
Ordinis Min. S. Francisci Capuccinorum . . . . . » 325
Votum Rm̃i D. Rob. Marcucci . . . . » 329
Statuitur Thesis . . . . » 332
Lucionen. De consecratione et Titulari Oratorii . » 339
Commentarium . . . . . » 341
Quebecen. Marianopolitana et *Ottavien.* de reformatione Calendariorum particularium et de festis propriis Ecclesiarum atque Oratoriorum publicorum . . . » 343
Urgellen. De Subdiacono in Missa Pontificali . . » 344
Maurianen. De consecratione altaris . . . . p. 345
Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum . . . » 391
Rhemen. De missa votiva SS. Cordis Iesu . . . . . » 393
Congreg. SS. Redemptoris, De S. Ioanne Damasceno » 394
Vicentina. De receptione Processionis in Ecclesia . » 395
Calagurritana et Calceaten. Resolutionis dubiorum » 449
Dubia additionalia . . . » 458
Responsiones . . . . . » 459
Adnotationes super relato decreto . . . . » 460
Bellunen. et *Feltren.* Resolutionis dubiorum . . » 467
Votum Rm̃i D. Baccinetti super relato decreto . . » 469
Sedunen. De benedictione simplici campanae . . . » 474
Formula benedictionis . » 475
Lincien. Dubia varia . . » 476
Urbis et Orbis. Decr. circa festum S. Ioseph . . . » 513
Spalaten. De consuetudine benedictionis fontis. . » 515
Meten. De Symbolo et Missa votiva Cordis Iesu . . » 516
Lauden. De paramentis et supellectilibus sacris . . » 517
Nicosien. De vespertina recitatione Matutini Def. » 519
Mexicana. De duabus statuis . . . . » 520

Dianen. De recitatione Kyrie, Gloria etc. submissa voce in missa conventuali . *p.* 521
Dubia de cultu Sacrae Familiae . . . . » 575
Fanen. De imagine Altaris maximi . . . . . . » 577
Votum Rmi D. Marcucci super novissimo decr. *Strigonien* . . . . . . » 579
Dubia additionalia . . » 582
Praepositis quaestionibus responsio . . . . . . » 584
Dubiis additis responsio » 591
E Sacra Congregatione Concilii.
De Canonicis doctorali praebenda utentibus . . » 64
De matrimoniis clandestinis » 251
Comen. De concurrentibus ad beneficia . . . . . » 252
Engolismen. Dispensationis matrimonii . . . . » 254
Cantonis Ticini seu Luganen. Missae Conventualis . » 317
Melevitana. Missae pro populo . . . . » 378
E Sacra Congregatione Episc. et Regul.
De Confessariis extraordinariis Communitatum mulierum . . . . » 511
E Sacra Congregatione R. U. Inquisitionis.
Responsa variis dubiis . » 639

Dubiorum Liturgicorum solutio scientifica.

E. Gallia. De *S. Canuto* in die non propria et *S. Ioanne Damasceno* die sua occurrentibus . . . . *p.* 33
Ex Andegavo. De *unica oratione* in missa privata defunctorum . . . . . » 35
E Santandero. De *applicatione Missae* in die Commem. omnium fidelium defunctorum . . . . . » 37
Ex eodem loco. De *stola violacea* in Via Crucis agenda . . . . » 38
Ex Anglia. De Ecclesiae Titulari. . . . . » 39
Ex eodem loco. De benedictione *mulieris acatholicae* post partum . . . . » 40
E Provincia Ianuensi. De *qualitate Orationis* in Missa cum cantu pro defunctis . . . . » 41
Ex eodem loco. De anniversariis. . . . . » 42
E Prov. Potentiae. De funere *pro exhumatione cadaveris*, praesentibus ossibus . . . . » 42
E Pomponiana in Galliis. De anniv. Dedic. quoad Regulares . . . . » 43
E Dioec. Chicagiensi. De officio Diaconi in solemniori missa, *cum deest Caeremoniarum Magister* . . » 45
Ex eodem loco. De genuflexione *dum thus adoletur* in altari. . . . . . » 46
Ex Aemilia. De *versiculorum mutatione*, ob identitatem in antiphonis . . . » ibi

E. Dalmatia. De indulgentia Episcopali *40 dierum* quando datur plenaria . . *p.* 47
Ex eodem loco. De *lectione Brevis Pontif.* ante publicationem Benedictionis Apostolicae . . . . . » 48
Ex Urbe. De thurificationis ordine ad Vesperas . » 97
Ex Ostuno. De manuum elevatione ad *Te igitur* in missa . . . . . . » 100
Ex eodem loco. De Epistola in Missa *pro Viduis* . » 101
Ex eodem loco. De *Castro doloris* in mense Novembris . . , ... » 102
Ex eodem loco. De Commem. Vigiliae Imm. Cencept. » 103
Ex Austria. De thurificatione in Vesp. cum Hebdomadario parato *sine assistentibus* . . . . » ibi
Ex eodem loco. De benedictione cum Venerabili in casula . . . . . . » 104
E Gallia. De *perpetuo impedimento* pro festo Patroni celebrando . . . . » 106
E Brixia. De duplici quodam maiori mobili *occurrente cum festo Patroni* an commemorandum an trasferendum . . . . » ibi
Ex Aci Regali in Sicilia. De Eucharistiae ministratione fidelibus *cum paramentis nigri coloris* . . . . » 108
E Republica Haitiana. De festo *Maternitatis Deiparae* impedito an reponendum . . . . . . *p.* 110
E Ferentino in Hernicis. De *Conopei colore* occurrente officio aliquo ex votivis » 111
Ex eodem loco. De praelatione inter S. Michaelem et S. Barnabam transferendos . . . . . . » ibi
Ex eodem loco. De *lectionibus 1 Noct.* in officio S. Petri Dan. in Quadragesima » 112
Ex N. Prov. Ianuensis. De *praelatione* in occurrentia octavarum SS. B. M. V. Rosarii et S. Michaelis » 153
Ex eodem loco. De *missa votiva festi simplicis occurrentis* dum fit de infra octavam communem . . . » 154
E Ragusa. De Collecta *pro gratiarum actione* . . » 155
Ex eodem loco. De Extrema Unctione *in casu necessitatis* ministranda . . » 158
Ex Thera in Graecia. De quibusdam honoris signis in morte *acatholicorum principum* . . . . » 159
Ex eodem loco. De *aspersorio* in Pontificalibus . » 161
E dioec. Montis Politiani. De sacris functionibus *in minoribus Ecclesiis* Mai. in Hebd. peragendis . . » ibi
E Monte Cassino. De precibus in fine Missae *Ordinationis* . . . . . . » 163
Ex Augusta Praetoria. De Decretis particularibus » ibi

E Civitate N. De missa votiva de *Transfiguratione Domini* . . . . . . *p.* 164
Ex Ostuno. De modo *deponendi cadaver Episcopi* in Ecclesia . . . . . » ibi
E Gallia. De insignibus canonicalibus *a quo concedendis* . . . . » 165
Ex Missionibus exteris. De Titulo celebrando Eccl. cuiusdam Cathedr., cui vix clerus adscriptus est . » 166
Ex Utino. De *tempore* solemnis Missae in *nocte Nativ.* celebrandae . . . . . » 221
Ex eodem loco. De paramentis *ex materia vetita* in Ecclesiis PP. Capulatorum » 224
Ex Iaca Regali in Sicilia. De oratione *Sacrosanctae* post non absolutas Horas Canonicas . . . . . » 225
E Ragusa in Dalmatia. De *stolae delatione* in Benedictione a Concionatore petenda . . . . » 226
Ex eodem loco. De chirothecis Episcopi in prima conferenda Tonsura. . . » 228
Ex Austria. De manipulo in Communione fidelium post missam . . . . » ibi
Ex eodem loco. De tempore adhibendae stolae . . » 229
Ex eodem loco. De precibus in domo defuncti . . » ibi
Ex eodem loco. De orationibus post missam lectam *lingua vulgari* . . . » 230
E Carnuto in Gallia. De Dedic. Cathedr. Eccl., ubi fit omnium Ecclesiarum . *p.* 231
E Ferentino in Hernicis. De lectionibus S. Leonardi a Portu Mauritio . . . » 232
Ex eodem loco. De commemorationibus in Missa votiva SS. Cordis Iesu . » 233
Ex eodem loco. De *officio defunctorum in choro* statuta recurrente feria iuxta Rubricas dicendo . . . » ibi
E Gallia. De *stolae colore* in benedictionibus . . . » ibi
Ex eodem loco. De nona lectione in Matutino . . » 235
E Panormo. De ritu quoad Missam observando a Regularibus Ecclesias regentibus . . . . » ibi
Ex eodem loco. De Missae celebratione in altari SS. Sacramenti. . . . . » 236
E Neapoli. De *remotione aquae benedictae* a vasis prope Ecclesiarum fores . » ibi
E Laude Pompeia. De festorum annuntiatione in Martyrologio . . . . . » 238
Ex Austria. De missa exequiali *cadavere praesente* in subterranea Ecclesia » 276
Ex eodem loco. De *uno vel trino signo crucis* in administrandis quibusdam Sacramentis . . . . . » 278
Ex Thera in Graecia. De assistentia *Episcopi dioecesani in choro* . . . » 279

E Calari. De Missa exequiali *in festo primi ordinis* per accidens non praeceptivo *p.* 282
Ex eodem loco. De commemoratione *eiusdem obiecti* in Vesperis . . . . » 283
E Verona. De missa *exequiali* in festo Patroni dioecesis » 284
Ex eodem loco. De collectis in Missa facienda *in aliena Ecclesia.* . . . . . . » 285
Ex eodem loco. De Vigilia Epiphaniae *utrum impediat* missam votivam SS. Cordis Iesu. . . . . . » ibi
E Galliis. De officio SS. Vultus D. N. I. C. . . » 286
Ex eodem loco. De duobus festis *duorum Apostolorum* concurrentibus . . . » ibi
Ex Utino. Tria dubia . » 287
E Ragusa in Dalmatia. De concione infra Missam *sine planeta* et *manipulo* . » 288
E Provincia Ianuensi. De Oratione Sacramenti in Missa, ratione processionis » 289
Ex eodem loco. De defunctorum absolutione *super sepulturas* . . . . . » 290
Ex Austria. De *crucis loco* in absolutione defunctorum . . . . » ibi
E Ferentino in Hernicis. De *Rogationum commemoratione* in Missa S. Marci sub unica conclusione . . » 291
E Dioecesi Montis Politiani. De *anniversario* in die impedita incidente . . » 292
Ex N. Prov. Ianuensis. De quibusdam ritibus *in mai. hebdomada* servandis . *p.* 294
E Galliis et e Thera. De confessione a Diacono et Subd. facienda in Missa sol. *cum assistentia Ordinarii* . » 366
Ex eodem loco. De benedictione domorum *maiori in hebdomada* . . . . » 370
E Thracia. De cantionibus *vulgari lingua* in missa » 371
Ex eodem loco. De *organorum sonitu* in Missa privata . . . . » 372
Ex eodem loco. De comm. occurrentis Sancti, Feria V. Mai. Hebdomadae . . » 373
E Campania in Galliis. De variis dubiis circa officium. *Titularis*, a Rectore *duarum paroeciarum* dicendum . . . . » 374
E Dioec. Veronensi. De translat. officii duplicis min. » 375
Ex eodem loco. De *occurrentia* quorundam festorum » ibi
E Syracusis. De *concurrentia* inter S. Barnabam et G. Georgium . . . . » 376
Ex eodem loco. De *ultimo Vale* defuncti cadaveri » 377
E Goritia. De concurrentia in officiis Pass. D. N. I. C. » 429
Ex eodem loco. De *antiphonis propriis* in feriis ante Vigiliam Nativitatis Dñi » 430
E Belgio. De validitate consecrationis cuiusdam Ecclesiae . . . . » ibi

E Ferentino in Hernicis. De occurrentia *inter mobile festum et fixum* diversae dignitatis . . . . . *p.* 431
E Melita. De *quadam consuetudine* in distributione SS. Communionis . . » 432
Ex Utino. De rosaceo colore » ibi
Ex Urbe N. De intelligentia Patroni loci . . . . » 433
Ex Aretio. De commemorationibus in *missa votiva solemni* . . . . . . » 435
Ex Ostuno. De Missis votivis B. M. V. . . . » 436
Ex eodem loco. De *campanarum sonitu festivo* in Septuag. Sexag. et Quinquag. » ibi
Ex Andegavo. De variatione in Vesp. diei 14 Ianuarii » 437
Ex eodem loco. De secretarum tabellis in altari . » 438
E Thracia. De *Gloria et Credo* in missa cum cantu *vulgari idiomate* . . . » ibi
E Gallia. De Eucharistiae asservatione *in pluribus altaribus* . . , . . . » 439
Ex Hispania. De modo deferendi *Canonicorum cadavera* . . . . . . » 443
E Regio Lepidi. De *Hora Canonica* ante Missam solemnem et processionem . » 444
E Galliis. De *quadam mutatione* in officio ob repotitionem. . . . . . » 445
E Galliis. De festis necessario addendis in *calendariis particularibus* . . » 498
Ex Urbe N. De imagine principali altarium *non amovenda* . . . . . . *p.* 502
E Verona. De Missa Votiva SS. Cordis Iesu in *die translata* . . . . » 503
E Mutina. De decreti *circa usum pileoli* Episcoporum intelligentia . . . . » 504
Ex Andegavo. De adoratione SS. Hostiae et Calicis in missa . . . . » 505
E Brixia. De festis affixis in Dominicis . . . . » 506
E Brixia. De *festorum transl.* in die immediate sequenti » 535
E Rep. Mexicana. De missa votiva SS. Cordis Iesu, *exposito solemniter Sacramento* . . . . . . » 536
Ex Ostunio. De Missa in Oratorio privato in *festis solemnioribus* . . . . » 538
E Thracia. De Ostensorii cum Sacramento situ in altari . . . . » ibi
Ex eodem loco. De intelligentia cuiusdam indulti » 539
E Parisiis. De Calicis purificatione cum *iteratur Sacrum* . . . . . . » 540
Ex Italia Merid. De Litaniis in Sabbato Sancto . . » 541
E Thera in Graecia. De *dignitate vel gradu personae* nominanda vel non in Orationibus pro defunctis » 542
Ex America Septen. De loco Oblationis Episcopo faciendae . . . . . . » 543

Ex eodem loco. De *prostratione* feria VI. mai. hebd. in principio missae facienda . . . . . . *p.* 544
Ex eodem loco. De Antiph. *Regina Caeli* . . . . » ibi
Ex eodem loco. Ce tono *Benedicamus Dño* et *Ite missa est* . . . . » 545
Ex eodem loco. De celebratione festi Patroni . . » 546
E Melita. De *colore pallii* in missis cantatis pro defunctis . . . . » ibi
Ex eodem loco. De quadam consuetudine in fine *Processionis cum SS. Sacramento* . . . . » 547
Ex America Septen. De *Angelus Dñi* recitandi modo in Quadragesimae Sabbatis . . . . » ibi
E Ferentino in Hernicis. De Collectis in Missa de feria occurrente cum dupl. 1ae cl. . . . . » 548
E Regio in Aemilia. De Responso *Laus tibi Christe*, post Evangelium in Missis cantatis . . . . . . » 549
Ex eodem loco. De *qualitate officii et Breviarii*, pro Sacerdote Tertio Ordini S. Francisci adscripto . » 550
E dioec. Briocensi. De quadam praxi in recitatione divini officii . . . . » 551
Ex eodem loco. De *doxologia* in festo B. M. V. sub titulo *Auxilium Christianorum* » 552
E Gallia. De iure recitandi Missam *De Propagatione fidei* ubi cum cantu concessa est . . . . . *p.* 552
Ex eodem loco. De *paramentorum colore* in eadem missa Propagationis fidei. » 553
Ex eodem loco. De *mutatione tertii versus* in festo S. Confessoris, cum octava . » 554
Ex Urbe. De *mutando tertio versu* Hymni in Vesp. S. Petri Damiani . . . . » 607
E Sardinia. De festis secundariis Ecclesiae Doctorum » 610
Ex eodem loco. De festis Dominicis affixis, an transferenda . . . . » 611
Ex Andegavo. De *Alleluia* in Antiph. *Ne reminiscaris* et *Trium puerorum* in missae praeparatione . . . » 612
Ex eodem loco. De *omissione cuiusdam phraseos* in Lectionibus pro festo Immac. Conceptionis . . . . » 613
Ex Urbe N. De usu rochetti in Expositione Sacramenti . . . . . . » 614
E Melita. De *floribus* in Altari, festo Titularis *Tempore Passionis occurrente* » 684
Ex eodem looo. De iure tradendi aspersorium Episcopo. . . . . » 685
E Pedemontio. De quodam ritu in Communione ministranda . . . . » 686
Ex eodem loco. De benedictione coronae *unius decadis* » 687

Ex Urbe. De obligatione cantus liturgici in *missali inscripti* . . . . . . *p.* 688
Ex eodem loco. De libris in usu *contrariis S.R.C. decr.* » 690
E Gallia. De ritibus post Communionem a Sacerdote exequendis . . . . » 691
E Bruxellis. De separatione Matutini a Laud. in choro » 692
Ex eodem loco. De *situ crucis* in altari et de *campanula* pulsanda in missa » 694
Ex eodem loco. De quibusdam genuflexionibus ad altare Sacramenti solemniter expositi . . . . . . » 696
E Dioec. Veronensi De *Translatione indulgentiae* in transl. SS. Cordis Iesu » 698
E Republica Mexicana. De *Patronis locorum* quoad Regulares . . . . » 701
E Prov. Ianuensi. De tribus mappis in altari, *ubi raro celebratur* . . . . . » 702
Ex Hispania. De SS. Sociis Patronis . . . . . » 722
E Sardinia De *translatione festorum* diebus Dominicis affixorum . . . . . » ibi
Ex eodem loco. De festo Titularis *ab uno Sacerdote* celebrando vel non . » 723
Ex eodem loco. De off. vot. » 724
Ex Ebroicis in Normannia. De *Antiphona Regina Caeli* recitanda, vel non, ad meridiem Sabbati ante SSmam Trinitatem . . . . » 725
Ex eodem loco. De *Credo* in festo S. Confessoris Pontificis dicendo nec ne. *p.* 726
Ex eodem loco. De *ornamentis laneis planetarum* . » ibi
E Thracia. De *Missa* in feria V in Coena Dñi *ad Moniales communicandas* » ibi
Ex Augusta Praetoria. De *privata recitatione off.* tempore Missae conventualis » 727
E Brixia. De obligatione regularium, *festa de praecepto* quoad forum celebrandi . . . . . . » 728
Ex Insulis in Gallia. De ordine in invocatione *Gesù Giuseppe e Maria* ecc. » ibi
Ex Hispania. De intelligentia cuiusdam Decreti . » 729
E Sardinia. De repositione et translatione officiorum, *quae sunt impedita* . » 730

Expositio Novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Tit. V. 1. De Feriis . . » 82
Continuatio . . . . . » 401
2. De officio feriali . . » 403
3. De nocturno officii ferialis » 406
4. Exceptio trium feriarum mai. hebdomadae . . » 407
5. Quomodo ordinandum officium feriale . . . . » ibi

Institutiones Liturgicae.

Cap. III. De ritibus et caeremoniis in baptismo infantium.
§. 1. De Patrinis . . . » 182

§. 2. De interrogationibus, insufflationibus, unctionibus, immissione salis et impositione nominis . . *p.* 184
§. 3. De manus impositione, fidei professione, de saliva et abrenuntiationibus . » 193
§. 4. De ipso actu baptismatis et ritibus subsequentibus » 195
Cap. IV. De Baptismo adultorum et supplendis caeremoniis.
§. 1. De requisitis in adultis ante baptisma . . . » 197
§. 2. De peculiaribus caeremeniis pro adultorum baptismo . . . . » 199
§. 3. De supplendis caeremoniis . . . . » 257
Appendix. De Sacramento Confirmationis . . . » 259
Cap. V. De Sacramento Poenitentiae.
§. 1. De nominibus et significatione Poenitentiae » 263
§. 2. De materia et forma Sacramenti Poenitentiae » 264
Continuatio . . . . . » 397
§. 3. De Loco confessionis et habitu confessarii . . » 398
§. 4. De dotibus in ministro et agendis a Poenitente » 400
§. 5. De absolutione ab Excommunicatione suspensione et interdicto et dispensatione ab irregularitate » 484
Cap. VI. De Sacramento Eucharistiae.
§. 1. De Eucharistiae asservatione et cultu . . » 487
§. 2. De Eucharistiae administratione . . . . *p.* 557
Continuatio . . . . . » 636
§. 3. De Communione Paschali et infirmorum . . » 637
Continuatio . . . . . » 646
§. 4. De Eucharistiae expositione . . . . . . » 647

Manuale novissimum pro visitandis Ecclesiis a Vicariis Episcopalibus et Foraneis.

Cap. XII. De Visitatione SS. Reliquiarum, continuatio » 212
Cap. XIII. De Visitatione Sedium Poenitentialium » 213

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Conopeo super tabernaculo . . . . . . » 15
II. De Missa Pontificali in triduanis beatificationis festis . . . . » 85
III. De repositione Officii perpetuo impediti . . » 129
IV. De Ecclesiis ius habentibus ad asservandam Eucharistiam . . . . . » 201
V. De forma Altaris fixi ut consecrari possit . . » 266
VI. De concursu duorum festorum 2ae cl. ritu et dignitate parium . . . » 354
VII. De ordine pergendi in chorum ad Missam et Vesp. Pontificalia . . . . » 416
VIII. De officii repositione in quadam die octava . » 489
IX. De ratione exornandi anticam partem altarium » 522

X. De intonationibus et responsionibus in officiis solemnioribus . . . . p. 596
XI. De dupl. 1ae cl. primique ordinis festo translato, incidente in aliud duplex 1ae cl. cum feriatione » 649
XII. De unica aquae baptismalis benedictione per annum cum cereo manu simpliciter benedicto . . » 705

Quaestiones solvendae earumque solutiones.

1.a De festo S. Canuti . » 49
2. De concurrentia semiduplicis cum die infra octavam . . . . » 116

Argumenta Varia.

Archaeologia. De inventione Crucis D. N. I. C.
Continuatio . . . . . » 5
Continuatio . . . . . » 70
Bibliographia. *Patroni*, Lezioni di sacra Liturgia . » 187
De altero volumine . . » 309
Caeremoniale Romano-Seraphicum . . . . . . » 703
Responsio ad cl. Pighi. Confutatur opus *Dell'Autorità del Rituale Romano* . » 54
Continuatio . . . . . » 123
Continuatio . . . . . » 176
Continuatio . . . . . » 239
Casus Liturgici. De *ternario* rubro et violaceo . . » 113
De *defectu* in missa circa *materiam* . . . . . p. 141
De amotione *tabulae Titularis* . . . . » 217
De benedictione fontis *in plebana* . . . . » 447
De sacrificio complendo *per alium Sacerdotem* . . » 531
Litterae Leonis PP. XIII. ad *Moderatorem Ephem.* » 321
Leo PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam. *De S. Familia* . . . . » 507
Leo PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam. *De consociatione S. Familiae* » 569
Index *indulgentiarum et Privilegiorum* Piae Consociationis . . . . » 570
Oratio quotidie recitanda ante imaginem S. Familiae . . . . » 572
Privilegia pro *sodalibus universis* . . . . » 573
Privilegia pro *parochis* . » 574
Formula *consecrationis* S. Familiae . . . . . . » ibi
Specimen Kalendarii universalis Eccl. pro anno 1892 » 346
De modo recitandi Officium parvum B. M. V. in choro » 408
Commentarium ad Decretum Urbis et Orbis pro S. Ioseph. . . . . . . » 614
De missa de Requie. Dissertatio . . . . . . » 622
Super Instructione Clementina animadversiones . » 659
Continuatio . . . . . . » 715

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC VI TOMO CONTINENTUR

(NB. Numerus lectorem ad paginam remittit).

A

Abrenuntiationes, *quare fiant* in Baptismo, et quaenam *earum antiquitas*, 194.

Absolutio, nominari potest *dignitas vel gradus defuncti* in quatuor absolutionibus, si fiant, apud castrum doloris, 542 — laudabilis est consuetudo canendi 2.ª die Nov. *Libera me Dñe* post missam in cantu *super unamquamque sepulturam*, 290 — Subdiaconus cum cruce in *absolutione* se sistere debet *ad caput defuncti*, *ibid.*

Alapa, vide *Confirmatio*.

Alleluia, addendum est antiph. *Ne reminiscaris* et *Trium Puerorum* in *missae de requie* praeparatione, 612.

Altare, quodnam *portatile*, 218 — de *quinque crucibus* in parte superiore lapidis altaris oleo sacro iinungendis, 345 — de ratione *exornandi anticam partem altarium* casus, 522 — de *usu ornatus* altarium *in utraque Ecclesia*, 523 — de *palliorum* in altaribus obligatione, *materia*, *forma* et *colore*, 527 — quid de *modis altaria cooperiendi*, ut in casu, 530.

Altare fixum, de ipsius *forma* ut consecrari possit casus, 266 — quaenam communior in antiquitate *forma altarium fixorum*, 268 — *quotuplex* eorum forma iuxta *praesentem disciplinam*, 270 — utrum mensa necessario in *anteriori parte* seu *lateribus* fulciri debeat, et in hypothesi *ex qua materia et forma*, 272 — quid de *altaris forma* ut in casu, 275.

Altare portatile, *benedicendum est*, ex decreto, *coementum* pro firmando in altari portatili *sepulchri lapide*, ritu praescripto pro altari fixo, idem sepulcrum *si unicum* sit *ab Episcopo coemento liniri et lapide claudi* debet, non ita si plura essent consecranda altaria, 168 — votum R̃mi D. Baccinetti super praedicto decreto, 469.

Angelus D.ni, genibus flexis recitare debemus in Sabb. Quadragesimae, 547.

Anniversarium, si in die impedita incidat cum oct. privilegiatis, *fieri publice* nequit et ideo *tumulus erigi non potest*, 292.

Antiphona, de antiphonis propriis in feriis ante Vigiliam Nativitatis Dñi, 430.

Applicatio Missae, Sacerdos vi privilegii *tres missas celebrans* in die Commem. omnium fidelium defunctorum, quamlibet ex ipsis pro intentione eleemosynam dantis applicare potest, 38.

Aqua, in baptismo quare *tribus vicibus et in modum crucis* effundenda, 196 — aqua lustralis quadraginta horarum occasione *removenda non est a vasis prope Eccl. fores*, 236 — de *unica aquae baptismalis* benedictione per annum cum *cereo manu simpliciter benedicto* casus, 705 — quid de *antiquitate et tempore benedictionis fontis baptismalis*, quidque observandum de ea re circa graecam Ecclesiam, 706 — utrum in Ecclesiis fontem baptismalem habentibus, eius benedictio in pervigilio tam Paschatis quam Pentecostes *praeceptiva sit*, 710 — quid de Caii agendi ratione ut in casu, 711.

Aspersorium, Episcopo in Pontificalibus porrigendum est *a digniori Canonico* Eccl. in qua Pontificalia celebrantur, 161 — aspersorium Episcopo porrigendum a *digniori ipsiusmet Ecclesiae, quam Episcopus intrat*, in processione S. Marci, 685.

B

Baptismus, quinam peculiaris baptismi *ritus*, 195 — unde accidat *ut in praesenti* et adulti baptizentur, 197 —

quid *pro adultis baptizandis* Rituale statuat, *ibid.* — baptismi adultorum *Minister ordinarius est Episcopus*, quid observandum circa *tempus* ministrandi hunc baptismum, *ibid.* — utrum *de loco et diei hora* aliquid statutum sit pro adultorum baptismo, *ibid.* — quaenam discrimina sint statuta *inter infantium et adultorum* baptisma, 199 — quid ergo ante omnia peculiariter agendum Ministro, *ibid.* — quaenam *peculiaria discrimina* baptismi adultorum, 200 — utrum adultus baptizatus *confirmari statim* et *communicare* possit, *ibid.* — caeremoniae in Baptismi collatione praescriptae, ex *sola necessitate* omitti possunt, 257 — caeremoniae ex necessitate omissae, *supplendae omnino sunt*, *ibid.* — quo in loco supplendae, 258 — quinam caeremonias supplendi *ordo*, *ibid.* — vide *Fons.*

Beatificatio, de triduanis Beatificationis festis, vide *Missa Pontificalis.*

Benedicamus D.no, de *B. M. V. canendus est* in off. SS. Petri et Pauli, si eorum festum occurrat *infra octavam Corp. Christi*, 545 — quodnam in *Dominica in Albis* et in aliis *Dominicis*, *ibid.*

Benedictio Apostolica, quam bis in anno dare debet Episcopus, *praecedi debet a lectione* Brevis Pontif., controvertitur utrum dari ab Episcopo possit, si *solemniter tantum assistat*, 48 — dum benedictionem impertit Episcopus *omnibus pontificalibus paramentis* induitur, 49 — Clemens XII. *bis in anno* hanc benedict. Episcopis indulsit *post sol. missam Pontificalem*, 296 — de *ritu et forma* huius benedictionis, 297 — de *lectione Brevis Pontif.* ante benedictionem, 299 — de quodam decreto in *Lemovicen.* circa hanc benedictionem, 301 — ubi adest consuetudo, omittendi lectionem Brevis, *lucratur etiam indulgentia plenaria*, 304 — imo lucratur et ubi *non extat praedicta consuetudo*, 305 — ad huiusmodi benedictionem impartiendam *necessario requiritur Missa Pontificalis*, 306 — de consuetudine omittendi lectio-

nem Brevis et legendi tantum *Attentis facultatibus*, vulgari idiomate, 307.

Benedictio domorum, fieri nequit ante Sabb. Sanctum, poterit vero fieri *intra octavam Paschae*, 371.

Benedictio Mulieris post partum, dari nequit *mulieri acatholicae* viro catholico coniunctae, 40.

Benedictio cum Venerabili, post missam dari non potest in *casula*, 104.

Breve, vide *Benedictio Apostolica.*

Breviarium, Sacerdos Tertio Ordini S. Francisci adscriptus Minoritarum Calendario *se conformare potest*, et *ipsorum breviario* uti, 550.

C

Cadavera Canonicorum a clero socianda sunt *non secus ac cadavera aliorum defunctorum*, 443.

Caeremoniarius debet comitari Diacorum deferentem bursam, 735.

Calendarium, de festis necessario addendis in *calendariis particularibus*, 498 — de Calendarii *reformatione* decr. Quebecen., 343 — vide Breviarium.

Calix, non est purificandus in prima missa a Sacerdote, qui *Sacrum iterare debet*, 540.

Campana, quoties benedicuntur campanae Ecclesiis vel sacellis inservientes *adhibendus est ritus Pontificalis Roman.*, pro campanis *ad alios usus inservientibus*, formula benedictionis nuper adprobata et hic relata adhibeatur, 475 — utrum haec benedictio bene nominetur Baptisma, 373 — campanarum sonitus in Dom. *Sept. Sexag.* et *Qninquag.* festivus esse debet, 436.

Campanula, ipsius sonitus omitti nequit in missa, si Sacramentum non est solemniter expositum, 695.

Candela, accensa quare baptizato traditur, 197.

Cantiones, vulgari lingua in missa lecta permitti possunt, 371 — possunt cantari ante vel post benedictionem cum Venerabili, 372.

Cantus Liturgicus, de editionibus liturg. cantus, 247 — unaquaeque Eccl. *sua respectiva editione uti* adhuc potest, 248 — de decr. *Romanorum*, *Pontificum* quod Leo XIII ratum habuit sub die 26.[a] Aprilis 1883, 249 — de cantu liturgico *harmonico*, 559 — explanatur prima obiectio ex *repugniantia harmoniae* cum cantus liturgici natura desumpta, 560 — altera difficultas solvitur ex eo deducta, quod harmoniae melodiae Greg. superaddita *interpretationis sphoeram* imminuat, 563 — refellitur obiectio ex *difficultate concentum efficiendi* in cantu liturgico, 564 — explanatur ultima difficultas ex *oppositione harmoniae primaevae* cantus liturgici *simplicitati* derivata, 565 — missam decantantes *tenentur ad executionem* cantus liturgici prouti in *missali* prostat, 688.

Cantus Missae, in missa cantantur *nunc* partes, *quae antiquitus cantabantur*, 385 — de missae *Introitu*, *ibid.* — *Saeculo IV* cantari coepit Introitus, 386 — introitum *cantores seu psalmistae* modulabantur, 387 — *quibus vestibus* induebantur cantores isti, 388 — in choro *prope altare* cantores antiphonam ad Introitum cantabant, 389 — *quomodo antiquitus* decantabatur Introitus, 390 — antiquissimus est mos decantandi *psalmum* inter Introitum, 641 — de *Kyrie eleison* in missa, 642 — *S. Silvester* has invocationes instituit in Latina Ecclesia, *ibid.* — antiquitus a *Clericis et a populo alternu cantu* dicebatur, 643 — de praedictarum invocationum *numero* in antiquitate, 644 — *quandonam* in missa antiquitus dicebatur, 645.

Canutus (S.), die sua impeditus, *est e calendario supprimendus*, nisi novum repositionis privilegium exquiratur, 33.

Castrum doloris, ubi invaluit consuetudo *mensem defunctorum celebrandi*, in *medio Ecclesiae erectum* permitti nequit, secus in sacello aut in Ecclesia, in qua *divina officia non peraguntur*, 102.

Casus reservati, ipsorum edictus in sede poenitentiali affigendus est, 215.

Cera, quid sit, 666.

Chirothecae, Episcopus omnes collaturus ordines cum tonsura, *se chirothecis exuere* nequit, 228.

Chorus, de *ordine* pergendi in chorum ad *Missam* et *Vesperas* Pontificalia casus, 416 — quid de *processione ad chorum* tam in missa guam in Vesperis solemnioribus utriusque Ecclesiae antiquitas ferat, 418 — *quaenam leges* huiusmodi processionem dirigant, 423 — quid de *triplici diversa ratione* in chorum pergendi iudicandum ut in casu, 426.

Clementina Instructio, *Rom. Pontifex* ab eius observatione dispensare potest, 661 — dispensare non valent *locorum Ordinarii* etc., *ibid.* — quid sentiendum de *consuetudinibus oppositis, ibid.* — dispensare nequeunt a *luminum quantitate*, 663 — a *qualitate*, 666 — *cera* quid sit, *ibid.* — quid *gaz*, *ibid.* — dispensare non valent a *sonitu campanae Maio.* ad singulas horas diei ac noctis, 667 — a prohibitione alias missas celebrandi in *altari Expositionis,* praeter missas *Expositionis* et *Repositionis*, 668 — a cantu *missa Pro Pace*, die intermedio cum ministris paratis, 672 — a *processionibus peragendis* die Exposit. et Reposit., 674 — a *prohibitione impertiendae Benedictionis* cum SSmo, *ibid.* — de *parva basi metallica vel lignea* in medio altaris posita, supra quam collocatur Ostensorium, 677 — de altarium *ornatu*, de *vasculis* cum *floribus* et *candelabris*, 678 — a prohibitione *sedium cameralium* pro ministris, 680 — item ab *usu scamni*, loco genuflexorii, 681 — *ubinam* locandum scamnum *pro Sacerdotibus*, *ibid.* — ubinam pro *laicis*, 682 — dispensare non valent a *piis collectionibus pecuniae*, 715 — ab observatione *formae praescriptae* pro benedictione cum ostensorio danda, 717 — ab affixione *Instructionis Clementinae* in Sacristia cuiusvis Ecclesiae, 720 — conclusio, ibi.

Collectae, collecta *pro gratiarum actione* recte dicitur post obtentam gratiam, per aliam collectam *ab Episcopo impositam*, 155 — in missa *recitandae sunt collectae*, quae ab Episcopo loci imperantur, 285 — collectae imperatae

adiungendae sunt missae feriali, quae canitur in Quadrag., etiamsi festum agatur de Sancto sub *ritu dupl. 1ae classis*, 548.

Color, paramenta sacra *ex auro contexta* adhiberi possunt pro colore *Albo*, *Rubeo*, *Viridi*, non pro colore *violaceo et nigro*, 114 — paramentorum colores *quinque* statuuntur Rubricis Missalis, *ibid.* — de colore *rosaceo*, 432 — vide *Stola*, *Ternarium*.

Commemoratio, de quodam decreto in *una Neapolit.* circa Vigiliae Imm. Conc. *commemarationem*, 103 — nullae faciendae sunt commemorationes *in Missa votiva Cordis Jesu* in primis sextis feriis mensium nuper indulta 233 — in concursu Vesp. officii votivi SS. Sacr. cum officio vot. SS. Sindonis, officium *totum de Sacramento* fieri debet, 283 — non est facienda comm. Sacramenti in *missa solemni*, quando post eam *processio cum Venerabili fieri debet*, 289 — in Vesp. fer. IV. Maj. Hebd. nulla *de Sancto feria V occurrente* facienda est commem., 373 — nulla fit commem. in *Missa votiva solemni* ex privilegio, 435 — nihil immutandum in *commem. B. M. V. in Suffragiis usque ad Purific.* ob identitatem orationis et versus cum orat. et versu ant. *Alma Redemptoris*, 445.

Communio, fieri nequit a Celebrante post missam, si ad *altare ubi asservatur Sacramentum* se conferre debeat, 108 — in distributione Comm. conveniens non est *purificatorium in manibus tenere* ad abstergendos digitos, quum communicantis linguam tangunt, 432 — Sacerdos in distributione Commun. ad altare rediens ad *aliam pyxidem accipiendam*, repetere non debet verba *Ecce Agnus*, 686 — *O Sacrum convivium* dicitur post reditum Sacerdotis ad altare, *genuflexioneque peracta*, 691.

Conceptio Imm. B. M. V., huius festi missa ut *votiva* legi potest, 436 — de omissione *cuiusdam phraseos* in Lectionibus pro festo Conc.,

Concio, si per Celebrantem habeatur post Evangelium *nullum paramentum est deponendum*, 288.

Concurrentia, quomodo ordinandae Vesperae in *concurr. semid. cum die infra octavam*, 116 — *quid* concurrentia, 117 — quaenam *activa* et quaenam *passiva*, *ibid.* — si festum *Conv. S. Pauli* translatum cum *Cathedra S. Petri Romae* concurreret, Vesperae *dimidiandae essent*, 286 — concurrentibus *SS. Barnaba et Georgio* translatis, Vesperae in paritate ritus *dimidiandae sunt*, 376 — in concurr. festi *Lanceae et Clavorum* sub ritu dupl. 2.ae classis in diem 25 Februarii, Vesperae de *Lancea et Clavis faciendae sunt* cum comm. praec. *S. Mathiae*, 429.

Concursus ad beneficia, interpretatio legis *dioecesis Comensis* circa concursum ad beneficia, 252.

Confessarii, dubia quaedam circa *decr. S. C. Episc. et Reg.* confessarios extraordinarios *mulierum communitatibus* praescribens, 511.

Confessio, alternatim a *Ministris facienda est*, quando missa solemnis *assistente Ordinario* celebratur, 366 — vide *Poenitentia*.

Confirmatio, simplex Sacerdos *minister extraordinarius* Confirmationis esse potest, 259 — quaenam Sacerdoti Confirmationem collaturo *sacrae adhibendae vestes*, 259 — quid observandum circa *tempus*, *ibid.* — quinam Sacerdoti *adhibendi ritus. ibid.* — utrum exigere queat Minister, ut *vitta linea ligetur* frons Confirmati, 261 — quid *ritus unctionis* significet, *ibid.* — quid *alapa*, qua leviter caeditur Confirmatus, significet, *ibid.* — quid agendum Sacerdoti *post Sacramentum collatum*, 262 — *domi quoque dari potest* Confirmatio, *ibid.*

Conopeum, de conopeo super tabernaculo casus, 15 — de *origine et fine* conopei, 16 — quid in praesenti leges rituales praescribant de *usu conopei*, 27 — quinam ex disceptantibus, ut in casu, *aeque interpretentur legem*, 31 — quoties recitatur officium votivum, quoad colorem respondere debet *festi simplicis* vel *feriae colori*, 111.

Consecratio, de validitate consecrationis cuiusdam Ecclesiae, 430.

Consuetudo, in materia Rubricarum ut valeat quomodo debet esse, 661.

Cor Iesu, si *vigilia Epiph.* in primam feriam VI.^{am} mensis incidit *non impedit missam* vot. SS. Cordis Iesu, 285 — missa vot. SS. Cordis Iesu prima feria VI. mensis permissa, si *incidat in diem impeditam*, *transferri nequit*, 503 — *damnatur* missa vot. praedicta privata *coram Sacramento*, 536 — si festum SS. Cordis Iesu in sequentem diem transferri debeat ob occurrentiam cum festo fixo, indulgentiae *adnexae manent diei* in quo locum habet *solemnitas externa*, 699 — vide *Commemoratio*.

Coronae, unius decadis non praeseferunt formam ab Ecclesia requisitam ac proinde *indulgentiis ditari nequeunt*, 687.

Credo, *non dicitur* in Missa Sancti Conf. non Patroni, 726 — vide *Gloria*.

Crux, in altari ponenda non est eo in loco, in quo Sacramentum in Ostensorio exponitur, 695.

D

Decreta particularia, de decretis particularibus, 163 — vide *Rubricae*.

Dedicatio Ecclesiae, Regulares etiam *tenentur sub eodem ritu* Offic. Dedic. Eccl. celebrare in Gallia, ubi Dedic. omnium Ecclesiarum *Dominica subsequente octavam omnium Sanctorum* celebratur, 43 — de *Dedic. Cathedralis Eccl.*, ubi fit omnium Ecclesiarum, 231 — Dedic. festum a Regularibus in episcopali civitate degentibus *celebrandum non est*, si Dedic. omnium Ecclesiarum dioeceseos *una eademque die* ab ipsis celebratur, 500.

Deinde, hoc verbum in oratione *Dominus Noster* ad absolutionem dicendum est, 397.

Diaconus, in solemniori missa *cum Magister Caeremoniarum deest*, folia vertere debet Celebranti ad Collectas etc., 45.

Dies propria et non propria, vide *Festum*.

Dignitas Sanctorum, vide *Festum*.

Distributiones quotidianae, non lucrantur a Canonicis *praebenda doctorali gaudentibus*, qui docendi munere in Seminariis dioecesanis funguntur, 64.

Doxologia, in concurrentia off. B. M. V. sub tit. *Auxilium Christianorum* cum *oct. Ascensionis*, debet esse de octava, 552.

Duplex, de duplici quodam *maiori mobili occurrente cum festo Patroni*, an commemorandum, an transferendum, 106 — vide *Festum*.

E

Elevatio, ad elevationem in missa Sacerdos Hostiam et Calicem *aliquantum elevata* tenere non debet, 505.

Episcopalis consecratio, est *omittendum eius anniv.* si impediatur festo mobili ritus dupl. 1.ae cl., 69 — reponendum est autem *si quotannis impediatur* festo ritus dupl. 1.ae cl. diei affixi, *ibid.*

Episcopus, de modo deponendi *cadaver Episcopi* in Eccl. pro exequiis, 164 — de *Episcopi subsellio* si diebus minus solemnibus in choro assistere velit, 279.

Epistola, in missa pro viduis ea legenda est, *quam Rubricae indicant*, 101.

Eucharistia, de *Eccl. ius habentibus* ad servandam Eucharistiam casus, 201 — *utrum et quibus mediis antiquitus* in utraque Ecclesia servata fuerit, 202 — quaenam in praesenti Ecclesiae *ius et obligationem habeant* Eucharistiam servandi, et ad quid Rector Ecclesiae teneatur, *ut rite asservetur*, 207 — quid de Caii agendi ratione iudicandum, 211 — Euch. in *pluribus altaribus actu et permanenter* asservari non potest, 439 — excipe si *ad functionem persolvendam* in alio altari laterali *pro benedictione tantum* transferatur, 440 — hoc Sacramentum servandum est in Ecclesiis parochialibus, 487 — et in *aliquibus determinatis* tantum, *ibid.* — in *uno et elegantiori* Ecclesiae altari tantum, *ibid.* — in *tabernaculo affabre confecto* custodiendum est, 488 — animadver-

tenda circa tabernaculum, *ibid.* — quid *lex praescribat* circa sacras species, 489 — quinam Euchar. minister, 557 — de *antiqua et praesenti* circa ministrum *disciplina*, *ibid.* — *quando* administrari potest, 558 — quibus vestibus, *ibid.* — animadvertenda *circa administrationem Euch.* si Sacramentum *solemniter sit expositum*, 636 — de oratione dicenda *post Communionem* fidelibus ministratam, *ibid.* — quando et unde ortum *Paschale Praeceptum*, 637 — quotuplici ratione Euch. *ad infirmos* defertur, *ibid.* — *quibus vestibus* Euch. ad infirmos deferenda, 638 — num *secreta Sacram. delatio* ad infirmos fieri possit, *ibid.* — *quibus honoribus* Eucharistia ad infirmos deferenda, *ibid.* — in infirmorum communione *quot particulae* deferendae, 646 — *quomodo* Viaticum *private* deferendum, *ibid.*

Excommunicatio, vide *Poenitentia.*

Expositio Sacramenti, per Sacerdotem *planeta indutus facta* reprobatur, 537 — Sacramentum exponere non licet cum *stola super rochettum* et *batulum*, 614 — *quid et quotuplex* Sacramenti expositio, 647 — quaenam eius *antiquitas*, *ibid.* — utrum *liberum sit Eccl. Rectoribus* Sacramentum exponere, *ibid.* — quid servandum in Expositione *privata*, quid in *publica*, 648 — Expos. alia *solemnis*, alia *privata*, 622 — discrimen inter Expos. *pro publica* et *privata causa*, 624.

Extrema Unctio, si in necessitatis casu ministretur et omittantur orationes *Introeat* etc., supplendae sunt si *tempus patiatur*, 158.

F

Familia (S.), vide *Sacra Familia.*

Fanen, dubia varia S. R. C. proposita, 577 — responsa, 578.

Felicitas (S.), de qua in Canone, est S. Perpetuae socia, 556.

Feria, quid, 83 — officium feriale est officium *trium Lectionum*, *ibid.* — quaenam feriae *maiores* appellantur, 84 — *quando fit officium* feriae maioris, *ibid.* — si in eis occurrat festum simplex, de eo fit tantum commem.,

301 — *quandonam incipit* officium feriae et quando *terminat*, 403 — ad Matutinum unum tantum nocturnum dicitur, 406 — excipiuntur circa ordinem off. feriales *tres feriae maioris hebdomadae*, 307.

Festum, de concursu duorum festorum 2.ae cl. *ritu et dignitate parium* casus, 354 — *quomodo attendenda* Sanctorum dignitas, 355 — an falsum an verum iudicandum sit, in ritu qui dupl. min. sit superior, *nunquam dimidiandas esse Vesperas*, 361 — cui ex duabus opinionibus standum in praxi ut in casu, 365 — de dupl. 1.ae cl. primique ordinis festo translato, incidente in aliud dupl. 1.ae cl. cum feriatione casus, 649 — quid liturgice *dies propria* et *non propria* et num utraque iisdem iuribus gaudeat, 650 — utrum festa cum feriatione recolenda etsi inferioris ordinis, *praeferenda sint* in paritate ritus *quibuscumque translatis* etiam primi ordinis, 655 — quid iudicandum in casu, 657 — festa quaecumque localia Dominicis *absque indulto* affigi nequeunt, 506 — regulares tenentur ad celebrationem festorum de praecepto quoad forum, 728 — festa impedita perpetuo, reponenda sunt, non transferenda, 730 — vide *Translatio*, *Occurrentia*, *Concurrentia*.

Flores, licet *vasis floreis* altare exornare si festum Titul. aut Dedic. in *hebdomadam Passionis* incidat, 684.

Fons Baptismalis, casus, 466 — utrum ad baptismum requiratur *aqua benedicta, ibid.* — baptismus solemnis conferebatur antiquitus tantum in *duabus Vigilis Pasch. et Pentec.*, *ibid.* — fons in Sabb. Pasch. et Pentec. benedicitur, *ibid.* — Plebani ad benedicendum fontem *tenentur praedictis diebus*, 448 — reprobatur fontis benedictio *in Cathedr. et Colleg. tantum*, pro aliis ecclesiis aquam deferendo ex memoratis Ecclesiis, 515 — benedictio fontis *privatim absolvatur* in Sabb. Pasch. et Pentec., si *fideles ad Ecclesiam non accedant*, *ibid.* — vide *Ternarium*.

G

Gaz, quid sit, 666.

Genuflexio, de genuflexionis *ordine* dum thus adoletur in altari, 46 — de quibusdam genuflexionibus ad *altare Sacramenti solemniter expositi*, 696.

Gloria et Credo, in missa cum cantu *vulgari 'idiomate* cantari nequeunt, 438 — utrum dicendum in festo S. Conf. Pontif, 726.

H

Hebdomada Maior, de sacris functionibus *in minoribus Eccl.* mai. in hebd. peragendis, 161.

Hostia, vide *Sacrificium*.

I

Imago, principalis altarium imago *amoveri nequit*, 502 — de *remotione cuiusdam imaginis* ab altari, casus, 217 — quid leges liturgicae *circa altarium* imagines *statuant*, 218 — utrum liceat alicuius Sancti imaginem ab uno altari removere, *ut collocetur in alio*, 219.

Impositio manus, super infantem in baptismo *quid significet* et quaenam eius *antiquitas*, 257.

Indulgentia, orationibus adnexa lucrifieri indubie potest si *in aliam linguam vertantur*, modo lex *id non vetet*, 279 — off. B. M. V. *latine dicendum est* ad lucrandas indulgentias, 377 — non potest Episcopus indulgentiam partialem 40 dierum dare *infra vel post missam*, quando *plenaria* danda est, 47 — nil addi potest formulae concessionis indulgentiae, sed *prout in Pontificali extat* legenda est, 308 — vide *Benedictio Apostolica*.

Insignia Canonicalia, non *inest Episcopis ius* ea concedendi, 165.

Insufflationes, quare fiant in baptizando, 184 — de huius ritus antiquitate, *ibid.*

Interrogationes, baptizando faciendae *quotuplicis generis sunt et quibus de causis* fiant, 184.

Interdictum, vide *Poenitentia*.

Intonationes, de intonationibus et responsionibus in officiis

solemnioribus casus, 596 — utrum intonationes repetendi usus liturgicorum librorum regulis et primaevae Eccl. antiquitati sit conformis, 597 — num intonationes prouti in libris ritualibus inscribuntur, sint necne praeceptivae dicendae, 604 — quid de reliquis ut in casu iudicandum, 605.

Introitus, vide *Cantus Missae.*

Inventio Crucis D. N. I. C., de quibusdam interpolationibus in ipsius historia, 5 — probatur inventionem crucis Helenae Ierosolymam peregrinationi esse posteriorem, 9 — continuatio. 70 — expenditur opinio cl. Duchesne, 72.

Invocatio Gesù, Giuseppe e Maria ecc. *non mutanda* quoad ordinem, 728.

Ioannes Damascenus (S), uniformari tenentur decreto generali quod missam et officium non autem quod diem, qui iam in Calendario eius officium habebant, 395.

Ioseph (S), eius festum si occurrerit in Dominica Passionis transferatur in fer. secundam immediate sequentem, si inciderit in Mai. Hebd. reponatur in fer. IV post Dominicam in Albis, 513 — commentarium in praedictum decretum, 614 — solvitur difficultas circa repositionem in fer. IV tanquam in propria sede, 619 — decretum S. Congr. R. U. Inquisitionis circa cultum S. Ioseph sub tit. « Amico del Sacro Cuore » 639.

Irregularitas, vide *Poenitentia.*

Ite missa est, in festo SS. Petri et Pauli si occurrat infra oct. Corporis Chr. cantandum est in tono de B. M. V., 545.

K

Kyrie eleison, vide *Cantus Missae.*

L

Laus tibi, Christe, dicendum est in missis cantatis a Subdiacono post Lectionem Evang. per Celebrantem *submissa voce* factam, 549.

Lectiones, secundi noct. Dedic. Bas. SS. Petri et Pauli in unum coalescere debent ad *constituendam nonam lectio-*

nem in locis, in quibus die 18ª Nov. *fit de oct. S. Martini* Ep. Tur. ut Patroni, 235 — *Lect. VIII dividenda* in Nativitate Deiparae, si festum sit dupl. I. cl. 731.

Leonardus (S), a Portu Mauritio, lectiones 3.ii noct. in eius officio sunt *Designavit*, 232.

Libri, *contrarii S. R. C. decretis* sunt penitus expungendi, 690.

Lincien., dubia varia S. R. C. proposita, 476 — responsa, 483.

Litaniae, in Sabb. Sancto inchoandae sunt *in actu redeundi ad altare* post fontis benedictionem, 541.

Litterae Apostolicae, vide *Benedictio Apostolica*.

M

Manipulus, *deponendus non est a Celebrante*, si post missam communionem fidelibus distribuat, 228.

Manus, ad *Te igitur* in missa *extendendae*, *elevandae* et *iungendae* sunt, 100.

Mappae, non sunt necessariae tres in altari, *in quo nunquam celebratur*, ideoque cooperiri possunt *panno rubei vel viridis coloris*, 702.

Martyrologium, de festorum annuntiat. in Martyrologio, 238.

Maternitas B. M. V., eius festum est *penitus et perpetuo omittendum*, ubi Eccl. Titulus est *Rosarium B. M. V.* cuius octava perpetuo impedit Maternitatis festum, 110.

Matrimonium, de *mutuo consensu* ad matrimonium et de *matrimoniis clandestinis* Breve Leonis XIII, 251 — utrum sit consulendum SSmum pro dispensatione super matrimonio *rato et non consummato* ut in casu, 254.

Matutinum, a laudibus in choro separare non licet, 692.

Minores Capuccini, Ordinis S. Francisci, quaestiones nonnullae *inter eiusdem ord. rubricistas* obortae, 325 — votum Rmi *D. Marcucci* supra relatis quaestionibus, 329 — utrum Capuccini dispensentur a decretis S. R. C., *quae Constitutionibus ordinis contradicunt*, vel *pauperrimae ipsorum professioni* derogare videntur, 330.

Minores Excalceati S. Francisci, dubia varia S. R. C. proposita a Procuratore Generali Ordinis Minorum, 391.

Missa, in altari ubi SS. Sacramentum asservatur, *necessario*

non est celebranda, 236 — de iure recitandi missam de *Propagatione Fidei*, ubi cum cantu concessa est, 552 — in huiusmodi missa *paramenta violacei coloris* adhibenda sunt, 553 — de Missa dicenda feria V in Coena Dñi ad moniales comnicandas, 726.

Missa Conventualis, decr. Cantonis Ticini seu Luganen. S. C. C., 217 — de *quadam Canonicorum consuetudine* in missis conventualibus, 521.

Missa de Requie, missae vi legatorum canendae, sunt *vera anniversaria*, quamvis pro die Sabbati sint statutae, 42 — cantari nequit missa *tanquam praesente cadavere* in exhumatione cadaveris, nisi ritus semid. occurrens hanc missam permittat, *ibid.* si *plures defuncti eodem die in eamdem Eccl. deferantur* possunt cantari tot missae et officia *quot sunt defuncti*, 150 — missa exequialis, *cadavere praesente ex rationabili causa in subterranea Eccl.*, dici potest, 276 — de decreto circa missam exequialem in *festo primi ordinis* per accidens non praeceptivo, 288 — missa exequialis vetita dicenda est *tum in festo Patroni loci*, tum in festo *Patroni dioecesis*, si ambo ritu dupl. 1.ae cl. cum oct. et feriatione celebrentur, 284 — missa praesente cadavere semper permittitur, *exceptis festis solemnioribus universalibus et localibus*, 538 — de intelligentia cuiusdam indulti circa missam de Requie, 539 — missae de Requie prohibentur in Eccl. *ubi Sacramentum pro publica causa* solemniter est expositum, 653 — sententia cl. De Herdt, 627 — consulitur A Carpo, 628 — expenduntur decreta, quae ad rem faciunt, 629 — citatur Cavalerius, 631 — Gardellinius alligatur, 632 — non favet decretum Montis Politiani, 633 — non decr. in Florentina 13 Mar. 1804, 634 — expositio solemnis cum Ostensorio *semper est publica et pro causa publica* fit, et missas omnes de requie nullo in altare respectivae Ecclesiae permittit, 635 — expositio cum pyxide est *semper privata et pro causa privata* et Missas omnes de requie permittit in Eccl. Expositionis, *altari Expositionis excepto*, 635.

Missa Pontificalis, de pontificali missa in *triduanis Beatificationis festis* casus, 85 — utrum solemnia triduana Beatificationis festa indicium aliquod *in Eccl. antiquitate* habeant, 86 — utrum huiusmodi missae *votivae censendae sint vel festivae* et quasnam commemorationes admittant, 90 — quid de reliquis ut in casu, maxime de *Hora Nona* et *processione*, quas reprobavit Episcopus, 94 — *quomodo ordinanda missa* in triduanis Beatific. solemniis, 96 — pontificalis missa in *die solemni Paschae*, si in tertia mensis Dominica incidat, *posta Nonam* canitur, si post illam *habentur processio*, 444.

Missa pro populo, decr. S. Congr. Conc. in Milevitana, 378.

Missa votiva, prima feria VI mensis missa votiva SS. Cordis Iesu etiamsi legatur, ritu missae votivae *solemnis est celebranda*, 394 — vide *Conceptio B. M. V.*, *Cor. Iesu.*

Mozeta, a Canonicis super cottam in choro est deferenda, 156.

N

Nativitas Dni, de *tempore solemnis Missae* in nocte Nativit. Dñi, 221 — vide *Antiphona.*

Nomen, quid in antiquitate animadvertendnm circa *impositionem nominis* in baptismate, 186 — quid circa nominis impositionem ferat *praesens disciplina*, *ibid.*

O

Occurrentia, de quorumdam festorum occurrentia, 375 — in occurrentia inter *mobile festum et fixum diversae dignitatis*, officium *de digniori* faciendum est, 431 — in occurrentia off. *S. Canuti* ad libitum et *Cathedrae S. Petri* translatae et *off. vot.* semel in mense indultum, quodnam faciendum, 49.

Octava, vide *Repositio officii* — quid de eius natura, 121.

Officium, dum in choro recitatur quum una pars aliquid canit aut recitat, altera simpliciter *attente audit*, 551 — de privata recitatione Officii, tempore Missae Conventualis, 727.

Officium parvum B. M. V., in choro *quinam* ad illud tenean-

tur, 408 — quando recitandum, 410 — quo ritu, 411 — quibus constet partibus, 412 — quomodo cum officio diei coniungatur, 413 — nil *officio parvo addi potest vel debet*, 414 — *Alleluia* non addendum off. parvo *tempore paschali*, 416 — dubia quaedam circa illius choralem recitationem, 287 — vide *Indulgentia.*

Officium defunctorum, recitari vespere potest *dummodo submissa voce fiat*, expleto officio diei, 519 — Vesperae defunctorum in Dominicis *non sunt recitandae* in Ecclesiis, in quibus feria 2.ª insequenti *chorus non habetur* et nocturnum non est recitandum, 233.

Officia votiva, officium votivum recitari potest die 1.ª Oct. in *festo S. Remigii semid.* ad libitum, 124.

Orationes, privilegium unius Orationis in missa de requie, *Missis solemnibus ita competit*, ut nequeat in missis privatis adhiberi occurrente die *ab obitu*, *tertia* et *septima* et *trigesima* in festo semid., 35 — potest Sacerdos oratione *pro patre* uti in dictis diebus, loco illius quae ponitur in Missali *pro die universaria*, 37 — ubi missa in singulis feriis secundis vel alia die canitur pro *omnibus loci defunctis* in genere, bene dicitur oratio *Deus veniae largitor*, 41.

Oratoria privata, *quibus diebus prohibetur missa* in oratoriis privatis, 538 — quaedam dubia de oratorio principali Seminarii *Lucionen.* S. R. C. proposita, 239 — Commentarium, 341.

Ordinatio Sacra, in missa ordinationis Episcopus oblationem accipere iuxta Pontificale in *faldistorio potest* vel in *throno* ut sustinet cl. Martinucci, 543.

Ordo divinii officii, dubia quaedam circa ordinem divini officii Sacrique peragendi pro diocesi *Calagurritana* et *Calceaten.* 449 — adnotationes super praedictum decretum, 460.

Organa, pulsari possunt in *missa privata locum cantatae tenente* eo tempore, quo permittitur in missa solemni, 372 — de organi sonitu in missis de *tempore Adv. et Quadrag.* 374.

O Sacrum Convivium, vide *Communio*.

Ostensorium, cum Sacramento cum collocatur super altari pro *Tantum ergo* melius *super mensam* ponitur, quam super *basim ligneam* palla coopertam, 538 — de praedicta basi, 677.

P

Pallium, nigri coloris adhibendum est *in officiis et missis cum cantu* defunctorum, 546.

Paramenta, Sacerdotes exteri in Capulatorum Ecclesias confluentes, *iisdem paramentis uti possunt*, 224 — dubia quaedam *circa paramenta et supellectilia* liturgicis legibus non conformia, 517 — responsa S. R. C., 519 — De ornamentis laneis planetarum, 726 — vide *Ternarium*, *Color*.

Patrini, quid et quaenam eorum officia in baptismate, 182 — Patrinorum usus in *Eccl. primitiva* extitit, 183 — *quot et quales* Patrini esse debeant, *ibid.* — Patrini tantum in *solemni baptismate* adhibendi sunt, *ibid.*

Patroni, (Lezioni di Sacra Liturgia) bibliographia, 187 — continuatio, 309.

Patronus, in occurrentia perpetua diei *oct. S. Martini*, ubi est Patronus, cum *Dedic. Basil. SS. Petri et Pauli* officium Dedic. reponendum est *in prima die libera*, 106 — quinam Patronus loci, 433 — quonam ritu celebrandum *festum Patroni Eccl. Cathedr.* a Regularibus celebrantibus festum proprii Fundatoris *sub ritu dupl. 1ae cl. cum octava*, 546 — de B. M. V. a Guadalupe et S. Rosa a S. Maria Patronis quoad Regulares, 701 — de SS. Sociis Patronis, 722.

Peribolus, quid, 389.

Petrus (S.) Damiani, de lectionibus 1 noct. in off. S. Petri Damiani in Quadrag., 112.

Pileolus, de intelligentia decreti circa usum pileoli Episcoporum, 504.

Placidus (S.), die V Oct. *cantari potest missa votiva S. Placidi* simpl. occurr., cum fit officium semiduplex, 154.

Poenitentia, unde Sacramentum istud *Poenitentiae nomen* traxerit et *significationem*, 263 — *quibus aliis denominationibus* hoc Sacramentum nuncupare consueverunt latini Patres, *ibid.* — *quotuplex* in primaeva Eccl. in usu *confessio* fuerit, 264 — utrum apud *ministrum non sacerdotem* huiusmodi confessio fieri posset, *ibid.* — quid *materiam* huiusmodi Sacramenti constituat, *ibid.* — quaenam *forma*, 265 — aliae preces prout in Rituali, ad *formam pertinent*, *ibid.* — quae essentialia non sunt, *omitti quandoque possunt*, *ibid.* — utrum consuetudo praedictis precibus *quid aliud addiderit*, 266 — utrum *praescriptae formulae* mutari a Sacerdote possint, *ibid.* — verbum *Deinde* dicendum est in oratione *Dñus Noster*, 397 — quid agendum Ministro *dum Absol. verba profert*, *ibid.* — quid *dexterae elevatio* significet, *ibid.* — *ubi* audiri confessiones possunt, 398 — *quibus sacris vestibus indutus* confessiones audire debet Sacerdos, *ibid.* et 216 — utrum lex de vestibus *semper et ubique servanda*, 399 — *quot dotibus* praeditus sit oportet *Poenitentiae Minister*, 400 — quid agendum *poenitenti ante confessionem*, *ibid.* — quid *in confessione*, 401 — quid *post confessionem, ibid.* — utrum quivis confessarius ab *Excommunicatione*, *Suspensione* et *Interdicto* valeat absolvere, 484 — *quotuplici in foro* dari potest ab excommun. absolutio, 485 — quotuplex huius absol. forma *in foro externo, ibid.* — quid si facultas habeatur absolvendi *in foro interno, ibid.* — quid a poenitente exigendum *ante absol.*, *ibid.* — absolutio ab excomm. *dari defuncto potest*, 486 — num *determinata forma* sit adhibenda pro absolutione a *Suspensione* et *Interdicto*, *ibid.* — quid in dispensando ab *irregularitate* servandum, *ibid.*

Praeceptum Paschale, vide *Communio.*

Praelatio, festum S. Michaelis in translatione, *praeferri debet S. Barnabae*, 111 — de praelatione in occurrentia *oct. SS. B. M. V. Rosarii* et S. Michaelis, 153.

Preces exequiales, quaenam recitandae in *domo adulti*, quae-

nam in *domo infantis*, si defunctus efferatur immediate e *domo ad coemeterium*, 229.

Preces post Missam, a SS. PP. Leone XIII praescriptae *post Ordinationis missam* non sunt dicendae, 163 — *vulgari lingua* dici possunt cum *lucro indulgentiae*, 230.

Principes Acatholici, de quibusdam honoris signis in *acatholicorum principum morte*, 159.

Processio, quomodo *deferendae Sanctorum Reliquiae* in processione, 212 — de consuetudinibus quibusdam in *exceptione processionis* ad Ecclesiae ianuas per *Familiam religiosam* Ecclesiae addictam, 395 — in reditu process. cum Venerabili in Ecclesiam, Clerus *cereis accensis remanere in Presbyterio potest hinc inde divisus* usque post benedictionem, 547.

Professio Fidei, quid de eius antiquitate ex parte subiecti, 257.

Prostratio, feria VI. mai. hebd. in principio missae quomodo *ab Episcopo eiusque assistentibus* facienda, 544.

Pyxis, non est e tabernaculo extrahenda, dum preces Sacramento funduntur, 541.

R

Regina Caeli, pro *Angelus Dñi* dicenda est ad meridiem Sabb. Sancti, 544 — non dicenda ad meridiem Sabb. ante SSmam Trinitatem, 725.

Regulares, dispersi Ecclesias regentes *iuxta suorum ordinum ritum* Missam celebrare debent, 235 — ad *quaenam dioecesis officia* teneantur, 499 — Regulares extra civitatem degentes episcopalem, intra dioecesis confinia, *tenentur Titularem Cathedr. Ecclesiae* recolere, 501 — vide *Dedicatio, Titularis.*

Reliquiae, vide *Processio.*

Repositio, de officii *perpetuo impediti* repositione casus, 129 — *quotuplici sensu* sumi possit *translatio*, et quomodo intelligenda iuxta sensum Brevis *Nullo unquam*, 130 — quomodo intelligenda verba post occurrentiae tabellam posita, seu *De eis nihil fit*, 138 — quaenam sententia vera atque in *praxi tenenda*, 140 — de officii reposi

tione in quadam die oct. casus, 489 — quot *octavarum species* in antiquitate fuerint et quodnam *discrimen* intercedat *inter octavas Eccl. universalis* et octavas *Eccl. particularis*, 491 — utrum *dies octava sit necne impedita* pro repositione festi dupl. 2.ae cl., 495 — cuiusnam iudicium probandum ut in casu, 497.

Ritus, servandi in Evangelio *benedictionis Palmarum* et in *Praeconio* Sabb. Sancti, ubi unus adest Sacerdos, 294 — vide *Rubricae.*

Rochettum, vide *Expositio.*

Rubricae, sunt leges ergo obligant, 54 — nulla ad rem est *distinctio inter Ritus et Rubricas Ritualis*, 55 — ad rem non facit allegata auctoritas S. Alphonsi, *ibid.* — Rubricae omnes *obligant in conscientia*, *ibid.* — omnes leges in *eodem codice collectae* obligant, 57 — nil argui potest pro *directivis rubricis* ex eo quod auctores *non conveniant in exacta Ritus definitione*, *ibid.* — *ex quibus constituantur* Ritus, 59 — de *substantiali Rituum diversitate* in Ecclesia, uti in *Ambrosiana, Mozarabica* etc., *ibid.* — de ritu *dupl.*, *semid.*, et *simplici* in officio et missa, 60 — omnis omissio et mutatio rubricae *omissionem* vel *mutationem Rituum plus minusve gravem* includit, 61 — de sensu verborum *Serventur Rubricae, Servetur Rituale Standum Rituali*, 62 — rubrica de linteo in communione fidelium *non est directiva*, prouti vult cl. Pighi, 63 — aliud exemplum deductum ex *S. Congr. Rit. responsione declarantis usum stolae bicoloris licitum* haud magis quam primum probat, 123 — nullo iure probatur verba *Serventur Rubricae* etc. *optativam significationem* habere, 124 — de *forma rigorosa* decreti ut decreta *vi praeceptiva gaudeant* iuxta cl. Pighi, 125 — ad examen revocantur alia decreta contra cl. Pighi, 126 — decretorum *distinctio* in *generalia* et *particularia*, 127 — de ipsorum *obligatione*, 128 — responsio evasiva S. R. C. *petitionem afficit* non *Rubricarum observantiam*, 176 — admissa quarumdam Rubricarum obligatione *plane sequitur et reliquas obligare, ibid.* — argumen-

tum cl. Pighi *ex auctoritate extrinseca* desumptum perpenditur, 177 — quid opinandum de illis, qui primi Rubricarum distinctioni in *praeceptivas* et *directivas* adversati sunt, 179 — ex Rituali Romano probatur *Rubricas directivas vanum esse commentum*, 239 — arguitur ex forma loquendi *imperativa* aut *indicativa*, 242 — de norma desumpta ex *Rubricae materia*, 243 — de tertia norma nempe *de S. R. C. decretis*, 244 — de ultima norma in *probatorum auctorum communi sensu* reposita, 245.

S

Sacra Familia, Breve Leonis PP. XIII, 507 — *Statuta* Piae Consociationis universalis S. Familiae, 567 — indulgentiarum et privilegiorum index, 569 — oratio *ante Eius imaginem* recitanda, 572 — privilegia pro sodalibus universis, 573 — pro Parochis, 574 — formula consecrationis *pro familiis* se S. Familiae sacrantibus, *ibid.* — dubia quaedam circa praefatam Consociationem, 575 — de ordine in invocatione, Gesù Giuseppe e Maria, 728.

Sacrificium, casus liturgicus, 531 — ad complendum Sacrificium non tenetur quis Hostiam sumere quam alius Sacerdos deglutire nequit *ob vomitus provocationem*, *ibid.* quid dicendum si *praedicta hostia a Sacerdote superpelliceo et stola* induto in purificatorio involvatur, et in *tabernaculo recondatur* ut postea corrupta *comburatur*, 534 — compendium solutionis casus, *ibid.*

Sacrosanctae, toties recitari potest quoties aliqua hora absolvitur *ad acquirendam defectuum remissionem*, 225.

Sal, quid sibi velit salis immissio in os infantis baptizandi, 185.

Saliva, quid aurium et narium tactus cum saliva significet et quaenam eius antiquitas, 194.

Scamnum pro Ministris, vide *Clementina Instructio*.

Sedes Cameralis pro Ministris, vide *Clementina Instructio*.

Sedes Poenitentiales, ipsarum *forma*, 213 — de ipsarum *situ* in Eccl., 216.

Signum, de luctus signis *in Sacerdotibus* in parentum funere, 227.

Signum Crucis, *unum vel trinum*, ut Rituale Rom. praescribit, faciendum est *in administrandis Sacramentis*, 278.

Simulacra, quaedam virorum, ut in casu, collocari poterunt in Ecclesia, *dummodo non exponantur super altare*, 520.

Socii. SS. Patronorum, de iis nihil amplius agendum, 722.

Stola, *violacei coloris* adhibenda est in pio *Viae Crucis* exercitio, 38 — Concionator benedictionem ab Episcopo antea petens *stolam super brachium* deferre debet, 226 stola *quando adhibenda*, 229 — stolae color, quando Rubricis non determinatur, vel *colori diei respondeat* vel *pro natura rei benedicendae*, *ruber* sit vel *albus* etc. 233 — quare *mutetur* in baptismate, 195 — una *bicolor stola* adhiberi in baptismate potest, 196.

Strigonien., votum *Rm̃i D. Marcucci* super novissimo decreto *Strigonien.*, 379 — responsio propositis dubiis, 584.

Subdiaconus, in missa pontificali ad dexteram Diaconi ascendere non debet in recitatione *Agnus Dei*, 344.

Suspensio, vide *Poenitentia*.

Suffragia SS. vide *Commemoratio*.

T

Tabella, de Secretarum tabellis in altari, 438.

Tabernaculum, vide *Eucharistia*.

Ternarium Paramentum, de param. ternario *rubri et violacei coloris* casus, 113 — *duplex ternarium* comparare sibi debet Sabinus, 115 — in benedict. fontis *Dalmatica et Tunicella* ministri uti nequeunt, *ibid.* — potest Plebana in fontis benedictione *uti ministris in Albis*, ideoque Sabinus *planetam cum pluviale rubei coloris* sibi comparet, *ibid.* — consuetudo tunicellis utendi *non suffragatur* Sabino, 116.

Thurificatio, ad Vesperas si Sacramentum ex necessitate in chorali altare asservetur, *hoc prius, deinde alia* si ado-

lenda sunt, thurificantur, 97 — si Vesperae *a solo Hebdomadario pluviali induto* decantantur, faciendae sunt thurificationes, 104.

Titularis, in Eccl. dicata B. M. V. et SS. Archangelis, Archangeli Titulares non *disiunctim sed simul* tanquam patroni *die 29 Sept.* recolendi sunt, 39 — de Titulari Eccl. Cathedr. celebrando, cui *vix clerus adscriptus* est, 166 — de variis dubiis circa Titularis off. a *Rectore duarum paroeciarum* dicendum, 374 — de festo Titularis *ab uno Sacerdote* faciendo, 723.

Transfiguratio D.ni, eius missa votiva celebrari nequit, 164

Translatio, *facienda non est translatio S. Gabrielis Arch.* in die sua impediti, ubi sub ritu dupl. min. agitur, 375 privilegium *transferendi festa Titularia et patronalia* Ecclesiarum impedita in *diem immediatem sequentem*, extendi nequit ad *principale Festum S. Ioseph*, 535 — Translatio festi *officium respicit* non *pompam externam*, 538 — *Conversio* S. Augustini die 5 Maii et *Translatio Eius* die 11 Oct. sub ritu dupl. min., *translationis privilegio non gaudent* in occursu cum aliis festis superioris ritus, 610 — festum sub ritu dupl. min. *Dominicae affixum*, si occurrit cum festo dupl. *neque transferri* neque *commemorari* debet, 611 — de translatione festorum *diebus Dominicis affixorum*, non agenda, 722 — vide *Repositio*.

U

Unctiones, super baptizatum *quid significent*, 185 — ipsarum *antiquitas ibid.* — quid significet *unctio* in Confirmatione, 261.

V

Vale ultimum defuncti cadaveri, est *aspersio per defuncti Parochum ad fores Eccl.* non ad portas civitatis, 377.

Versiculi, mutandi sunt ob *identitatem* in antiphonis, 46 — de

Versiculi variatione in *Vesperis dei 14 Ianuarii*, 437 — de abrogatione versiculorum *Dñe exaudi et Dñus vobiscum* decr. S. R. C., 65 — sunt dicendi tantum, quando Rituali Rom. praescribuntur, *ibid.*

Versus tertius in hymno Iste Confessor, *mutandus non est* in festo S. Confessoris cum *octava*, 554 — mutari debet in Vesp. S. Petri Dam., 607.

Vesperae, vide *Commemoratio.*

Vestis Candida, quae baptizato imponitur quid significet, 196.

Viaticum, de Viatico accipiendo in altari, *ubi eo tempore celebratur*, 157 — quomodo Viaticum *private* sit deferendum, 646 — vide *Eucharistia.*

Vinum, si vinum pro aqua consecretur *ex errore*, ipso cognito ad integrandum sacrificium *quid requiratur*, 141 — confutatio cuiusdam thesis theologicae contra praecedentis casus solutionem, 142.

Vultus D N. I. C., nullum extat SS. Vultus officium approbatum, 286 — de SS. Vultus imagine a Sacerdotibus a SS. Vultu dicti propagata, 639 — de Sodalitate erigenda sub titulo S. Vultus, *ibid.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1892.